
NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
12
2 M
4

~~usui~~ Petrii de Asculo
min. Con. Collegii Divi [illegible]
Romae

[illegible] Paulli Manutius [illegible] correxerat [illegible]
[illegible] in hoc libro [illegible] et [illegible]
[illegible] colligens minus [illegible] aliud [illegible]

DISPVTATIONES VIGINTI TRES.

Principalium Quorumdam Theorematum.

AD CATEGORIAS ARISTOTELIS Spectantium.

IN QVIBVS MVLTA TVM AD SVPERNATVRALEM Tùm ad naturalem ſcientiam pertinentia lucidè tractantur.

AVTHORE

ARSENIO CRVDELIO

Puppienſi Ord. Valliſumbroſæ Monacho.

AD ILLVSTISSIMVM, ET REVERENDISSIMVM D. Benedictum S. R. E. Cardinalem Iustinianum Ampliſsimum.

Cum Triplici Indice, Altero Diſputationum, Altero Sectionum cuiuſque Diſputationis, Tertio rerum, & Sententiarum notatu Digniſſimarum.

CVM PRIVILEGIIS.



VENETIIS,


Apud Bernardum Iuntam, Io. Baptiſtam Ciottum, & Socios.

M D C X I I.



BENEDICTO IVSTINIANO S. R. E. Cardinali Amplissimo.

Arsenius Puppiensis, Ord. Vallisumbrosæ Monachus. Salutem & Fælicitatem.





DVM te, Cardinalis amplissime, virtutibus nobilissimis illustras, facilè perficis tua singulari industria, vt tam magno exemplo, vnusquisq; qui multum sapit, ad virtutes excolendas se commoueat. Nemo enim rerum tam incogitans est, dum res ipsa lucet, dum in promptu est, quin ad eam amplexandam se incendat, atque ad eamdem operam vel pusillis viribus contendat. Rerum maximarum occupationibus, mihi crede, omnium in te oculos conuertisti; vt dum ego quoque te gradientem per viam gloriæ intueor, maximè libens in numerum te colentium sim delapsus, ob multa officia, quæ in me contulisti, minimè tibi par pro pari, sed voluntatem tantummodo emetiar; Quidquid igitur possum, libenter ex meis ingenij copiolis ad te defero, & ne asperneris meos animi sensus, demississimè requiro. Tu profectò quanti sis, quantique etiam fieri debeas, admirabilis tua vigilantia in nostrum Vallimbrosanum Ordinem, inter reliqua fatetur; quanti autem te facere debeamus, omnium in te beneuolentia nos admonet. Itaq; vt tibi sit exploratum, me tui memoriæ operam dare, mitto ad

te nonnullas lucubrationes sub tuis auspicijs typis nuper impressas, vt vides, de rebus Logicis, Physicis & Metaphysicis, quas in almo nostro Gymnasio Passiniani, superioribus annis explanaui, & alibi postea in vnum collegi. Hic trinus in meis laboribus numeratur partus; in quibus tractandis nobilibus artibus me exerceo; facturus magis posthac operæpretium, cum rebus sacris meam omnem operam nauare constituerim. Hic vnus vocatur portus præter cætera omnia insignis, in quo viri optimi cum maximè laborant, conquiescunt, cum sibi multa patientia non parcunt, vires defatigando acquirunt; suumq; animum, dum se imminuunt, admirando quodam modo locupletant. Quòd floret nostrum hoc Gymnasium, veluti hoc tempore mirum in modum floret, quod nostri sodales ad virtutem atq; ad laudem se exercent, & tibi esse voluptati, qui nobis Vallimbrosanis Monachis bona omnia exoptas, atque omnino gratissimum, putamus. Ad voces tuarum laudum exsuscitat vnusquisque se ad laudem; & ne tua protectione sit indignus studiosè, & sedulò laborat. Labores igitur hos meos tibi debitos, & in nullum alium vsum, quàm vt gratitudo in te mea appareret, dedicatos, eo vultu, quo aliorum lucubrationes soles, dignaberis aspicere. Munus quidem per se exiguum est, sed ex magno tamen voluntatis amore profectum, ex quo magni Principes potissimum solent oblata sibi munera, non ex rerum ipsarum magnitudine æstimare. Reliquum est nunc, vt à Deo humillimis præcibus contendam, vt te grauissimis tuæ legationis occupationibus districtum tueatur, & conseruet. Quod vt fiat, ab eodem etiam atque etiam peto. Vale.

Puppij Decimo sexto Kalendas Maij. 1611.

AV-

AVTHOR AD LECTOREM.



CEPERAM, vt ad calcem mearum dilucidationum in Isagogen Porphyrij superioribus annis impressarum, pollicitus fueram, singulas Categorias Aristotelis, disputationesq; plurimas suis locis aptatas, vt iam voce explanaueram, ita scripto explanare typis excudendas. At ex eo quòd ad sacræ scripturæ cælestia arcana, & diuina mysteria animum applicuerim, ex eisq; maximam delectationem capere mihi ipsi videar, propterea his prolegomenis theorematibus tantum, ad ipsas categorias elucidatis contentus, eas omissi, vnius diuinæ doctrinæ aliqua commentaria ferè confecta & absoluta, Deo adiuuante prosequuturus. Accipe interea temporis studiosè lector has meas disputationes, easq; sedato animo perlegito; & quas hoc loco vocare selectas propterea velim, & ausus sim, quod de plurimis, quæ in tractatu harum rerum propositarum afferre potuissem, per multa omittens, potiora tantum, & vtiliora delegi, ea nempe quæ Aristotelis, vel eius interpretum obscuritatem, aut difficultatem illustrare poterant, vel continebant eruditionem aliquam considera tu, scituq; dignam, aut ex proprijs Aristotelicæ officinæ thesauris acceptam, aut extrinsecus petitam ex optimis disciplinis, & ad vtriusque philosophiæ vsum, & ornamentum accommodatam. Vale candide lector, quod si has meas qualescumque lucubrationes, non minus percurreris, quàm officioso studio correxeris, innumeras gratias tibi semper habebo.

D. PANCRATII MONACHI

Ordinis Vallis Vmbrosæ.

In Categoriarum Aristotelis nonnulla Theoremata à D. Arsenio Disputationibus illustrata.

EPIGRAMMA.



QVis quis amat tectam rerum sub mille volucris
Noscere naturam, consulat istud opus.
Hic Decas illa chao tandem distincta profundo,
Assidet; & proprio compta decore nitet.
Arsenius trutina partes dispescuit æqua,
Aptauitque suis singula quaque locis,
Asperiore terens lima exuberantia luxu
Aequa, & in numeros digerit inde suos.

VA FAY-

FAVSTI CORNALIS BRIXIANI

Carmen ad Lectorem.



Plendor, & ætatis decus indelebile nostræ,
Puppia quem summo laudis honore colit;
Arsenius monachus logicæ hos nunc edidit orsus;
Diuini interpres fidus Aristotelis.
Disputat: vtque vides, solerti indagine cuncta
Monstrat: & immensa totus abundat ope.
Hic logicæ laqueos, & cæca sophismata soluit:
Et verum excutiens hoc negat, illud ait.
Obscurosque aperit sensus: & nubila tollit.
Sic patet hoc libro, quidquid in arte latet.
Cui neque prætulerim vel digna volumina cedro.
Nec mihi priscorum dogmata pluris erunt.
Namque eadem multi quamuis scripsere magistri;
Non tamen exactè rem tetigisse reor.
Quid moror hic multis? sat erat laudare tacendo:
Nè, cum multa loquar, dicere pauca ferar.
Ergo age, si tantæ fieri cupis artis alumnus;
Si tua sollicitat pectora laudis amor;
Egregium hoc cape, lector, opus, studioque perenni
Excole; sit pluteo lucida gemma tuo.

Incerti.

Si præcepta cupis Dialectica noscere, lector,
Arduum, & egregiæ scandere lau is iter;
Arsenij hunc librum quo latè Puppia claret;
Perlege: perlecto ritè peritus eris.

Incerti.

Qui studet ardenti logicam perdiscere voto;
Et famam, & laudis præmia digna cupit;
Hoc sibi sumat opus, quo nil precio sius extat.
Peruoluatque animo, continueque legat.

De Auctore ad iuuenes.

CRVDELIS ferrum versat, quo sensibus Hortos
Purgat, quos Logico vomere Pallas arat.
Huc Iuuenes properate acres, non arceat horror.
In flores omnis vertitur ecce rigor.
Sit licet hic dumis crudelis, sit licet asper,
Sat placidus vestris est tamen ingenijs.



D. DA-

D. DAMIANVS PVCCINVS DE FLORENTIA *ordinis Vallisumbrosæ Præsidens Generalis.*

CVM disputationes has viginti tres quorundam Theorematũ ad Categorias Arist. à D. Arsenio Puppiensi, nostræ Cõgregationis Theologo, & Abbate, plures Theologi ac lectores tùm nostri tùm alterius ordinis, quib. id cõmisimus, recognouerint, ac in lucé edi posse probauerint, eo quod nihil quod sacræ doctrinæ, vel bonis moribus aduersetur, in ipsis inuenorint: facultatem concedimus vt Typis mandentur, si ita ijs ad quos pertinet videbitur. In cuius rei fidem has literas manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Florentiæ in Monasterio santissimę Trinitatis. Die 12. Settembris. 1611.

Dominus Damianus Puccinus Generalis.

APPROBATIO HVIVS OPERIS PER M. R. F. *Iacobum Saminiatum Lucensem ordinis Prædicatorum, & Theologum Illustris. & Reuerendis. Episcopi Aretini.*

IN gratiam auctoris legi diligenter librum, cui titulus est Disputationes 23. prologomenum Theorematũ ad librũ categoriarum Arist. spectantium, authore Arsenio Crudelio Puppiense congregationis Vallis Vmbrosæ Monaco, & nihil offendi in toto hoc opere quod esset Christianæ fidei, aut bonis morib. dissentaneũ; sed potius quæ in hoc libro continẽtur esse sentiũt maximè Arist. & meliorum Philosophorũ, & Theologorũ doctrinæ; meritoq; laudari debet Authoris diligentia, qui veluti argumentosa Apis, per omnes omnium authorum libros, qui de prædicamentis scripserunt circumuolitans, ex vnoquoque elegit illud quod ad huius operis mellificium optimum esse iudicauit. Quamobrem dignum esse existimo librum hunc, qui in lucem prodeat ad iuuenum prę̨sertim qui Philosophiæ incumbere volunt, vtilitatem.

In conuentu S. Dominici de Aretio. Decimo Kalendas Martij anni *1606.*

F. Iacobus Saminiati Lucensis ordinis Prædicatorum, & Theologus Illustris. ac Reuerendis. Episcopi Aretini.

APPROBATIO PER M. R. F. DOMINICVM GOrium, *ordinis Prædicatorum.*

EGO F. Dominicus Gorius ord. Præd. S. Theologiæ in Cõuentu S. Mariæ de Florẽtia Lector primarius, perlegi has disputationes, & prolegomena ad Arist. categorias A. R. Ab. D. Arsenij Crudelij; easq; ne dum Christianę pietati, & bonis moribus consonas inueni; quin adeo summa dexteritate, & subtilitate plurimæ ex logicalibus, & metaphysicis obscuriores difficultates, examinantur, vt merito ad publicam vtilitatem lucem desiderent.

In quorũ fidé his propria manu subscripsimus, die 28. Dec. 1610.

F. Dominicus Gorius, qui supra manu propria.

5



INDEX PRIMVS.

DISPVTATIONVM OMNIVM.

QVAE IN HOC VOLVMINE Continentur.



6

DISPVTATIO XIII.

An ſubſtantiæ potiori ratione in ſuo Prædicamento reponantur; quatenus abſtractis, vel concretis nominibus reſpondent.

DISPVTATIO XIV.

An arte facta, in aliquo Prædicamento per ſe locum habeant.

DISPVTATIO XV.

An omnia quæ ſunt, & cogitari poſſunt, ſint reponenda in prædicamentis.

DISPVTATIO XVI.

An Prima intelligentia, qui eſt Deus, ad vnum vel plura Prædicamenta aliquo modo pertineat.

DISPVTATIO XVII.

An ſubſtantiæ ſeparatæ citra Deum, ad aliquem Prædicamentorum ordinem per ſe ſpectent.

DISPVTATIO XVIII.

An Corpora Cæleſtia in Prædicamento ſubſtantiæ contineantur.

DISPVTATIO XIX.

An ens dicatur purè æquiuocè de decem generibus.

DISPVTATIO XX.

An ens dicatur vniuocè de decem generibus.

DISPVTATIO XXI.

An Analogum multis modis dicatur.

DISPVTATIO XXII.

DISPVTATIO XXIII.

Finis Indicis Diſputationum.

I N-



Index Secundus.

IN QVO SECTIONES SINGVLARVM DISPVTATIONVM

Suo ordine Disponuntur.



DISPVTATIO PRIMA.

Habet Sectiones Tres.

SECTIO PRIMA.

Hieronymi Balduini & aliorum affirmantium librum Prædicamentorum, non Logicum sed Metaphysicum esse, fundamenta & rationes referuntur.

SECTIO II.

Librum Prædicamentorum esse Logicæ considerationis, illustrium virorum authoritate & rationibus ostenditur.

SECTIO III.

Hieronymi Balduini Rationes soluuntur.

DISPVTATIO II.

Habet Sectiones Sex.

DISPVTATIO III.

Continet Sectiones Tres.

INDEX.

DISPVTATIO IV.

Amplectitur Sectiones Quatuor.

DISPVTATIO V.

Complectitur Sectiones Octo.

S E-

S E-

S E-

SECTIO VI.

DISPVTATIO XVIII.

Complectitur Sectiones Tres.

SECTIO I.

SECTIO II.

SECTIO III.

DISPVTATIO XIX.

Habet Sectiones Tres.

SECTIO I.

SECTIO II.

SECTIO III.

DISPVTATIO XX.

Continet Sectiones Tres.

SECTIO I.

SECTIO III.

DISPVTATIO XXIIII.

Complectitur Sectiones Tres.

SECTIO I.

SECTIO II.

SECTIO III.

Finis indicis Sectionum singularum Disputationum.



INDEX TERTIVS RERVM AC SENTENTIARVM NOTABILIVM.

Quæ in hoc volumine continentur. Alphabetico ordine congestus.

In quo primus numerus paginam significat: secundus columnam eiusdem paginæ designat.



A



Con-

Esse

F

G

H

I

Indu-

N

Ope-

O

P

R

T

Vnio

F I N I S.

Errata sic corrigenda, primus numerus denotat paginam secundus columnam, tertius versiculum.

.1 Pag.5.col.1.vers.34 præfatio,præfatione.5.2 5.intensionibus,intentionibus.12. 2,13. reddantur , reddamur.13.1.2.qua ea,quòd ea. 44.2.31 eadem rem,eamdem rem.45.2.28. propotio , propositio. 48. 1.43. sunt res,sunt tres 53.2 41.nationes,notiones.61.2.4.textu ius,textu 19. 61. 1 32.prædicamenta,predicata.69.1.23.relatius, relatiuis. 70. 1.2. situ,situs.71.1.7.dicentur,dicuntur.73.1.5. entrinsecum , extrinsecum. 77.2.26.maieralibus,materialibus.78.1.36.suerficies,superficies.81.2.4.dissiniantur,diffiniuntur. 84. 2. 20. inter quantitatem ; & qualitatem. 101.1.25 rationes,rationis.107 2 30 nullius,nullus.118.2 44. in passio, in passo.123.1.25.& esse,& est.133.2.37.generalibus,generibus. 137.2.30.denom intrinseca,extrinseca.141.1.42.quia sint,quia stat.147.2.11. quantitatus,quantitates.147.2.19.per motum,per modum.154.2.2.quę in tertio,in quarto. 154.2.9.vt tertium,vt quartum.156.1.21.Habitus, Quando.172.2.5.primò,idest.175.2.8. independentiæ , independentia. 180 2.6 in materiæ in materia.182.1.11.prædicamentum,prædicatum. 185.1.19.lactus,lectus 200 2 22 & quod,eo quod.213.2. 5. & prædicamenta,& prædicatum.215.2.23.Accidens; Antecedens.230.1.33. raaione,ratione 231.2.28 inniorum,iuniorum 232.1.35.mensuratum,mensuram.238 2.30 quidditus,quidditas.240.1.34 determina rei, determinaret.266.2.43.primala,primam.277 2.10.dignum,signum.

Benigne lector, nescio qua incuria vel indiligentia in hoc opusculo fuerint prætermissa nonnulla verba, quorum defectu, propositarum sententiarum corruptus sensus, vel manca intelligentia lectori accurrit. Ideo ad paginam, & columnam, & versiculum enumerata, apposueris verba, quæ hoc signo demonstrantur † vt integrum sensum sententiarum percipere possis.

Pag.142.col.1.vers.13.suppleatur, † sed circumscriptio est relatio. 166.2.16.† extrinsecè denominabit † 167.1.24.† Denominans ob id dicitur denominans,quod.174.1.21.† ergo quando diffiniuntur,non diffiniuntur per aliquod.178.1.40.† ergo subiectum à significatione accidentis,nunquam.197.1.32.† & id quod accidit.204 2.11. † vel in ratione mensuræ , & sic in prædicamento quantitatis reponuntur , sicut & mensura in eo prædicamento collocatur : vel ratione figuræ , & sic in prædicamento qualitatis constituuntur 209.1.4 † Accidit vt non entia, à prædic.serie.226.2.19.† loci dicit.230.1.9.† est tamen .

20

DISPVTATIO PRIMA.

An liber Prædicamentorum sit Logicæ vel Metaphysicæ considerationis.

SECTIO I.

HIERONYMI BALDVINI,

& assectarum, affirmantium librum Prædicamentorum, non Logicum sed Metaphysicum esse, fundamenta & rationes referuntur.



DIFFICILIS sanè, sed vtilis disputatio proponitur, de qua non solũ antiquiores, verumetiam & recentiores Phylosophos inter se contendere ex ipsorum commentarijs sit omnibus manifestum. Nam Latinorũ quidam, inter quos Hieronymum Balduinum Philosophorum sua ætate perillustrem reperio; arbitrantur Prædicamentorũ librum haud logicum, sed metaphisicum esse: ad quam positionem firmandam his rationibus mouentur.

1 Ad eamdem scientiam vel artem spectat considerare de speciebus, principijs, & affectionibus siue passionibus subiecti, ad quam attinet eiusdem subiecti cõsideratio: sed consideratio Entis tanquam de subiecto, ad metaphysicũ spectat; ergo consideratio de principijs, passionibus & speciebus entis, qualia sunt decem Prædicamenta, ad metaphysicũ spectabit. Ex quo fit consequens, librum Prædicamentorum non esse logicum sed metaphysicum. maior propositio est Aristotelis in li. 1. post: textu 42. Quo in loco scribit, vna scientia est vnius generis subiecti partes & passiones considerans. minor ex textu 1. libri 4. metaph. habetur:

Vnius scientia est considerare subiectum & subiecti passiones.

tur: vbi dicitur, metaphysicum contemplari ens quatenus ens, & ea quæ huic insunt secundum se.

2 Præt. Modus considerandi à modo diffiniendi sumitur: sed in libro Prædicamentorũ diffiniũtur Prędicaměta quatenus sunt entia; ergo quatenus entia ibidem considerantur: at horum consideratio quatenus entia, & res, est muneris metaphysici, ergo liber prædicamentorum est metaphysicus: maior vt omnibus probatissima recipitur, minor sic probatur: Diffinitio substantiæ, quantitatis, qualitatis, ac cęterarum non conuenit eis, nisi quatenus entia & res sunt.

3 Qualibet accidentia quæ demostrantur, debent conuenire per se, propriè, & in quãtum insunt ipsi subiecto de quo demostrantur: Sed accidentia seu proprietates quæ prædicamentis inesse demostrantur, non alio modo illis conueniunt, nisi quo entia & res sunt: ergo liber Prædicamentorum est metaphysicus, cuius est entia & res contemplari. Maior est Aristotelis libro 1. post. tex. 19. Minor probatur; esse susceptiuum cõtrariorum; suscipere magis & minus; esse æquale vel inequale, simile vel dissimile, nõ conueniunt prędicamětis, nisi quatenus sunt entia & res.

4 Quidquid sub alicuius sciẽtiæ vel artis consideratione cadit, vno horũ quattuor modorum se habet; vel vt subiectum, vel vt principia, vel vt partes, vel vt passiones: sed prædicamenta sub nullo horum modorum in logica considerantur, ergo liber Prædicamentorum non est pars logicæ, sed metaphysicæ. maior propositio ex lib. 1. post. tex... elicitur. minor inductione clarescit. *Res in scitia 4. modis se habet.*

5 Quidquid in aliqua arte per se consideratur, continetur per se sub modo considerandi illius artis: sed prędicamenta non continentur per se sub modo considerandi ipsius logicę, ergo neque per se in ea considerantur: & ita fit consequens, vt prædicamentorum liber non sit logicus. Maior propositio est Aristotelis in lib. 1. post: textu 42. Minor probatur. Supposito nunc quod modus considerandi logicæ sit esse instrumentum ad alias scientias: tunc arguitur. Modus considerandi sumitur à modo diffiniendi. Sed Prædicamenta nõ diffiniuntur in logica tanquam instrumenta, sed tanquam res, ergo neque vt instrumenta cõsiderantur: quapropter eorum consideratio ad logicum non spectat.

6 Qualibet in arte considerata à proprio fine illius artis necessitatem sumunt, ita vt ea ars tanta ac talia consideret, quanta ac qualia ad finem illius necessaria sunt: Sed ea quæ in libro Prædicamentorum considerãtur, neque sunt necessaria, neque ad finem logicæ ducunt, igitur Prædicamenta à logico non considerantur.

rantur. maior in cap. 6. libri 3. Ethicorum habetur minor probatur; ſuppoſito, finem logicæ eſſe diffinitionem ad quã Demonſtratio ordinatur, quę non cognoſcitur ſyllogiſmo ignoto: neq; ſyllogiſmus ꝑpoſitione ignota; neque hęc, nõ cognitis ſimpliciſſimis principijs quæ ſunt nomẽ & verbũ, adſquę fit vltima reſolutio eo quod ipſis nomine, & verbo, nihil ſimplicius in logica datur: & ita concluditur librum Prædicamentorũ non eſſe logicum

7 Præt. Ariſtoteles in lib. 5. metaph. eodẽ mõ diffinit prædicaméta, quo & in libro prædicamentorũ: Sed in metaph. diffiniuntur tanquam entia & res: ergo vt entia & res in libro quoq; prædicamẽtorum diffiniuntur: erit itaque talis liber, nõ logicus ſed metaphyſicus.

8 Modi prædicandi, quibus Ariſtoteles Prædicamenta diſtinguit, fundantur in modis eſſẽdi per quos ipſamet prius diſtinguantur quã per modos prædicandi: Sed ſolus Metaphyſicus agit de modis eſſendi, ergo ad eumdem ſolum agere de Prædicamentis ſpectabit.

9 Prædicaméta nõ ſunt aliud niſi quædam ſeries generum, ſpecierum & indiuiduorũ: ſed agere de generibꝰ, ſpeciebus, & indiuiduis (quatenus de indiuiduis diſputari poteſt) ad ſolum methaphyſicũ ſpectat; ergo tractare de Prædicamentis ad eumdem primum Philoſophũ ſpectabit. minor probatur: Genera & ſpecies ſunt quædam affectiones entium quatenus ſunt entia; quemadmodũ Ariſtoteles ad calcem c. 2. libri 4. metaph. ſcribit. Igitur cum metaphyſicus agat de ente quatenus ens, ita de eiuſdem affectionibus agere debet.

Pręt. Prędicaméta quattuor 10
modis conſiderantur; vel vt nomina tãtùm, & ſic in libro Periher. fit de illis conſideratio; vel vt termini in cõmuni; & ita in libro Priorum conſiderantur; vel vt prædicata in quid & in quale, & ſic in libro Topicorũ; habẽtur vel vt Prædicata per ſe, & ita in lib. 1. poſt. fit de ipſis contemplatio. Ergo non eſt dare quatenus in lib. prædicamentorum tractentur. Hanc eamdem ſententiam ante Balduinũ habuit Andronicus Rhodius. & inter recentiores Mirandulanus eã amplectitur.

SECTIO Secunda.

Librum Prędicamentorum eſſe logicæ conſiderationis, illuſtrium virorum auctoritate, & rationibus oſtenditur.

SI vera eſt ea Ariſtotelis ſententia, quam cap. 1. libri 1. Topicorum ſcriptam reliquit. videlicet, illud eſſe probabile, quod videtur omnibus, aut plurimis, aut ſapientibus: &

his vel omnibus vel plurimis, vel his maximè familiaribus & probatis: me nō admirari haud posse fateor, quam ob causam doctissimi illi Philosophi considerationem prædicamentorum ad solum Metaphysicū spectare contendant: cum ipsorū opinio tàm Græcorum quàm Arabum, nec non Latinorum sententiæ aduersetur: qui omnes Categoriarum librum, non modo logicæ partem, sed primam faciunt: nisi quod dicunt eam indigere aliqua introductione, qua explicetur quid sit Genus, Species, Differētia, & alia quædam, quæ Aristoteles ex Topicis potissimum à Præceptoribus depromēda voluit: & eam tandem introductionem Porphyrius in gratiam Chrysaorij confecit. Legātur amabò perillustres viri, & inter Aristotelis solertissimi interpretes Ammonius, Simplicius Boetius, Auerroes, Albertus cognomento magnus, ad initium libri Prędicamentorum. Scotus q. 1. & 2. Burleus, Paulus Venetus in antepræd. cap. 5. dubio 3. Caietanus, Sotus, Toletus ad initiū libri Præd. Iacobus Zabarella in lib. 2. de natura logicæ c. 3. & 4. & tandem Petrus Fonseca in lib. 5. metaph. c. 7. q. 1. per totum. Hi nanque omnes uno ore fatentur prædicamentorū considerationem nedum metaphysicam, sed etiam logicam esse: sub alia tamen & alia ratione Logicum à Metaphysico ea considerare, quemadmodum in obiectionum solutionibus dilucidabitur. Igitur ex illustrium horū Philosophorum authoritate, cōcludatur, librum Prædicamētorum sub logica consideratione contineri.

Communis opinio

Solutio.

Quod si quidam temeritatis ausu, ita immodestè in vniuersos hos perillustres viros inuehantur, vt asserant consuetudinem fuisse huius erroris occasionem: & ea propter Peripatetico nomine ipsos haud dignos nominent; videāt quęso hi, ne tàm peruerse se ipsos ament, adeò vt malint grauissimos viros tātosq; Auctores errasse, ac si soli ipsi veritatem indagauerint. Ad assertiones tamen & conclusiones deueniamus.

Cōfutatio

Conclusio 1.

Sit prima Conclusio. Consideratio libri Prædicamentorum, etiam ad logicū spectat. probatur his rationibus.

Partes simplices ad aliquā compositionem construendā ordinantur: ergo liber prædicamentorum ad librum Perihermenias, ex necessitate ordinatur: ergo liber prædicamentorum est logicus: atque per consequens ipsorum consideratio ad logicum spectat. Cōsequentiæ hæ ex eo tenēt, quod liber Perihermenias est logicus, quod assertū negare aduersarij non audent. Prior consequentia hoc modo probatur: in libro Perihermenias agitur de composito, scilicet de ennunciatione, & in libro Prædicam. de terminis simplicibus, qui sunt enunciationis

partes:

partes: vnde Aristoteles in antepręd. cap. vltimo nuncupauit Prædicamenta entia incomplexa, quia sine complexione dicuntur.

Impugnatio. Ad hãc rationem aduersarij negant consequentiam & illius probationem, eo quod velint nomen & verbum esse enunciationis partes simplicissimas, ita vt ipso nomine & verbo nihil simplicius in logica detur; de quibus Aristoteles in libro Peryhermenias agit. Ex his inferunt duo; vnũ, Prædicamentorũ librum non bene logicæ præponi, eo ꝙ à libris Peryher. inchoari debet. alterum, eumdem librum ex lib. 5. meth desumptum, esse collocãdum inter logicam & cæteras facultates, quę ordine doctrinæ sunt ipsa logica posteriores: accuratam autem ipsorum explicationem ad initium libri septimi meth. spectare.

Solutio. Sed huiusmodi impugnatio nullius nomẽti est, in eo quod asserit nomen & verbum esse quid simplicius quod in logica assignetur. Cuius asserti falsitatem ex Ammonio in Prædica præfatio colligere licet. Etenim cum nomen sit vox significatiua, (hoc modo ab Aristotele diffinitur) tunc significatum per ipsam erit ipsa voce significante quid simplicius.

Præt. petitur ab ipsis quid per nomẽ intelligãt: an quatenus est terminus primæ intentionis, vel secũdæ simpliciter, vel vt secundæ adiunctus primæ. non primum, quia tales termini à logico non considerantur: non secundum, quia tunc propositio ex secundis intensionibus simpliciter conficeretur, quod est falsum; qa nomẽ vt sic, nihil aliud dicit, nisi vt est pars orationis declinabilis cum casu & numero: Si tertiũ, ergo reducitur semper ad aliquod Prædicamentũ quòd significat: & ita Prædicamentum erit quid simplicius ipso nomine, quod ad ipsum significatum reducitur.

Pręt. ad eamdem conclusionem arguitur secundo principaliter quadam ratione sumpta ex Simplicio ad finem Pręfat. sic. Aristoteles in extremo capite Antepræd. numerãs ea quæ sine complexione dicuntur, vt substantia, quantitas, qualitas, & reliqua: inquit quod singula Prædicamenta secundum se in nulla affirmatione vel negatione dicuntur: horum autem ad se inuicem complexione, fit affirmatio & negatio. In quibus verbis est ac si dicat, quod singula Prædicamenta simpliciter & solitariè sumpta enunciationem non faciunt: at si verbo coassumantur, tunc enũciant cum affirmatione vel negatione. Ex qua Aristotelica authoritate duo colligũtur; vnum, quod Prædicamenta sunt enunciationis partes; aliud, quod cum hanc constituant, tunc logicam subeunt considerationem, nõ secus q̃ affirmatio, & negatio considerationi logicæ subijciantur. *Prædicamẽta secũdum se dicũtur sine affirmatione & negatione.*

Impugnatio. Ad hāc rationem, qua Simplicius pro Achille vtitur: Balduinus distinguit. Prædicamēta esse enunciationis partes, posse bifariā considerari, vno modo per se, & hoc modo nomen & verbum solùm sunt illius partes: altero modo per accidens, & ita conceditur quod Prædicamenta sunt enūciationis partes: Sed verba Aristotelis concluderent, si dixisset Prædicamenta esse enunciationis partes per se, & immediatas: at quod Prædicamenta sint enunciationis partes per accidens, pluribus modis probatur.

1 Aristoteles in libro primo post. textu 22 scribit illa esse per se, quæ per diffinitionem sunt talia, quæ verò non sic, tunc sunt per accidens: Sed nomen & verbum, & nō Prædicamenta in enunciationis diffinitione ponuntur, ergo nomen & verbum sunt partes enunciationis: Igitur Prædicamenta sunt enunciationis partes per accidens; minorem adhuc probat authoritate Aristotelis ad initium primi capitis libri primi Periher. dicentis: Primum oportet constituere quid nomen, quid verbum, postea quid affirmatio, quid enunciatio; ergo nomen & verbum solùm sunt partes per se enunciationis.

2 Secundo, Illud est per accidens tale, quod est per aliud, vt in lib. 1. post. textu 11. Aristoteles docet: Sed Prædicamenta sunt partes enunciationis quatenus nomina; et nō quatenus Prędicamenta; ergo per accidens sunt enunciationis partes.

Tertio, enunciatio absque Prædicamentis constitui pōt, ergo Prædicamenta concurrunt per accidens ad enunciationem construendam: cōsequentia ex se ipsa est nota. Antecedens probatur: Prædicamenta sunt termini metaphysicales; & enunciatio fieri potest ex terminis naturalibus, vel aliarum scientiarum & artium. 3

Solutio. Haud difficile fit has obiectiones solutas dimittere: sed mirum est, quomodo vir sua ætate illustris ac celebris in re tā aperta, & omnibus Philosophis receptissima, voluntariè aberrauerit, ita vt dixerit Prędicamenta esse enunciationis partes per accidēs: Nos igitur suis obiectionibus satisfacturi, distinctionem assignamus, & dicimus, quod quemadmodum alicuius artificiati seu naturalis compositi partes sunt duplices, aliquæ propinquæ & immediatæ, aliquæ remotæ & mediatæ. v. g. alicuius domus partes proximæ & immediatæ, sunt fundamenta, parietes, & tectum: remotæ verò cæmentum, ligna & lapides: & Socratis principium proximum & immediatum est homo, animal autem remotum & mediatum: ita enunciationis partes constitutiuæ sunt duplices, quædā propinquæ & immediatæ, & hæ sunt nomen & verbum: quædam remotæ & mediatæ, & hæ *Partes enūciationis propinquæ & remotæ.*

hæ sunt ipsa Prædicamenta, & sicut nos dicimus cęmētū, ligna, & lapides, non esse partes domus per accidens sed per se, eo quod proximorum partium rationes ingrediuntur: neque dicimus animal principium Socratis per accidens, eo quod ingreditur per se rationem hominis, qui est principium proximum Socratis: ita non dicimus Prædicamenta esse partes per accidēs enunciationis, cum nominis & verbi rationem ingrediantur: necessarium enim est nomina & verba sub aliqua prædicamentorum coordinatione collocari, cum sint voces rerum significatiuæ. Videatur de hac re Ammonius in præfatione Prædicamentorum. Præterea, si prædicamenta dicerentur partes enunciationis per accidens, eo quod remotè & mediatè eam ingrediantur; pari ratione nomen & verbum erunt partes Syllogismi per accidens, & enunciatio demostrationis; quandoquidem partes propinquæ syllogismi sunt enunciationes, nomen & verbum nō nisi remotæ. Concludatur igitur, quod etsi Prædicamenta sint partes remotæ enunciationis, non tamen per accidens, sed per se eam ingrediuntur, & hoc modo prima obiectio diluitur.

Ad secundū. Iam super Porphyrium, Disput. 7. dilu. 2. diximus, quod per accidens dupliciter sumitur, primo vt distinguitur cōtra per se, in alio quo modo perseitatis, sicut dicimus quod homo est per se animal, vel risibilis: alio modo per accidēs, vt sonat idem quod per aliud: qui modus per aliud nō opponitur huic modo per se simpliciter, sed huic per se primo: quapropter non est idem dicere per aliud, & per accidens: etenim dicimus hominem esse sensitiuū per aliud, nempe per animal, non tamen dicimus sensitiuū inesse homini per accidens. Ad rem autem quādo in argumento dicitur: Illud est p accidēs tale, qđ est per aliud: proposito ad hunc sensum est intelligēda, quod ea quæ sunt per aliud talia, nō sunt per se primo talia, sicut homo nō est per se primo sensitiuus, sed quatenus animal: ita Prædicamēta sunt per aliud .i. per nomen & verbum partes enunciationis, & nō per se primo.

Per accidēs dupliciter.

Ad authoritatem Aristotelis ex primo libro post. textu 13. respondetur, quod intentio Philosophi eo in loco est, ostendere quod habere tres angulos æquales duob. rectis licet insit Isoscheli & triangulo, tamē inest triāgulo per se primo, & Isoscheli ratione triāguli, eo qđ Isoscheles sit trianguli species: & quamuis insit Isoscheli habere tres per aliud, non tamen inest ei per accidēs, sed nō per se primo, & immediatè: ita Prędicamēta non per se primo, sed ratione nominis & verbi enunciationem ingrediuntur: tamen nō sequitur, quod sint enun-

ciationis partes per accidẽs, vt dictum est.

Ad tertium negatur antecedens, ad cuius probationẽ respondetur, enunciationẽ posse fieri absque Prædicamẽtis, dupliciter cõsideratur, primo absolutè idest sine omnibus Prædicamentis, & hoc est falsum, eo quòd sunt enũciationis partes simplicissimæ, ad quas ꝓximiores enũciationis partes, scilicet nomen & verbum tandem reducuntur, vt dictum est. Alio modo absq; hoc & illo Prædicamento, & sic est verum: nã quemadmodum materia prima potest esse sine hac & illa forma, non tamen sine forma absolutè: & corpus sine hoc vel illo loco, non tamen simpliciter sine loco: ita enunciatio conficitur sine hoc vel illo Prędicamento, non tamen sine omni Prædicamento absolutè, in quacunque arte seu scientia.

3 Præterea tertio principaliter ad eãdem cõclusionem arguitur ratione sumpta ex S. Thoma ad initium libri primi peryhermenias sic. Quemadmodum prima operatio intellectus ad secundam, & secunda ad tertiã se habet, ita liber Prædicamẽtorum ad cæteros logicę libros se habere debet: Sed prima operatio intellectus est ad secundã, & ad tertiam eiusdem intellectus operationem necessaria; ergo & liber Prædicamẽtorum est ad reliquos logicę libros necessarius: & ita per consequẽs erit liber logicus, et nõ methaphysicus. maior propositio ex rerum et operationũ intellectus connexione procedit; minor ex eo fit nota, quod tertia operatio intellectus quæ est discursus siue ratiocinatio quæ fit per syllogismũ, non est sine secunda, quæ est compositio & diuisio, siue affirmatio & negatio: & hæc absque simplicium terminorum cognitione non cõficitur: quorum simplicium terminorum notitia in libro Prædicamentorum habetur, sicut enunciatio in libro Peryhermenias, & discursus in libro priorum & posteriorum tractatur.

Operationes tres intellectus.

Contra hanc rationem, quidam in hunc modum arguũt. Nomen & verbũ sunt termini simplices, ergo saltẽ tractatus ĩ quo de his agitur, deseruire potest primæ operationi intellectus, & ita liber Prędicamẽtorum non erit logicæ necessarius. 1 *Impugnatio.*

Confirmatur authoritate Auerrois, qui in epitomis logicæ, capite de rebus compositis, inquit, quod etsi notitia Prędicamentorũ adiuuet formationẽ: nostræ tamen intentioni quam intendimus, non est necessaria: quod iterum in sequenti capite de Prædicamentis affirmat. 2

Ad primum, Porphyrius in commentarijs Prædicamentorum per formã interrogationis & respõsionis ab ipso editis, soluit, quod in libro Prędicamentorũ instituta est disputatio de prima dictionum impositione, qua res significantur, *Solutio.*

tur, sed in libro Peryh. agitur de secunda: nō enim de dictionibus res significantibus, quatenus sunt rerū significatiuæ, ibi sermo habetur, sed de dictionibus formam vocū significantibus, quatenus formæ eiusmodi sunt: forma siquidem vocis est, vt sit nomen vel verbum.

Vel cū D. Thoma dicatur, voces simplices posse trifariā cōsiderari, vno modo vt sunt rerum significatiuæ, & earum loco ponuntur, & sic ad Prædicamenta spectāt: altero modo vt sunt enunciationis partes, & ita ad librum Peryhermenias pertinent: tertio vt syllogisticum ordinem habent, qui in tribus terminis & propositionibus consistit, & ita ad libros Priorum referūtur: ex. D. Tho. ad initium libri primi peryher. elicitur.

Ad secundum quod ex authoritate Auerrois procedit, respondetur: quod cum Auerroes in tractatu Prædicamentorum afferat ipsum librū in logica esse necessarium, imò in ipsamet facultate primum sibi vendicare locum: ideo in epitomis non intendit negare Prædicamentorum necessitatem simpliciter & absolutè: sed quia eo in loco loquebatur de formatione, idest de Diffinitione, ideo dixit Prædicamentorū notitiam non esse necessariam, proximè scilicet & immediatè: Sed quia à remotis in ea ponuntur, ob id ad eam adiuuare dixit: illorum tamen necessitatem simpliciter non negauit.

Præt. ad eamdem conclusionem corroborandā sic arguitur. Tractare siue de nominibus, siue de rebus æquiuocis, vniuocis & denominatiuis, munus est logici, cum ij sint termini secundæ intentionis: ergo liber Prędicamentorum est logicus. Consequētia probatur ex eo, quod in priori parte eiusdem, hæc tractātur. Neq; dici potest quod Aristoteles eo in loco diffiniat res quatenus absolutè sunt res: quia res vt res, non habent quod sint ęquiuocę, vniuocę, vel denominatiuæ, nisi ex operatione intellectus circa ipsas negociantis: & quamuis exēpla de rebus primæ intentionis ibi apponantur, meminisse oportet id quod super Porphyrium sepè diximus, videlicet, quod secundæ intētiones in primis fundātur; vel huiusmodi exempla dantur, vt ea quæ in primis dicuntur, facilius deinde in secundis percipiantur.

Postremū: Si liber Categoriarū à logica consideratione excluditur, cuius igitur scientiæ aut disciplinæ erit pars? quod si quis ad Methaphysicā eum transferat, sicut Balduinus transferendum esse affirmat: videat quæso quomodo tàm leuis ac rudis tractatus qualis est ipse Prædicamentorum, in quo Aristoteles docet omnia sine vlla demōstratione, nulliusque rei causam assignat, ad eam altissimam scientiam, qualis est Methaphysica.

ca, pertinere possit? quòd si alterius sciētiæ sit pars, cuius igitur sit, assignetur: non enim ad aliquam naturalium scientiarum reduci potest, vt ipsi Aduersarij concedunt: multo minus ad aliquam actiuarum, cum harum nulla sit, quæ indigeat omnium rerum cognitione, non modo perfecta & exquisita, sed neque rudi & imperfecta; quod si nullius Disciplinæ sit pars, ergo inutilis prorsus erit Categoriarum liber, & frustra ab Aristotele confectus: etenim, ipse per se ipsum aliquam facultatē constituere aptus non est. Concludatur igitur librum Categoriarū, nō ad methaphysicam, sed ad logicam pertinere.

SECTIO Tertia.

Hieronymi Balduini, & aliorum asserentium librū Prędicamentorum esse Metaphysicum, Rationes soluuntur.

SVperest nunc vt Rōnes soluantur, quibus Aduersarij affirmant librum Categoriarum non esse logicum, sed methaphysicum: nam ex harum rationum solutione, ipsa veritas magis elucescet.

Ad primū ergo respondendum est ad maiorem propositionem cum distinctione, videlicet: Principia, Partes, & Passiones alicuius subiecti considerari in eadē scientia in qua ipsum subiectum cōsideratur secundum eamdem rationem formalem considerationis subiecti: Sed secundum aliam & aliam rationē formalem posse in alia scientia considerari & tractari, nullum absurdum subinde oritur. Ad minorem postea propositionē dicitur, quod quemadmodum in Methaphysica tractatur de ente quatenus ens, ita Prædicamenta quatenus entia, entiumque affectiones, ibi pertractantur. Sed apud logicum sub alia ratione, videlicet prout dicunt quemdam respectum ad rationem, considerantur: neque inconuenit quod de iisdē rebus alio & alio modo spectatis diuersæ scientiæ disputent, quo pacto Physica & Geometria de magnitudine tractant: siue quatenus ex proprijs principijs ædem conclusiones omnino probantur, qua ratione naturalis Philosophus & Astrologus demostrāt terram esse rotūdam; & eadem linea numero, à Mathematico & à Physico consideratur; à Mathematico inquantum est longitudo, à Physico inquantum est terminus corporis mobilis. Ita Prædicaméta quatenus res, à Methaphysico, quatenus autem ad rationem habēt respectum, à logico spectantur. videatur Scotus, q. 2. Burleus, Paulus, & alij expositores ad initium libri Prædicamentorum.

Res qualiter in diuersis sciētijs cōsiderentur.

Ad secundum, eo quod minor sapit falsitatem, ob id neganda est, videlicet, quod in

hoc

hoc libro diffiniantur Prædicamenta quatenus entia sunt: & ad illius probationem multiplex solutio reperitur. Albertus magnus tract. 1. cap. 2. inquit huiusmodi entia non tractari in hoc libro quatenus entia, & naturę sunt; nã hoc est munus Methaphysici: sed quatenus secundum subiectionem & prædicationẽ sunt ordinabilia, quod cõfirmat Burleus, dicẽs Prædicaméta hinc tractari per respectum ad secundas intentiones. Paulus Venetus, in cap. vltimo Ante pręd. distinguit, prædicamenta posse duobus modis considerari, vno penes modos essẽdi, & sic à Methaphysico consideratur; altero penes modos prædicandi, qui in modis essendi fundantur, & sic logicã subeunt cõsiderationem: quã solutionem habet etiam Petrus Fonseca quæst. citata.

Albertus. *Burleus.* *Paulus.* *Fonseca.*

Deinde negatur qđ in hoc libro assignentur diffinitiones Prædicamẽtorũ, quatenus entia sunt: quod in principaliori pręedicamento substãtiæ facilè cognoscitur. Etenim Aristoteles diffinit primã substantiam per non dici, & non esse in subiecto. Item secundæ (inquit) substantiæ dicũtur Genera & Species, in quibus illæ quæ principaliter substantiæ dicuntur, insunt; adhuc subdit: eorum quæ de subiecto dicuntur, necesse est & nomen & rationem de subiecto prædicari, vt homo de subiecto quodã homine dicitur. Præt. addit, quod secundarũ substãtiarum species est magis substantia quàm genus. ac tandẽ quærens, num inter ipsas species vna sit altera magis substantia, hoc modo respondet. Ipsarũ verò specierũ quęcunque non sunt Genera, nihil magis alterum altero substantia est. Ex hac itaque verborum serie, consideret quis, an in hoc loco diffiniatur substãtia quatenus est ens reale, vel prout ad rationem habet respectum, cum ad secundarum intentionum terminos huiusmodi diffinitiones dirigantur.

Si quis obijciat Aristotelẽ toto huius tractatus progressu apponere exẽpla de rebus: ergo Prædicamenta tanquam res tractantur. Respondeatur cum Boetio, res in hoc loco apponi, quia voces nõ plenè explicantur, nisi præsupposita aliqua rerum cognitione. Vel dicaĩ, et forte melius, qđ cum secundæ intentiones in primis fundentur, & ab illis ortum ducant, ob id exempla de primis dantur, vt id quod in secundis significatur, in primis exerceri cognoscatur: logica enim est de secundis intentionibus adiunctis primis, sicut Auicenna testatur.

Obiectio. *Solutio.*

Ad tertium respondet Scotus, q. 2. quod passiones sibi inhærentes, demõstrantur de illis inquantum sunt Generalissima: vt de substantia vniuocè prædicari; nõ esse in subiecto; videri hoc aliquid significare; & similiter de cæteris generibus determinatur secũdum talem rationem: quia inquantum

Scotus.

quãtum Generalissima in suas species diuiduntur; & illæ in alias: nam diuidi in multas species, habere species subalternas; non habere genus superueniens, sunt passiones Prædicamentorũ quatenus sunt Generalissima. Et subdit, quod si de alijs determinatur, quæ his generalissimis insunt quatenus sunt entia, hoc nõ esse ad principalem intẽtionem, sed ad maiorem manifestationem ipsorum quo ad Prædicata intentionalia.

Paulus. Secũdo, Paulus Venetus in cap. 5. Antepręd. dubio 3. inquit, quod quemadmodũ Prædicamenta habent duplex esse, videlicet reale, secundum quod sunt extra animam; & esse rationis, secundum quod obiectiuè sunt in intellectu: ita proprietates ipsorum habent duplex esse in ipsis, scilicet reale, & rationis: logicus igitur cõsiderat proprietates Prædicamentorum vt sunt in illis secundum esse rationis: eo quod considerat eas quatenus conducunt in cognitionem ipsorum quo ad suos modos prædicandi.

Tertio, Alij respondent, qđ illa maior propositio qua dicitur: Quælibet accidentia quæ demonstrantur, debent per se propriè, & secundum quod ipsum subiecto cõuenire, intelligitur de passionibus proprijs, quæ per verã demõstrationem ab Aristotele in libro primo post. explanatam, demonstrantur, at quæ prædicamentis insunt, per operationẽ intellectus eis attribuũtur: vt non esse in subiecto, dici de subiecto, vni uocè prædicari, secundum quantitatem æquale vel inæquale dici, nã huiusmodi proprietates, per quamdam nostri intellectus operationem inesse eis dicũtur. Quod si nullo intellectu considerante, aliquæ insint: Respondet Ammonius quod illę adducũtur, quo certiores reddantur de vocibus res ipsas per medios conceptus significantibus. Sed Scoti & Pauli solutio magis ad rem facit.

Ad quartũ negatur minor quo ad illa duo, videlicet, partes & principia: nam dicitur quod Prædicamenta considerantur in logica vt partes simplices, siue vt principia subiecti ipsius: namque ad ea fit vltima resolutio omnium quæ in logica tractãtur, tanquam ad simpliciora principia: & quibus nihil simplicius in ea datur, sicut dictum est.

Ad quintũ respondetur primo, argumentũ peccare in eo quod supponit: quia supponis quod modus considerandi in logica sit, esse instrumentum ad alias scientias; quod assertum non ab omnibus recipitur, verũ tamẽ nunc admisso, quod modus considerandi in logica sit esse instrumentum ad alias scientias: adhuc minor eiusdem argumenti negatur, videlicet, quod Prædicamenta non diffiniantur tanquam instrumenta iuxta modum considerandi logicæ, qui modus

modus à modo diffiniendi sumitur, vnde dicitur, quæ ea quę in aliqua facultate considerātur, habere in suis diffinitionibus præcipuam rationē formalē illius facultatis, duobus modis consideratur: vno modo explicitè, quo non de omnibus in aliqua facultate consideratis est necessarium: satis enim est quod principaliora & digniora illius, formalem rationem scientię sapiāt. non enim ea omnia quæ in naturali Philosophia diffiniuntur continent explicitam mobilitatis aut naturalitatis rationem formalē, (dato quod mobilitas siue naturalitas, sit formalis ratio physicæ considerationis) imò neque syllogismus diffinitur vt instrumētum, & tamen inter principales totius logicæ partes enumeratur, ita vt subtilissimus Scotus logicæ subiectū ipsum statuerit, vt in q.2. Vniuersalium apparet. Alio modo implicitè, ita vt ea q̄ in illa scientia considerātur, ad principale logicæ subiectum, eiusque formalem rationem dirigantur. & hoc modo Prædicamēta habent eam formalem rationem, quatenus sunt enunciationis simpliciores partes: quæ quidem enunciatio dirigitur ad diffinitionem & demōstrationē, quæ sunt potiora sciendi instrumēta, quibus tādē logici negocij finis clauditur, nam demōstratio est syllogismus faciens scire, vt in libro primo post. cap. 2. Aristoteles docet.

Considerata in sciētia habēt rationem formalē illius dupliciter.

Ad sextum negatur minor cum suppositione facta, videlicet finis logicę est diffinitio: attamen ea nunc data, adhuc dicimus rationem peccare in eo quod credit, syllogismi resolutionem ad nomen & verbum tanquam ad simpliciora quæ dentur in logica, terminari: quia iam diximus, nomē & verbum non esse vltimum & simplicissimum terminū resolutionis enunciationis, sed vlterius progrediendum est, eo quod in Prædicamenta vt in significata nomine & verbo ipsum nomen & verbum resoluuntur.

Contra hanc solutionem, quam Balduinus præuidit, arguit, ostendendo, nomen esse prius, & simplicius quocunque prædicamento.

Illud est prius, simplicius, & vniuersalius, à quo non cōuertitur subsistendi cōsequentia: sed si datur substantia dātur nomen, & non è cōuerso: ergo nomen est prius, simplicius, & vniuersalius quā substantia; & sic de alijs Prædicamentis. maior proposito habetur in postp̄d. cap. de Priori; minor in singulis Prædicamentis probatur. Omnis substantia est nomen, & non è conuerso. Omnis quātitas est nomen, & non e contra: & sic de singulis: ergo nomen est prius & vniuersalius quā Prædicamentum.

Impugnatio.

Præt. Illud est prius & simplicius alio, cuius diffinitio est prior & simplicior: sed diffinitio nominis est prior & sim-

simplicior diffinitione substãtiæ & aliorum Prædicaméto rum, ergo nomen est prius & simplicius. minorem sic probat Nomen hoc modo diffinitur. Nomen est vox significatiua ad placitum, sine tempore. Substantia est vox significatiua ad placitum, sine tempore, significans talem naturã quæ per se existere potest. & ex his fit manifestum diffinitionẽ substantiæ plura complecti, & per consequens magis compositam esse, igitur nomen est simplicius.

Diffinitio substãtia & nominis assignata à Balduino.

Solutio.

Quoniam medium vtriusq; rationis maiorẽ nominis simplicitatẽ concludit, ideo vnica solutione dilui posset; verum enim vero, quia ad faciliorem intelligentiam pro iunioribus elaboramus, ob id vtrique rationi solutio seorsum afferatur. vnde ad primũ respõdetur, peccato idipsum non carere, quod de singulis prædicamentis sigillatim arguit, & si qui affirmãt librum Categoriarum esse logicum intelligerent substantiam. vel vnum aliud quoduis Prædicamentum solum esse logicum, illudque idẽ esse nomine simplicius, cum tamen de omnibus simul intelligant: nam ex eo quod argumentum de singulis seorsum procedit, verũ cõcludit, dicens, si datur substantia, datur nomen, & non è conuerso: si datur quantitas, datur nomen, & non è conuerso: sed deceptorius est hic modus arguendi. arguatur igitur in hunc modum: Si dantur decem Prædicamenta, datur nomen: & tunc sequitur è conuerso, si datur nomen, dantur decem Prædicamẽta, eo quod extra ipsa decẽ Prædicamenta nomen non erit, cum sit alicuius rei vox significatiua, nã quemadmodum argumentum non tenet, si dicatur: Corpus potest esse absque hoc & illo loco, ergo absque omni loco: & materia potest esse sine hac & illa forma, ergo sine omni forma: sic non valet, si est nomen, non est substantia, si est nomen, non est quantitas: ergo si datur nomen, non datur decem Prædicamenta: quia etsi nomẽ nõ includat hoc & illud determinatum Prædicamentum, tamen omnia nõ excludit, cum sit impossibile, nomen esse extra omnia prędicamenta. eo quod sit vox alicuius rei significatiua: atque omnia entia his decem generalissimis comprehendantur.

Diffinitio nominis nõ est simplicior diffinitione substãtiæ.

Ad secundum negatur, Diffinitionẽ nominis esse simpliciorem diffinitione substãtiæ: quia non ex verborum congerie, simplicitas diffinitionis est attendenda, cum plura verba in diffinitione siue descriptione sepè ponãtur ad Diffiniti, siue descripti naturã magis explanandam, nonne anima est corpore simplicior? tamen si corpus diffiniatur, paucioribus verbis absoluetur, quam animæ diffinitio. Præt. videantur quæ & substantiæ & nominis ab Aristotele ponantur diffinitiones: ad initium capitis Substantiæ sic inquit:

quit: Substātia est, quæ neque in subiecto est, neq; de subiecto dicitur. & diffiniens secūdas ait: Secundæ substantiæ sunt, in quibus primæ insunt. & ad initium libri primi Peri her. sic nomē diffinit. Nomen est vox significatiua ad placitum, sine tēpore, cuius nulla pars significatiua est separata. ex his itaq; diffinitionib. ex Aristotelica officina sumptis, inspiciat quis, quæ ipsarum plura aut pauciora verba cōplectatur. Balduinus autem vt suā redderet positionem probabiliorem, & eam nominis diffinitionem mācam posuit, dimittens illas particulas (cuius nulla pars.) & nouam substantiæ diffinitionem adinuenit, vt verbis prolixiorem eā redderet.

Fictio Balduini.

Ad septimū principale, negatur maior, nō enim eodem modo considerantur in Metaphysica & in Logica, nā quatenus sunt partes essendi, considerantur in priori; at in posteriori quatenus rationem respiciunt, & varios modos prędicandi habent.

Ad octauū, cōcedatur quod logicus non tractat de decem prædicamentis prout dicunt diuersos modos essendi, sed quatenus diuersos modos prędicandi substantialiter vel accidentaliter sortiuntur: qui tñ modi prędicandi cum sint intentiones secundæ, in primis fundantur.

Ad nonum negatur minor: & ad illius probationem respondetur, quod genera species, & indiuidua, quibus prædicamenta conficiuntur, tribus modis cōsiderantur; vno modo quo ad ipsarum rerum naturam absolutè, & hæc cōsideratio nō est alicuius certę sciētiæ propria, sed omnium realium communis, quatenus aliæ de alijs rerum naturis agunt; altero modo quatenus sunt Vniuersales & particulares, quæ cōsideratio quia ex modis essendi rerum sumitur, ad solum primū Philosophū spectat. tertio prout sunt prædicabiles & subijcibiles, & hæc denique ad logicum attinet, non enim logicus contēplatur genera, & species, & idiuidua quatenus sunt entis affectiones, sed quatenus prędicantur & subijciuntur. Solutio ex Fonseca sect. 4. præcitatæ quæstionis colligitur, & forte eadem est cum ea, qua Paulus Venetus inquit, quod Prædicamentum logicum est ordinatio Prædicabilium vt prædicabilia sunt secundum sub & supra. Prædicamentum autem metaphysicum est ordinatio vniuersalium secundum quod vniuersalia sunt. i. secundum quod sunt vnum in multis: quod est secundum diuersum modum essendi ipsorum vniuersalium, vt de generibus & speciebus notum est.

Prædicam. 3. modis considerantur.

Prædic. logicum et metaph. quid sit.

Ad decimum multis modis respondetur, primò, per eamdem formam arguendi probari potest librum Priorum pariter non esse necessariū, quia de Syllogismo demōstratiuo agitur in libro posteriorum; de

de topico in libris Topicorũ: de fallaci in libro Elẽchorũ: Igitur liber priorum in quo de natura syllogismi in communi agitur, superfluus erit, quod est falsum. Dicatur tamen ad argumentum Categoriarum notitiam necessariam esse, vt prima operatio intellectus saluetur. Etenim vt S. Thomas ad initium primi libri Perihermenias perpulcrè explanat, tres operationes intellectus totam logicam adequatè cõplectuntur, præterquam quod Prædicamenta omnium nominum terminorum naturam gerere possunt, & de hac prima disputatione sit sufficienter dictum.

Tres operationes intellectus totã logicam cõplectuntur.

DISPVTATIO Secunda.

An intentio Aristotelis in libro Prædicamentorum sit tractare de rebus, vel de vocibus.

SECTIO Prima.

Quorumdam Græcorum Latinorũ & Arabũ asserentiũ Aristotelem agere de vocibus; opinio & rationes ad positionem afferuntur.

IN proposito Categoriarũ libro, quæ sit Aristotelis intẽtio, de vocibus an de rebus agere, Græci, Latini, atq; Arabes in diuersas abiere sententias: dum Alij de solis vocibus intentionem esse prodiderũt; Alij de solis rebus putarunt; Alij de solis conceptibus Philosopũ differere rati sunt; ac denique de vocibus interuentu conceptuum res significantibus, Prædicamentum propositum esse arbitrantur. At ne in harum opinionum diuersitate percipiẽda, iuniores diù elaborent, ab his nostrum institutum exordiamur, qui de solis vocibus sermonem esse dixerunt.

Alexander Aphrodisæus, Boetius, Albertus cognomento magnus, & alij quàm plures ad initium Commentariorum in eum librum, arbitrantur proprium Aristotelis esse de solis vocibus in hoc libro pertractare; quam positionẽ auctoritatibus & rationibus muniunt. *1. Opinio de vocib. solis.*

Aristoteles in primo capite de vocibus agit, dum quid vox æquiuoca, vniuoca, & de nominatiua sit, explicat, ergo in toto tractatu de vocibus agit. 1

Prę. Idem Philosophus ad initium capitis secundi, hæc verba habet: Eorũ quæ dicuntur, alia cum complexione, & alia sine complexione dicuntur: sed dici cum, aut sine cõplexione, non rebus sed vocibus conuenit, ergo de vocibus agit. 2

Præt. In capite S. singula Prædicamẽta numerans, subdit: singulum incomplexorum significat aut substantiam, aut quantitatem, aut qualitatem, sed significare conuenit vocibus 3

bus, quemadmodum significari rebus, igitur de vocibus agit.

4 Præt. In libro primo Peri hermenias Aristoteles agit de vocibus simplicibus secundæ intentionis, quæ supponũt voces simplices primæ impositionis: ergo cum liber Prædicamentorum ad librum Perihermenias ordinetur: necessarium sit vt dicatur, Aristotelem in libro Prædicamentorum de vocibus primæ impositionis tractare.

Porphyrij opinio. Porphyrius (referente Ammonio in pręfatione Prędicam) censet Aristotelis intentionem esse in hoc libro agere neque de rebus, neque de vocibus, sed de cóceptibus s. de decẽ generibus. Quã positionẽ auctoritate ipsius Philosophi confirmat: & hæc eadẽ est positio Themistij, sicut D. Augustinus in suis Categorjis c. 3. eum interpretatur.

1 Aristoteles ad finem vltimi Capitis huius tractatus habet hæc verba: Igitur de omnibus generibus quæ proposuimus sufficiunt quæ dicta sunt: sed Genera sunt conceptus, ergo Prædicamenta tanquam conceptus considerantur.

2 Cõfirmatur positio ex eo, quod Prædicamenta sunt genera generalissima ex ipsis rebus sumpta: ergo sunt ipsarũ rerum conceptus: & ita Prædicamenta tanquam conceptus considerantur.

Dubitatio de opinione Porphyrij. Sed hãc esse Porphyrij opinionem dubitabit aliquis, ex hoc, quod in ea quæ circunfertur explanatione Porphyrij in Prædicamenta Aristotelis per interrogationem & responsionẽ edita, (Ioanne Bernardo Feliciano ĩterprete) videtur potius sensisse non de conceptibus, sed de vocibus significatiuis, quatenus significãt huius libri propositũ esse: libet enim illius verba hoc in loco apponere. Decem igitur dicũtur Prædicamenta genere videlicet nõ secus atque ipsæ res genere decem sunt, vnde quia de vocibus significatiuis propositum huius libri est, quatenus significant, quæ quidem diuersæ genere sunt: nuncupare res de aliquo significato, denuncupare, hoc est prædicare dixerunt, cum dictio videlicet significatiua de rebus diceretur, atque iccircò meritò denuncupationes seù prædicamẽta traditionẽ de simplicibus dictionibus inscripsit; quæ quatenus significatiuæ sunt, ex prima impositione in vnoquoque genere considerantur. Et tandem cõcludit, quod rerum genere diuersarum inquisitio obiter incidit, & de vocibus significatiuis præcipua est disputatio: assignãs qualiter in libro Prædicamentorum & Perihermenias sub alia & alia consideratione, de vocibus significatiuis agatur.

Quidquid sit, verũ est nonnullos Aristotelis antiquiores interpretes fuisse arbitratos, huius libri propositum esse de Generibus siue conceptibus, quemadmodum ex Herminij sen- *Opinio. 3.*

tur:addũt quod Ammonij sententia duplicem sensum sustinet. Quorum vnus est verus & alter falsus. Conceptus, ait, sunt duplices, alij primi, & alij secundi, ita voces aliæ primę, & alię secũdę. Vox prima dicitur v.g. homo, & dicitur prima ex eo, quod significat rem existentem extra animã. Cõceptus primus est ille qui est in anima, vt cũ mente concipis hominem, & dicitur primus ex eo, quod est cõceptus rei extra animam existentis. Vox secunda est, v.g. Species, & dicitur secunda, quia species significat rem in intellectu existentem: Conceptus secundus similiter est, qui fit de re in intellectu existente, tũc subinferunt, non esse intentionem Ammonij, quod nunc sit sermo de vocibus secundis significantibus res per medios secundos conceptus: sed intellligit de primis vocibus significantibus res per medios primos conceptus, eo quòd Aristoteles agit de substãtia, quantitate, qualitate, & reliquis, quæ sunt primæ voces significãtes res, quæ extra animam existunt. Hęc Doctrina, est bona & vera, nam ex illa auctoritate quam Ammonius ab Aristotele sumit, fit manifestum de primis vocibus res per medios primos cõceptus significantibus, ipsum intellexisse. Et de hac prima opinione dictum sit satis.

Vox prima & secunda.

Cõceptus primus et secũdus.

SECTIO Secunda.

Arabum & Latinorum affirmantium huius libri propositum esse de rebus agere, sententia & rationes explanantur.

EVstratius, quẽ Ammonius in præfatione Prædicamẽtorum citat; Auicenna in.p p. suæ logicæ, Auerroes in diuisione capitũ huius tractatus. Scotus q.1. Burleus ad mediũ præf. Paulus Venetus in capite de numero Prædic. in dubitatione, an diuisio sit de reb. Caietanus, Dominicus à Soto, & Toletus in Prologo huius libri, & multi alij censent, huius libri propositum agere de rebus. At hi inter se nõ ita conueniunt, quin aliquo modo diffideant. Sed priusquã id explanetur, in quo illorũ dissensio consistit, rationes afferamus, quibus proprium placitum muniunt.

Idẽ sentit Zabarella de natura logica, lib. 2. c. 3.

1 Aristoteles ad initium prioris capitis huius tractatus diffinit res, quæ sunt æquiuoca, vniuoca, & denominatiua: igitur cum huiusmodi diffinitiones ad Prædicamentorum cognitionem ordinentur, apparet quod de rebus agere intendat.

2 Præt. Aristoteles in cap. 2. assignans quamdam diuisionem, inquit: Entium alia de subiecto dicuntur, alia verò in subiecto sunt: quod si entia

sunt res, ergo de rebus intentio ipsi est.

3 Præt. Ad initium Capitis quinti assignans diuisionẽ eorũ, quæ secundum nullã complexionem dicuntur, diuidit ens in Prædicamenta: atque vnumquodque eorũ assignando, ait quod vnumquodque significat aut substãtiam, aut quantum, aut quale. Sed hæc sunt res, ergo de rebus est propositum.

4 Præt. Aristoteles in lib. 6. Metaph. diuidit ens, in ens in anima, & in ens extra animã: atque in libro quinto cap. 7. diuidit ens extra animã in decẽ Prędicamẽta: q̃ deinde numerando, inquit. Eorum quæ prædicantur, alia significant substantiam, alia quale, alia quantum. Et in hoc tractatu singulorum inquirit proprietates & passiones, quę illis nõ cõueniunt nisi quatenus sunt res, ergo de rebus agitur.

Ens extra animam diuiditur in decem genera.

5 Præt. Secundæ intentiones fundãtur in primis, vnde Auicenna inquit, logicam esse de secundis intentionibus adiunctis primis, ergo est necessarium quod in aliqua ipsius logicæ parte tractetur de fundamentis & principijs secundarum intẽtionum: & de quibus logicus in nulla alia parte agit nisi in libro Prædicamentorum; ergo Prædicamenta tanquam res pertractantur.

Sed quia contẽplatio Prædicamentorum tanquam res, siue vt entia, ad metaphysicũ spectant: propterea remanet discutiẽdum sub qua ratione ipsæ res logicam subeant considerationem: diuersi enim diuersa placita apposuere.

Res quo à logico considerantur.

1. Opinio

Quidã antiquiores Aristotelis interpretes, quorum sententiam Toletus amplexus est, affirmant res in hoc loco non cõsiderari absolutè, eo quod metaphysici muneris sit: sed quatenus sunt ordinabiles secundum subiectionem & prædicationem. Quod assertũ ex eo confirmant, ꝙ res in prædicamento ordinantur quatenus sunt prædicabiles & subijcibiles: ergo res quatenus sũt ordinabiles secundum prædicationem & subiectionem in hoc libro considerantur.

Impugnatio.

1 Contra hunc modum dicẽdi, Caietanus in præfatione in hunc modum arguit. Res ordinabiles secundum sub & supra, spectant ad secundam operationem intellectus, ad quam hic liber non primò ordinatur: igitur res non quatenus sunt ordinabiles secundum sub & supra, hic considerantur.

2 Confirmatur: subinferunt alij Caietanũ exponẽtes; Tractatio de aptitudine ad prædicationem pertinet ad librum Perihermenias, in quo agitur de ipsa prædicatione, siue de actu prædicandi: ergo in libro prædicamentorum non tractatur de rebus quatenus sunt ordinabiles, secũdum subiectionem & prædicationem, antecedens ex eo fit notum, quod ad eamdem scientiam spectat tractare de aptitudine, in qua de actu tractatur; nã aptitudo

sine

sine actu nequit intelligi: consequēt. probatur: res ordinabiles secundum prædicationem & subiectionem, designant aptitudinē ad prædicationem, & non actum prædicandi.

Solutio.

Si quis priorem dicendi modum tueri velit, ad vtramque rationem vnica solutione respōdeat, scilicet, nullum subinde absurdum oriri, si in eadem scientia de aptitudine prius quā de actu agatur: quapropter ad argumētum conceditur, esse necessariū vt in vnam et scientia de aptitudine & de actu tractetur, eo quod aptitudo sine actu cognosci nequeat: non tamen est necessarium, vt in qua parte agitur de actu, in ea tractetur de aptitudine. modo ī logicæ sciētia tractatur de actu prædicandi, & in eadem agitur etiā de aptitudine ad prædicandum, quamuis non in eadem parte. & quādo dicitur, aptitudo sine actu non cognoscitur. Respōdetur, cognitionem actus esse duplicem, vnā perfectā, quam fatemur non necessariā ad cognoscēdum aptitudinē; alteram qualemcūque imperfectam, quam asserimus sufficere: nā satis est, vt qualiscunque cognitio actus præhabeatur ad aptitudinis naturā explicandam. Et ne quis hanc solutionem futilem habeat, ob id legat Aristotelem, qui in libris physicorum eum modum fat esse ostēdit, cum naturam & motum explicauit. Certum namq; est, naturam vt natura est, per aptitudinem ad motū

Nō est necessarium in eadem parte sciētia tractari de aptitudine & de actu.

Aptitudo qualiter sine actu cognoscatur.

diffiniri, ac proinde sine motu intelligi non posse, vt ipse affirmat. verum tamen in lib. 2. naturam diffiniuit, & in tertio de motu disputauit; quod ideo fecit, quia priusquàm naturam per motum diffiniret, iam per se notū erat motum esse, vnde illius qualiscunque præhabita cognitio satis erat ad naturæ diffinitionem explicandam. Igitur eodem modo logicus agit de prædicabiliū dispositione in prædicamentis, priusquam de prædicatione vel enūciatione agat: quia supponit qualemcumque prędicationis vel enunciationis cognitionem sufficere ad tractandum de illis

Natura sine motu intelligi nequit.

Tex. 6.


Tex. 3.

Opinio secunda. Burlei.

Secundus modus dicēdi est Burlei, ad mediū præfationis huius libri, affirmantis in hoc loco res considerari solū quatenus secundis intentionibus substant, puta, inquātum sunt Genera & Species, vel eis insunt intentiones secundæ, videlicet intentio generis generalissimi, & subalterni; similiter intentio speciei subalternæ & specialissimæ, & ita de alijs.

Impugnatio Pauli.

Cōtra hanc positionē quæ in re à priori non distat; Paulus Venetus ad initium ante prædicamētor. not. primo Corelario tertio sic argu t. Ratio potest errare non solum per respectum ad intensiones secundas, sed etiam secūdum se, & secundum suas proprietates & modos, credens substantiam esse quantitatem, vel qualitatem, aut proprietatē,



vel modũ vnius prædicamenti esse proprietatem aut modum alterius prædicamenti: Sed logica est scientia rationalis regulans & dirigens rationem in his omnibus, in quibus error & deceptio contingere potest; ergo logica considerat prædicamenta non solùm per respectum ad secũdas intentiones, sed magis secundum se, & secundum ea quæ èis accidunt tãquam modi & proprietates.

Logica dirigit rationem.

Enasio. Quod si quis Burlei positionem defendere velit, dicat negari non posse, quin hoc loco res considerẽtur in ordine ad secundas intẽtiones, quæ sunt prædicari vel subijci, quod dictum hac ratione probatur.

1 In libro Prędicamentorum tractatur de Prædicamentis quę sunt entia, ergo in eo cõsiderantur res ea ratione qua in prædicatione ordinantur: sed ordinari in prædicatione spectat ad secundam intentionem, ergo res per respectũ ad secundam intentionem considerantur, antecedens est notum: Consequentia ex antecedenti deducitur manifesta, qa Prædicamentum est coordinatio prædicabilium secundum sub & supra, minor ex eo fit nota, quod res ordinari secundũ sub & supra, non ex se, sed ex nostri intellectus operatione sortiuntur: quod spectare ad secundas intentiones diximus super Porphyrium cap. de Genere diluc. 7.

Impugnatio. Contra hanc solutionẽ quidam sic arguunt. Secundæ intentiones tractantur in libro Porphyrij, in quo res considerãtur & diffiniũtur, put secũdis intentionibus substernuntur: ergo non videtur quod Aristoteles debuisset penes hanc considerationem res in hoc libro considerare. Si dicatur quod liber Porphyrij non est pars logicæ sed ad logicã Isagogicus siue introductorius: Respondent quod Aristoteles saltem in capite 4. lib. 1. topicorum contemplatur secundas intentiones, vel ipsas res quatenus secundis intẽtionibus subijciuntur. Ergo in libro Prædicamentorũ non cõsiderat res per comparationẽ ad secundas intentiones.

Solutio. Intẽtiones secundæ in Topicis et in prædicamentis. Ad hoc respondetur quod secundæ intentiones, alio & alio modo considerantur in Topicis & in Prædicamentis: nam in Topicis considerãtur secundum propriam diffinitionem, vnde quid Genus, quid Species, quid Differẽtia, quid Proprium, quid Accidens sit, ibi diffinitur: in libro Prædicamentorũ non diffiniuntur: sed ipsarum naturæ explicantur, vt cognoscatur qua prædicatione vnumquodque prædicetur generis vel speciei, essentiali aut accidentali.

Impugnatio. Cõtra arguitur sic. Proprietates Prædicamentorum considerantur secundum earum esse reale, vel esse susceptiuũ cõtrariorum, recipere magis & minus: igitur Prædicamẽta non considerantur per respectum ad secundas intẽtiones.

Solutio. Ad hoc negatur Antecedens:

Prædi-cam.2. dens: & respondetur quod quemadmodũ Prædicamenta habent duplex esse: videlicet reale, secũdum qđ sunt extra animã; & esse rationis, secundum quod obiectiuè sunt in intellectu: ita ipsorũ proprietates habent duplex esse, reale videlicet, & rationis: logicus igitur considerat eas vt sunt in ipsis secundum esse rationis, & secundum quod ducunt in cognitionem Prædicamẽtorum quo ad suos modos prædicandi; ex ipsis etenim sumitur iudicium prædicationis quæ & qualis sit.

Oppositio 3. Paulus. Tertius modus dicendi est Pauli Veneti, affirmantis Prædicamenta, cõsiderari non solùm per respectum ad intentiones secundas, sed magis secundum se, & secundũ ea quę ipsis accidunt tanquam modi & proprietates: semper tamẽ per respectum ad rationem, quatenus per viam aut diffinitiuam, aut argumentatiuã intellectus discurrit vnum non esse reliquum, vel vnum ab alio distingui.

Oppositio 4. Caietanus Quarta sententia est Caietani dicentis propositum huius libri esse agere de rebus non absolutè sed incomplexè conceptis, & consequenti necessitate idest per voces significatis: vnde res non quatenus res, sed prout incõplexè concipiuntur, nunc considerantur, quapropter apud ipsum incomplexè concipi est ratio formalis secundum quam res in prædicamentis reponitur, at quæ harum positionum sit probabilior, & cõmunior ad sequentem sectionem differatur.

SECTIO

Tertiò.

Tam de rebus quàm de vocibus propositum huius libri est tractare: & qualiter explanetur.

HAud facile sit propositã dubitationem è medio auferre, eo quod magnorum Aristotelis interpretum placita sint varia, quæque suis rationibus munita, sicut ex dictis apparet, at quia ipsorum vnumquodque probabile est, ideo nos ex ipsis omnibus aliquid capiamus, vt omnibus partim assentiamur: opiniones enim priorũ percurrimus, vt benè quidem dicta accipiamus, si quid autem est non benè, hoc vitemus; ita Aristoteles in lib. 1. de anima textu 19. scribit, dicamus igitur hoc modo. Propositum libri prædicamentorum est tractare tã de vocibus (in quo cum priori opinione conuenimus) quã de rebus (in quo cum posteriori concordamus) principaliter tamen de vocibus tractare non intendit (in hoc à prima dissentimus) sed de rebus. (& in hoc cum secunda conuenimus) hunc modum dicendi ex recentioribus ferũt Dominicus à Soto, Caietanus & Toletus: cuius dicti oppositũ *Caietanus Sotus. Toletus.*

Fonseca. sustinet Petrus Fonseca in lib. 5. metaph. c. 7. q. 1. sect. 6 vbi asserit logicũ eo in libro agere pręcipuè de vocibus simplicibus, ad quas tãquam ad prima disserendi principia, & elementa Dialecticus attendit.

Sed ne quis in hac positione percipienda decipiatur: distinguẽdum est, quod voces et res duplici modo considerantur: & à vocibus exordientes sic dicimus. Vox bifariam cõsideratur, vno modo absolutè quatenus est vox, & hoc modo logicam considerationem non subit, sed naturalem animasticam: vnde Aristoteles in libro 2. de anima, agit de voce quatenus est animæ effectus, & ita in textu 82. inquit; vox autem sonus quidam est animati, inanimatorum enim nullum vocem edit; sed secũdum similitudinem dicũtur vocem edere, vt Tibia & Lyra, & quęcũque alia inanimatorum extẽsionem habent, & melos & loquutionem: videntur enim quia & vox hoc habet: & in textu 88. subdit. Vox autem sonus animalis est, & nõ quacunque parte, alio modo vox consideratur quatenus est rerum significatiua, interuentu tamen cõceptuum, vt Ammonius ait: vel vt alij dicũt, consideratur quatenus in enũciationis formam nõdum copulatur, sed medijs simplicibus cõceptibus apta est vt in enũciatione prædicetur & subijciatur, & penes hanc considerationẽ in prædicamentis reponitur: nam huiusmodi vox,

Vox dupliciter consideratur.

Vox quid sit.

Nullũ inanimatum habet vocẽ, nisi secundũ similitudinem.

Animal, homo, substantia, cõsideratur à logico quatenus est significatiua earum rerum quæ sunt Animal & homo: atque significant vnam earum tãquam subiectum, & alteram tanquam prædicatum esse ordinabiles in prædicatione enunciatiua.

Res pariter duobus modis considerantur: vno modo absolutè, quatenus res sunt, iuxta quam considerationem ad metaphysicum & non ad logicum spectant, alioquin logica esset scientia realis, & logicus artifex realis esset. Altero modo considerantur per respectum ad rationem, vel ad intellectum circa ipsas ratiocinantem & discurrentẽ: noster etenim intellectus concipit ipsas res vel quatenus incõplexè significantur, ab omni veritate & falsitate denudatas; vel quatenus in ipsis secundæ intentiones efficiuntur: siue in pdicatione enunciatiua sunt ordinabiles secundum subiectionẽ & prædicationẽ, idest habent vt possint esse subiectum & prædicatum: quæ omnia extrinsecè & ex sola nostri intellectus operatione illis accidunt: & sic semper cõsiderantur in ordine ad secundas intentiones; & penes hãc considerationem ad logicum spectare dicuntur. His positis ad conclusiones accedamus.

Res dupliciter considerantur.

Sit prima cõclusio. Res ponũtur in Prędicamentis. Probatur hoc modo, sumatur vnum prædicamentũ, v.g. substantiæ, quod in arbore Porphyriana

1 Res sunt in prædicamẽtis.

phyriana est notissimũ; in cuius linea recta plura ordinabilia ponũtur, indiuidua scilicet, vt Socrates & Plato; Species & Genera, vt homo Animal viuẽs, corpus, & substãtia: tũc fit manifestũ quod non ex intellectus operatione, sed ex parte rei, Socrates est homo, homo Animal, & sic vsque ad substãtiam inclusiuè. Ergo cũ huiusmodi ordinabilia secundum sub & supra, sint in ipsis rebus, fit cõsequens ipsas res in prædicamento reperiri, & idem dicatur de reliquis. nam si sumatur hæc linea quæ est ens reale, & dicatur hæc linea est linea, linea est quantitas continua, & quantitas cõtinua est quãtitas; & cum omnia superiora sint cõtracta ad hanc lineam, quæ extra animam existit, sequitur quod ipsæ res in prædicamento reponantur.

Res sunt in prædicamẽtis.

2 Confirmatur auctoritate Aristotelis, q in lib. 5. metaph. textu 14. diuidit ens reale in decem prædicamenta, de quibus subinde tãquam de rebus sigillatim tractat: ergo res in prædicamento reponuntur.

3 Præt. Modi essendi & prædicandi conueniunt principaliter rebus, ergo res in prædicamento reponũtur. Consequẽtia est nota: Antecedens probatur, auctoritate Aristotelis in lib. 1. perihermenias capite de oratione, vbi inquit: Hæc quidem rerum sunt vniuersalia, illa verò singularia: Vniuersale quidẽ de pluribus aptũ natum est prædicari, vt homo quidem vniuersale, Plato autem singulare, quæ verba Boetius exponit de rebus, dicens, quod cum Aristoteles ageret, tractatum suum cõtinuat ad res: rerum verò quædam prædicãtur vt vniuersalia, quædam subijciuntur vt singularia.

Sit secunda conclusio. Voces in prædicamẽtis reponuntur & considerantur, probatur hac ratione. Intellectus sua operatione abstrahit à qualibet essentiali conuenientia aliquem formalem conceptũ adæquatum eius: ergo qualis ordo est in ipsis rebus, talis est in vocibus ipsarum rerum significatiuis: igitur queadmodum res significatæ, sic & voces earũ significatiuæ in prædicamentis reponuntur. Antecedens sic probatur. Sumatur huiusmodi essentialis conuenientia, quam hęres. v. g homo, animal, viuens, corpus, substantia, adinuicem habẽt: tũc manifestum est, quod noster intellectus potest abstrahere ab ea aliquẽ formalem cõcepnem, notitiam scilicet hominis & animalis & reliquorum, qua res ipsas formaliter cognoscit. Igitur qualis ordo est in rebus significatis, talis etiã est in vocibus significãtibus: quam ob rem sicut omnia prædicam. superiora sunt ad hominem contracta, ita vt homo reipsa sit Animal, & viuens, & corpus & substantia, ita illæ voces eodem ordine significant ipsas res ad hominem contrahi.

Conclusio 2.

Ordo qualis in rebus talis in vocib.

Sit

Cõclusio 3 Sit tertia conclusio. Propositionẽ libri prædicamẽtorũ, licet sit de rebus & de vocibus, vt dictũ est, principalius tamen est de rebus. probatur.

1 *In disputationib. vtimur vocib. loco rerũ. Animi si essent nudi, non egerẽt vocibus.* Aristoteles in primo capite prioris libri Elẽchorũ habet hæc verba; Nam quia fieri non potest vt ipsas res ferentes disputemus, sed nominibus pro rebus vtimur signis: & quod in nominibus accidit in rebus quoque accidere arbitramur: ergo logicus nõ ex primaria intẽtione, sed necessitate compulsus de vocibus tractat. Hinc Ammonius in præfatione prædicamentorũ loquens de necessitate vocis, ait, nudi enim si Animi essẽt, nec corporibus impedirẽtur, nudis inter se agerent conceptibus, cõgrederenturq; nũc coerciti corporibus, non aliter quàm per voces suos mutui significare conceptus valent.

2 Confirmatur auctoritate Auicennæ, dicẽtis ad initium suæ logicę, quod considerare de vocibus, non est logici negocij ex intentione: sed necessitas ad hoc compulit, quoniã res sic conceptas non nisi vocibus exprimimus, docemus, adunam⁹, & ordinamus. Si enim absq; verbis exterioribus hæc omnia explere possemus, solo sermone interiori contenti, aut alijs signis hæc fierent, de vocibus tractandũ non esset: ergo voces nõ principaliter, sed ex necessitate, et quatenus sunt rerum significatiuæ & expressiuè in prædicamentis reponuntur.

3 Pręt. Confirmatur ipsamet positio authoritate Auerrois, qui in diuisione Capitum huius libri, inquit quod Philosophus in primo capite narrat quasdam diffinitiones entium secundum quod per diffinitiones significatur: & sic insinuat quod hic liber sit principaliter de entibus quatenus contra voces distinguuntur.

Cõclusio 4. Sit quarta Conclusio. Res de quibus in libro Prædicamentorum est intentio, non absolutè considerantur, sed quatenus sunt ordinabiles secundum subiectionem & prædicationem. Cõclusio quo ad priorem partẽ est manifesta, ex his quę dicta sunt, scilicet, quod considerare entia vt entia, ad metaphysicũ spectat, altera pars sic probatur. Prædicamentũ est series vel ordo plurium prędicabilium ordinabilium in eo secundum prędicationem & subiectionem: vnde omne quod in prędicamẽto est reponibile, oportet quod se habeat ad aliud vt inferius ad superius, vel ecõuerso: ergo quę in prędicamẽtis reponuntur sunt ordinabilia, ergo vt sic in ipsis considerantur. Antecedens ex receptissima Prędicamẽti assignatione fit notum, prima consequentia probatur: esse ordinabile dicit aptitudinem ad prędicari vel subijci: actu vero prędicari vel subijci non fit sine enunciatione, de qua in libro perihermenias agitur: igitur quia res vt ordinabiles, in prę-

Res qualiter in prædicamentis reponũtur.

prędicamento reponuntur, ideò vt ordinabiles ibi considerantur. Cōcludatur igitur, & res, & voces, imo & conceptus in prędicamentis tractari. Sed res primo & per se, cōceptus secundariò, quatenus sunt rerum repręsentatiui, postremò ipsas voces, prout & cōceptuum & rerum sunt significatiuæ.

Conclusio 5. Si quis autem dicere velit res vt incomplexè cōceptas, in libro prędicamentorū considerari, veluti Caietanus asserit, probabiliter id sustinebit, nam hic modus dicēdi multis probatur.

SECTIO

Quarta.

Dubitationes aliquot aduersus positas conclusiones proponuntur.

NOn exactè assignatarum Conclusionum doctrina traderetur, nisi quę suboriuntur dubitationes soluantur, etenim aduersus singulas conclusiones vel singulę dubitationes fieri solent: quamobrē aduersus priorem arguitur, & probatur, nō res, sed voces in pręd camentis reponi.

1 Prędicamētum idem sonat quod prędicatio, seu prędicatorū ordo: sed in rebus nulla est prędicatio, ergo res in prędicamentis non reponuntur. maior est omnibus in confessso: minor probatur: Prędicatio est quędā enunciatiua oratio, & prędicari est idē quod affirmari & negari; sed dici cōuenit vocibus, & nō rebus, ergo voces & non res in prędicamentis reponuntur.

2 Præd. Quæ in libro prędicamentorum pertractātur, sunt partes enunciationis, de qua in libro Perihermenias agitur: sed partes enunciationis sunt voces vel conceptus, & non res; ergo voces & nō res in prædicamentis tractantur, minor est manifesta, ex eo qđ ex nomine & verbo quæ sunt voces, enunciatio conficitur. maior probatur, quia liber Prædicamentorum ad librum Perihermenias ordinatur.

3 Præt. Si res prædicātur, ergo propositiones ex rebus cō ficiuntur: quo concesso, plura absurda contingunt. Consequentia est nota, ex eo quod prædicatio est propositio ex prædicato & subiecto confecta. Sed quod plura absurda ex eo oriantur, sic manifestatur.

1 Primum absurdū est, quod sit aliqua propositio, inter cuius prædicatum & subiectum nulla distinctio reperiatur; quod est contra naturam veræ & propriæ prædicationis, inter cuius subiectum & prædicatum distinctio reperitur. Consequentia probatur: formatur hæc pdicatio Socrates est homo, aut homo est Animal: nā homo qui est Socrates ab eo non distinguitur: sicut nec Animal, quod est homo, ab homine distinguitur.

Se-

2 Secundum: quod in aliqua propositione prædicatum in longissima distantia distet à subiecto, vt si dicatur Florentia est Roma.

3 Tertium est, quod in aliqua propositione subiectum possit comedere prædicatum: nã si dicatur homo nõ est panis: homo qui est subiectum potest comedere panem, qui in propositione est prædicatum.

4 Quartum; quod subiectum possit esse pater prædicati, vt si dicatur Saturnus non est Iupiter: etenim cum Saturnus sit propositionis subiectum, & pater; & Iupiter sit prædicatũ, & Saturni filius, sequitur quod subiectum sit Pater prædicati, & hoc modò multa deduci possunt.

Contra Secundam conclusionem.

1 Aduersus secundam Conclusionem arguitur, videlicet quod voces rerum significatiuæ in prædicamentis non considerentur. Tractare de vocibus ad gramaticum, & ad naturalem Philosophũ spectat, à quibus logicus distinguitur ergo in libro prædicamentorum, qui est logicæ considerationis, de vocibus nullo modo tractatur.

2 Confirmatur, cognito vno Correlatiuorum diffinitè, necesse est & alterum cognoscere, vt Aristoteles in capite de Ad aliquid scribit: ergo si logicus cõsiderat vocem prout est rei significatiua, oportet eum diffinitè cognoscere rẽ, quod non videtur conueniẽs.

3 Præt. Omnis vox significatiua in genere vocis significãtis est singularis: ergo nullius ad alteram est ordo: ergo nõ magis aliæ voces significatiuæ ad has reducuntur, quàm hæ ad alias. Consequentia probatur, quia ordo de quo nũc est sermo reperitur inter vniuersalia & singularia.

Aduersus tertiam conclusionem.

1 Contra tertiam conclusionem probatur quod tàm res quàm voces in libro prædicamentorum æquè considerentur. Idẽ est tractare de rebus, quatenùs per voces interuentu conceptuum significantur, & de vocibus, quatenus per medios conceptus sunt ipsarum rerum significatiuæ: ergo tàm res, quã voces, æquè tractantur. Consequentia ex antecedenti deducitur nota: antecedens ex hoc probatur, qa quidquid attribuitur vni, attribuitur etiam reliquo, seruata tamẽ proportione significati & signi: nam homo reponitur in prædicamento substantiæ tanquam res; & ly homo, tãquam signum illius rei, quæ est homo.

Aduersus quartam conclusionem.

1 Contra quartam conclusionem, probatur quod res non ordinabiles secundum prædicationem & subiectionem reponantur in prædicamentis, indiuidua sunt in prædicamẽto,

to,

to, imo in recta linea constituuntur, & licet ipsa sint ordinabilia secundum subiectionem, quia sunt fundamētum omnium prædicatorum, tamē ipsa non sunt prædicabilia, quia à prima substantia nulla fit prædicatio, sicut Aristoteles in cap. de substantia scribit; ergo res quatenus ordinabiles secundum prędicationē in prædicamentis non reponuntur.

2 Præterea Genera Generalissima vt Substātia, Quantitas, & reliqua, sunt prædicabilia, tamen non sunt in genere ordinabilia, cum non habeant superueniens genus in quo ordinentur, alioquin non essent Generalissima, vt Porphyrius affirmat, igitur cōclusio falsa.

SECTIO Quinta.

Ad primam dubitationem affertur solutio: in qua explanatur an Res prædicentur, & quomodo eis conueniat prædicari.

Prædicatio triplex.

AD intelligēdam solutionem primæ dubitationis aduersus priorem conclusionem, sit primum notandum. Prædicatio est triplex, fundamētalis vna, formalis altera, instrumentalis tertia.

Fūdamētalis.

Prędicatio fundamentalis est coniunctio rei prædicatæ cum re subiecta, quæ coniunctio extremorum significatorum nō ex aliqua operatione intellectus sed ex natura rei sic se habet. v. g. Si dicatur, Socrates est homo, aut hō est animal, tūc nullo intellectu considerante reperitur extra animam vnio illius rei quæ est prædicatum cū illa re quæ est subiectū hominis videlicet cum Socrate, vel animalis cū homine, imo sunt vnamet res, vnde ex parte rei nulla distinctio inter ipsa reperitur, dicuntur tamen plura ex secunda operatione intellectus apprehendentis ea vt plura, atq; relationes quasdam eis attribuit, appellans hominem subiectum, animal prædicatum, & verbum (est) copulam, quia prædicatum cum subiecto copulat.

Formalis.

Prædicatio formalis est relatio ad inuenta ab intellectu inter subiectum & prædicatum; & dicitur formalis, aut quia fit cōceptus formalis in mente formaliter existēs; vel quia quodcunque prædicatum se habet semper tanquam forma respectu subiecti. De his duabus p̄dicationibus abundè scripsimus super Porphyriū cap. de Genere, disp. 2. dilucid. 2. Fundamento 6

Instrumētalis.

Prædicatio instrumentalis est illa, sine qua prædicatū de subiecto verbaliter enunciari haud possibile est.

Prædicari fundamentaliter quid.

Sit secūdū notādū; quemadmodū Prædicatio est triplex, ita aliquid prædicari contingit tripliciter; vno modo fundamentaliter, & sic res, seclusso omni actu intellectus, prædicatur: nam cum dicitur homo est animal, manifestū est

quod

quod illa res quæ est animal inest rei quæ est homo, sicut cum etiam dicitur homo est albus, illa res quæ est albedo inest rei quæ est homo, sed hæc accidentaliter & animal substantialiter, quapropter nullo intellectu considerante reperitur extra animam vnio rei prędicatæ cū re subiecta. Verumtamen huiusmodi prædicatio nō exercetur actu nisi per operationem intellectus concipientis res, vnam sub ratione prædicati, & alteram sub ratione subiecti, & tunc res dicuntur passiuè siue obiectiuè prædicari, passiuè quia enunciantur, obiectiuè quia obijciuntur intellectui sub ratione prædicati & subiecti, & secūdum hanc mouent ipsum ad intelligendū. Altero modo aliquid prædicantur formaliter; & ita notitiæ & cōceptus qui in intellectu formaliter existunt, prædicantur. Tertio modo aliquid prædicatur instrumentaliter, siue tanquam signum rei significatæ, & hoc modo, voces & nomina prædicantur, eo quod sunt instrumenta, quibus loco rerum vtimur, cum res ipsas non possimus afferre in disputatione; vt in libro primo Elēchorum dicitur. Ex his dictis non est difficile primā dubitationem soluere, ad quā respōdetur; quod si in rebus non sit prædicatio, vt infra dicetur, tamen ipsæ res sunt fundamentaliter prædicatum & subiectum, & obiectiuè prædicantur; nomina autē siue voces instrumentaliter, intellectus enim qui est prædicationis causa effectiua, nō enunciat prædicatū de subiecto, nisi per voces tā quam per instrumenta.

Prædicatio fundamentalis nō exercetur nisi per operationem intellectus.

Prædicari formaliter.

Prædicari instrumentaliter.

Sed quod res prædicentur, præter auctoritatem Aristotelis in cap 1. libri 1. Elēchorum, confirmatur auctoritate eiusdem Philosophi in lib. 7. metaph. particula 34. & Cōmētatoris ibidem, dicentium quod forma de re prædicatur non autem materia; quia homo non est caro, nec idolum est cuprum, constat autē formam esse rem extra animam. Item Commētator in eodem libro Com. 31. dicit quod in primis substātijs prædicatum est substantia subiecti. & in libro 3. de anima, com. 21. inquit quod intellectus componens propositionem, componit rem cum re. Idem tenet lyconiensis in lib. 1. post. com. 4. & 7. & super caput 16. dicit quod subiectum & prædicatū propositionis veræ, vbi est prædicatio simpliciter, sūt eadem res.

Res prædicantur.

Cōfirmatur positio hoc altero medio Si voces & cōceptus prædicantur & non res; sequitur quod propositiones necessariæ sint falsæ, quod est impossibile. Igitur oportet dicere, quod res prædicentur. maior probatur, hæc propositiò (homo est animal) est necessaria; & tamen hęc vox, homo, non est illa vox animal; neque conceptus quem intellectus format de homine, est idem cum cōceptu quem

format

format de animali, sunt enim duo conceptus distincti. Concludatur igitur, vt ex doctrina S. Thomæ de veritate, q. 4. art. 2. ad tertiã elicitur, quod voces & conceptus sunt instrumenta, quibus intellectus prædicat aliquid de aliquo, sed res sunt quæ prædicatur.

Res principaliter prædicantur & voces propriè.

Dubitabit aliquis, cum prædicari propriè, sit aliud à prædicari principaliter; ideo cui propriè, & cui principaliter prædicari conuenit, rebus an vocibus? Solutionem affert S. Tho. in opusculo 56. quod cõuenit rebus prædicari principaliter, & vocibus propriè. Quia ratio prædicationis propriæ, est alia à ratione prædicationis principalis. Etenim proprietas consistit in significatione verbi pdicari, quod vocibus propriè conuenit, sicut dici, affirmari & negari: sed principaliter pdicari consistit in hoc, quod res sunt finis, cuius gratia nomina prædicantur: quod assertum confirmat rursus S Thomas in libro 1. perihermenias lectione quinta.

Disp. 1. sect. 3. ad 6.

Prædicamẽta qualiter sunt partes enunciationis.

Ad secundum iam in solutione rationum Balduini dictum est, quod Prædicamenta esse partes enunciationis dupliciter consideratur, vno modo propinquè & immediatè, & sic solum nomẽ & verbum sunt partes enũciationis. Altero modo remotè & mediatè, & sic prædicamenta sunt enũciationis partes: quia etsi non per se primo, tamen per se secũdò, idest, ratione nominis & verbi eam ingrediũtur; eo quòd sint prima & simplicissima principia, ad quæ vltimò nomen & verbũ resoluuntur, vt dictum est.

vbi sup.

Ad tertium quia petit difficultatem an propositio prædicatiua sit in rebus à parte rei, seclusa omni operatione nostri intellectus, vt Burleus sustinet, ideo ad sequentem disputationem tertiam differatur

Rationes aduersus secundam conclusionem diluuntur.

Ad primam rationem qua cõtendebatur, quod tractare de vocibus ad gramaticum, & ad naturalem Philosophũ spectat, ergo nõ ad logicum: negãda est consequẽtia: quia vt Aristoteles in lib. 1. posterior. textu 42. docet; vnam & eamdem conclusionem diuersarum sciẽtiarũ, consideratio nem subire, nullum absurdum est. Quapropter plures scientiæ de ijsdẽ reb. differere possunt, quatenus alio & alio modo spectantur. Quo pacto terram esse rotundam Philosophus naturalis, & Astronomus considerãt: sed naturalis considerat terram in eo quod terra, eiusque rotũditatem vt terminum corporis physici. Astronomus verò contemplatur terram non vt terra, sed vt corpus in tali situ luminaribus oppositum, eiusque rotunditatem vt corporis sic interpositi vel situati figura. Potest etiam vnam et res à diuer

Eadẽ conclusio quo modo à diuersis scientijs consideretur.

sis

sis scientijs considerari, quatenus ex diuersis principijs aliqua cóclusio de ipsa re probatur. v.g. quod terra sit rotūda, probat naturalis per motū, videlicet quia omnes partes terræ tendunt ad Centrū, & per cōsequens ab eo æqualiter distāt, quod est circulum cōstituere. Astronomus verò id probat ex eo, quod Terra est mundi Centrum, à Cælo æqualiter distans. Item Lunā eclipsari probat naturalis per motum, ex hoc quod terra inter Solem & Lunam ponitur, nec curat in quibus punctis Cęli luminaria sint. Astronomus viceuersa id demōstrat, quia quandocūque Sol & Luna sunt in Capite vel in Cauda Draconis, priuatur lumine, nec considerat quod aliquod corpus interponatur. Igitur ad rem nostram, sicut iam diximus Vox multifariè consideratur, & nunc dicimus eamdem posse trifariā cōsiderari; vno modo quo ad congruentiam & incongruentiam, & penes hanc considerationem ad Grāmaticum spectat; altero modo prout quidam effectus à re animata producti; & sic naturalis Philosophus eam considerat; tertio, quatenus veri & falsi est significatiua, & hoc modo logicā subeunt facultatem.

Disp. 2. sect. 3.

Voces significatiuæ dupliciter considerantur.

Boetius ad initium Categoriarum distinctionē affert, videlicet, Voces significatiuæ duobus modis cōsiderantur, primo, vt imponūtur ad significandum; secundo, vt ipsis significātibus imponuntur proprietates causatæ ab intellectus primo modo ad Logicū, & altero modo ad Gramaticū spectāt. Igitur diuersas sciētias versari circa eamdem rē materialiter consideratā, nullum inconueniens est: at secus si circa eamdem rem formaliter habitam.

Ad secundum contra eamdē conclusionē negatur consequentia; Ad Cuius probationem Scotus ad calcem q. 1. prædicam. pulcram distinctionem assignat, dicēs, quod voces significatiuę dupliciter spectantur, primo in genere vocis, quod est dicere, prout absolutè sunt voces; secūdò, quatenus sunt cōceptuum significatiuæ; primo modo non reperitur inter illas aliquis ordo: sed altero modo sic; ita vt talis ordo sit inter eas, qualis reperitur inter cōceptus, quorum ipsę sunt signa. & subdit, quod omnis propositio in genere propositionum est singularis, sed ratione conceptus significati, alia est singularis, & alia vniuersalis.

Rationes contra tertiā & quartā conclusionem auferuntur.

Ad aliam Contra tertiam conclusionem, negatur consequentia, quæ si ex antecedenti tanquam nota, deducatur: tamē respondetur quod principalis intētio apud logicum est, tractare de rebus, de vocibus verò non nisi quatenus loco rerum necessitate compulsi ip-

si ipsis vtimur. Præterea ad antecedens quoque responderi potest, quod si tractare de vocibus significatiuis, & de rebus significatis sit idem, quatenus res per voces interuentu conceptuum significãtur, & voces eodem interuentu conceptuum ipsas res significant, vnde vnum pro altero vsurpatur, tamen longè distant, an huius libri primaria intentio sit de signo, vel de signato tractare, qua re argumentum eadem via recedit qua accessit.

Argumenta aduersus quartam Conclusionem soluuntur.

Ad vltimam contra quartam Conclusionem, quando dicebatur, quod res quatenus sunt ordinabiles secundum prædicationem, & subiectionem reponuntur in prædicamentis. Conclusio non est hoc modo intelligenda, videlicet quod omnes res quæ sunt in Prædicamentis, sint simul prædicabiles, & subijcibiles; quia sicut argumẽtum instat, indiuidua sunt subijcibilia tantùm, & non prædicabilia: sed conclusio sic intelligitur, quod res positæ in Prædicamentis, sint vel prædicabiles, vt vniuersalia, vel subijcibiles, vt indiuidua, quæ sunt omnium prædicatorum subiecta; vnde etiam indiuidua sunt in genere ordinabilia.

Ad illud quod de Generalissimis obijcitur, quæ sunt prædicabilia, non tamen ordinabilia: Respondetur quod etsi Generalissimum, non sit ordinabile in ratione subiectionis, eo quòd superiori genere caret: est tamen ordinabile in ratione prædicationis, & superioris, quatenus de inferioribus sub ipso contentis est aptum natum prædicari; & hæc satis. *Generalissima qualiter sint ordinabilia.*

SECTIO

Sexta.

Obiectiones vtriusque opinionis, videlicet, tam asserentium voces significatiuas, quàm affirmantium res, in hoc libro considerari causa exercitij, necnon in studiosorum iuuenum gratiam soluuntur.

ETsi de rebus, prout secundum prædicationem, & subiectionem sunt ordinabiles, sit huius tractatus primarium propositũ, quod dictum à plerisque Latinorum tanquam probabilius recipitur; voces autem, non nisi ex necessitate Logicam considerationem subire: verumtamen exercitij studio, necnon in iuuenum gratiam pro quibus has Disputationes elaborauimus, vtriusque

opinionis rationes faluemus; ab illis initium fumentes, qui voces confiderari affirmant.

Ad primam igitur negatur, quod Ariftoteles eo in loco diffiniat voces; fed diffinit res æquiuocatas, vniuocatas, & huiufmodi. Quod fi quis inftet; nonne prædicari propriè conuenit vocibus? imo Ariftoteles diffinit æquiuoca per verbum dici; nam ait: æquiuoca dicuntur, ergo voces, & non res diffiniuntur. Occurrit Caietanus, & folutio ex Boetio colligitur, quod Ariftoteles diffinit æquiuoca, per verbum dici, & non per verbum effe, quia rebus quatenus funt res, non conuenit æquiuocari vel vniuocari, fed quatenus per voces fignificantur: etenim res in feipfis neque æquiuoca, neque vniuoca funt; fed funt talia, quatenus funt in noftris vocibus: nam æquiuocari fupponit vocari, quod rebus ex nominibus accidit.

Æquiuoca cur diffiniuntur per verbū dici, & nō effe.

Ad fecundū negatur, quod illa diuifio fit de vocibus, fed principaliter eft de rebus. Quapropter aliqui diftinguunt, quod aliud eft effe complexum, vel incomplexum, & aliud dici, cum, vel fine complexione: primum folis terminis competit, fecundum rebus, prout complexè, aut incomplexè fignificantur. Igitur diuifio eft rerum quatenus per voces fignificantur. Quod fi eamdem diuifionem effe de vocibus concedatur, vt multis placet, dicatur, quod Ariftoteles non diuidit voces per fe, fed in gratiam alterius, videlicet, ipfarum rerum quarum funt fignificatiuæ; quia vt Auicennas fcribit, Logicus non fumit rationem complexi, vel incomplexi fecundum vocem folam, fed fecundum rem: nec eft prorfus abijciendum id quod aliqui dicunt, fcilicet, quod Antepraedicamenta funt quædam pars acceffotia, & non effentialis huius tractatus, & quafi pars prooemialis; ideo non mirum, fi in ea quandoque voces, & quandoque res Philofophus diffiniat, aut diuidat. Sed hæc fuo loco difcutientur.

Ad tertium, etfi Alexander, Boetius, & Græci ferè omnes exiftiment eam diuifionem effe de vocibus, eo quòd dici fine complexione, vocibus conuenit: tamen fecundum plerofque Latinos, Ariftoteles non diuidit voces, fed res incomplexè fignificatas, quas per voces fignificatiuas explicat, propterea voces primò diuidit, fed rerum vocibus fignificatarum exempla ponit, & hæc fuper litteram dilucidabuntur.

Ad quartum refpondetur, quod fi nomina, & verba quę funt voces fimplices, & fecundæ impofitionis, de quibus Ariftoteles in libro primo Perihermenias agit, præfupponant alias fimplices voces, & primæ impofitionis: tamen

Nomina, & verba supponũt simplicio res termi nos.

tamen principaliter supponunt res simplices, à quibus termini intentionales abstrahuntur, qui termini per impositionem, aut nomina, vel verba nuncupantur: ita supponendo res simplices, supponunt quoque voces simplices significatiuas ipsarum rerũ, & de quibus vocibus nõ principaliter, sed ex consequenti in hoc libro tractatur, prout scilicet sunt rerum significatiuæ, & hoc modo obiectiones prioris opinionis suo ordine soluuntur.

Diluuntur Rationes alterius sententiæ.

Ad primam alterius sententiæ posset negari secundum Græcos, quod ea diuisio sit principaliter rerum, sed est vocum, quatenus ipsas res significant.

Ad secundum pariter, & ad tertium eadem solutio feratur.

Ad quartum. Respõdetur, quod si Substantia, Quantitas, Qualitas, & reliqua sint res, tamen Aristoteles non cõsiderat eas principaliter vt res, sed prout ex illis sumuntur termini simplices, & conceptus, ex quibus deinde propositiones construuntur.

Ad quintum similiter dicitur, non esse necessariũ, quod Logicus tractet de rebus quę sunt fundamentum secundarum intentionum, nisi quo ad ea quæ eis insunt, quatenus sunt secundarum intentionũ fundamentum, quod non est principaliter considerari, vt argumentum obijcit.

Ad auctoritatem ex qua deducebatur Prædicamẽta considerari vt conceptus. Respondetur, quod etsi Generalissima ex rebus sumpta sint ipsarum rerum conceptus, tamen non considerantur principaliter, vt conceptus, sed secundario, scilicet quatenus res in Prædicamentis considerantur reducuntur ad decem Genera, quæ Genera deinde conceptus dicuntur.

DISPVTATIO Tertia.

An omni opere nostri intellectus secluso detur propositio prædicatiua in rebus, ex parte ipsarum rerum.

SECTIO Prima.

Burlei affirmantis dari huiusmodi propositionem sententia proponitur.

NOn abre existimauimus, seorsum examinare solutionem tertiæ obiectionis ad uersus primam Cõclusionem superioris disputationis, quẽadmodum ad tertium sectionis quartæ eiusdem insinuauimus, quæsitum etenim secum affert non modicæ conside-

rationis, videlicet, num Propositio prædicatiua, secluso omni actu nostri intellectus, sit in ipsis rebus, vel non: nam Aristotelis interpretes nõ idẽ sentiunt.

Burleus inter Latinos expositores multum celebris ad medium præfationis libri Categoriarum existimat propositionem existimatiuam, seclusa omni operatione intellectus, ex parte rei in ipsis reb. reperiri, verbi gratia, si fiant huiusmodi prędicationes, Plato est homo; aut Homo est Animal, inquit ipse quod extra nostrum intellectum, non solù n reperiũtur illæ res quæ sunt subiectum, & prędicatũ, scilicet Plato, Homo, & Animal, sed ipsamet propositio, verbi gratia, Plato est homo, etiam extra animam reperitur, ad cuius positionis intellectum distinguit ipse dicens, quod propositio est triplex, vna mentalis, altera vocalis, tertia realis, & sicut prima ex conceptibus componitur, altera ex vocibus prolatis, ita tertia cõficitur ex rebus, quarum vna est subiectum, & altera prædicatum.

Propositio triplex.

Præterea distinguit, quod in omni propositione duo reperiuntur, vnum quod est formale, & alterum quod est materiale; formale in propositione est copula copulans prædicatum cum subiecto, & hæc est in intellectu, ex eo quòd compositio, & diuisio sunt operationes intellectus, materiale verò est subiectum, & prædicatum, & hæc sunt extra animam, atque subinfert, quod quemadmodum propositio ex vocibus confecta, & vocaliter prolata, est extra animam, quia voces extra animam sunt, & composita ex conceptibus est totaliter in anima, quia conceptus sunt in anima; ita, inquit, propositio ex rebus composita, partim est in intellectu, & partim extra ipsum, quo ad suũ formale est in intellectu; at quo ad materiale est totaliter extra intellectũ, ita vt ipsę res sunt seipsis subiectũ, & prædicatum. Cõcludit tandẽ, quod propositionũ, Alia est realis, illa videlicet quę omnẽ operationẽ intellectus excludit: v.g. Socrates est homo: homo est Animal, & hæc respondet reali compositioni extra animam: quia nullo intellectu cõsiderante, Socrates est hõ, & homo est Animal. Altera intentionalis quæ ex opere intellectus cõficitur, vt affirmatio & negatio, quæ ab anima dependent. Igitur subiectum & prędicatum reale est illud, quod ab anima non depẽdet, vt prima vel secunda substantia. Subiectum & prædicatũ intentionale est illud, quod ab anima dependet, sicut terminus vocalis, vel conceptus mentalis.

Formale, & materiale propositionis.

1 Quod propositio ex rebus extra animam conficiatur, sex medijs allatis ꝓbat. quorũ primum est hoc. Quæcunque Intellectus potest adinuicem componere, vel ab inuicẽ separare,

parare, posśūt esse partes orationis, & per consequens subiectum & prædicatum. Sed intellectus potest componere res adinuicem asserendo eas esse easdem: & illas abinuicē separare, affirmando eas esse diuersas: ergo illæ res possunt esse partes orationis: & per consequens subiectum & prædicatum. minor est manifesta: & maior probatur ex eo, q̃d propositio est compositio aliquorum per intellectum, vt propositio affirmatiua, aut aliquarum abinuicem diuisio, vt propositio negatiua.

2 Præt. in omnibus significātibus & significatis in significādo ordinatis, necesse est ad vltimum significatum deuenire, vt ex libro 1. post. colligitur, alioquin in essentialiter ordinatis abiretur in infinitū; quod Aristoteles in lib. 2. metaph. reprobat: sed propositio scripta significat propositionem vocalem, & vocalis mentalem, vt libro primo perihermenias dicitur; tunc petitur, propositio mētalis, aut est vltimum significatum aut non; vltimū esse nequit, quia omnis propositio significat iuxta compositionem suorū terminorum: constat autem quod propositio mētalis cōponitur ex conceptibus significantibus res extra animam; ita Aristoteles in libro 3. de anima docet. Si verò vltimū significatum sit res extra animam, tūc quæritur; res extra animam per propositionem mentalem significata, vel est complexa, vel incomplexa; non incomplexa, quia res incomplexa non nisi per alterā partem propositionis, scilicet per prædicatum, aut per subiectum significatur: ergo est res complexa, quæ non est aliud nisi realis propositio extra animā, propositioni mentali in anima correspondens, sicut propositio mentalis propositioni vocali; & hæc propositioni scriptæ correspondet.

3 Præt. Ex eisdem componūtur propositiones, ex quibus quæstiones formantur: sed q̃stiones formantur de rebus extra animam, ergo propositiones componūtur ex rebus extra animam. Consequentia cum maiori tenet, ex hoc q̃d illud idem, quod primò est quæstio, fit postea conclusio, vt in lib. 2. post. dicit. minor est manifesta, quia quando quæritur an homo sit risibilis, terra grauis, vel cælum sphericum, quæstio fit de rebus extra animam, & sic propositiones ex rebus componuntur.

4 Item scientię reales vt physica & Metaphysica considerant realiter res, & nō voces, vel conceptus: sed huiusmodi artifices formant suas demōstrationes ex his quæ primò, & per se cōsiderant; ergo demonstrationes quæ fiunt in his sciētijs, sunt ex rebus: sed demonstrationes componuntur ex propositionibus, ex p̃missis scilicet & conclusione, igitur propositiones ex rebus

bus conficiuntur.

5 Intellectus dicens quod homo est animal, affirmat prędicatū de subiecto alicuius propositionis, sed affirmat Animal de homine, igitur homo est subiectum, & Animal prædicatum propositionis. Constat autem quod Animal & homo, sunt res extra animā. Similiter cū intellectus dicit quod homo nō est asinus, remouet prædicatū à subiecto alicuius propositionis negatiuæ, sed non remouet nisi asinum ab homine; igitur cū homo & asinus sint res extra animam, sequitur quod propositio ex rebus componatur.

6 Confirmatur tandem positio auctoritate Aristotelis dicentis, quod quædam prædicantur de subiecto, & nō sunt in subiecto, vt secundæ substantiæ, & nō loquitur de vocibus, aut de cōceptibus, sed de rebus. Et in libro primo Perihermenias, quod hęc quidem rerum sunt vniuersalia, illa singularia; Vniuersale quidem est aptum natum de pluribus prædicari, quod totum Boetius de rebus exponit, & ita res prædicantur. Et ex his Burleus concludit propositiones ex rebus extra animam realiter componi.



SECTIO Secunda.

Propositionē ex rebus extra animam non componitur, sed esse quid intentionale explanatur.

Ridiculā profectò esse positionem Burlei affirmantis Propositionem ex rebus extra animam realiter conficiita vt omni operatione nostri intellectus seclusa, reperiatur extra ipsum totum cōplexum alicuius propositionis. Paulus Venetus in Antepradicamētis cap. 2. quod de subiecto & prędicato ipse vocat, & Dominicus à Soto super Prologum in explanatione secundæ conclusionis, auctoritatibus, & rationibus ex Aristotelica officina desūptis planè ostendunt. Sed vt facilius omnia capiātur, ideo quodam ordine seruato procedendum est. Igitur contra Burleum probatur non dari propositionem extra animā ex rebus confectam.

1 Aristoteles ad medium primi capitis libri primi priorum, diffiniens terminum, ita scribit. Terminū voco in quē propositio resoluitur vt prædicatum, & id de quo prædicatur. Quod siqs petat, quid ipse per terminum intelligat? Respondet Alexander ibidē, quod Termini in propositione simplici sunt nomē, & ver *Terminus quid sit.*

bum.

bum:atque propositionis partes dicũtur termini, quia propositio his terminatur & finitur, ex hisque cõstituitur, tũc sic arguitur. Nulla res extra animam (intelligendo per rẽ extra animam, omne quod ex operatione intellectus nõ dependet,) est propositionis terminus, ergo nulla propositio ex rebus extra animam conficitur. Antecedens ex eo probatur, quod terminus propositionis est nomẽ, & verbum, vt dictum est, & nulla res extra animam est nomẽ aut verbum, cum hæ sint voces significatiuæ ad placitum: Consequentia tenet, quia tunc propositio resolueretur in res, & non in terminos, cum resolutio fiat in ea ex quibus fit cõpositio, & illud est falsum, qa propositio resoluitur in terminos.

Propositio quid sit.

2 Pręt. Philosophus ad initiũ eiusdem capitis, propositionem diffiniens, sic dicit: Propositio itaque est oratio affirmatiua, vel negatiua alicuius de aliquo, postea diuidens ipsam secundum suam quantitatem, suddit: hæc autem aut vniuersalis, aut particularis, aut indefinita. Circa quam assignatam diffinitionem, scribit Alexander in hũc modũ: Aduertendum est aliquid de aliquo etiam negationi attribuisse, propterea quod in negatione quoque quidam terminus est qui subijcitur, & quidam qui prædicatur: non enim ly aliquid de aliquo affirmationẽ significat, sed prędicationem qua aliquid, vel affirmatiua, vel negatiua prędicetur. Ex his arguitur. Si propositio est extra animam, ita vt ex rebus realiter componatur, sequitur quod in ipsis rebus sint orationes prædicatiuæ secundum affirmationem, & negationem, vniuersales, particulares, indefinitæ, sed consequẽs est falsum, ergo & antecedens. Falsitas consequentiæ sic probatur. Propositio prædicatiua quod sit vniuersalis, particularis, vel indefinita, nõ sortitur nisi ex operatione intellectus, cum illi termini sint intentionales.

3 Præt. Aristoteles in libro 6. metaph. tex 8. affirmat quod verum, & falsum formaliter non est extra intellectum: fundamentaliter tamen, & obiectiuè est in rebus, sicut ex libro 9. metaph. tex. 22. colligitur: ergo si propositiones reperiuntur in rebus extra animam; sequitur quod earũ veritas, & falsitas sit formaliter in ipsis rebus; quod est falsũ vt dictum est. Consequutio probatur ex hoc, quod veritas, & falsitas propositionũ, consequuntur formaliter ipsas propositiones.

Propositio quod sit vniuersalis, vel particularis habet ex intellectu.

4 Præt. Si res extra animam subijciuntur, & prædicantur in propositione; ergo res extra animam sunt partes orationis. Consequentia tenet, quia propositio est oratio, vt dictum est: tunc subinfertur, omnis oratio est species quãtitatis, igitur res extra ani-

mam, v.g. substantiæ ex quibus propositiones possũt formari, erunt species quantitatis, quod est falsum.

Dicatur igitur ad resolutionem propositi quæsiti, quod aliud est loqui de rebus per propositionem significatis, & aliud de ipsa propositione. Si sermo fiat de rebus ꝑ propositionem significatis, tunc est manifestum, quod res possunt esse, imò de facto sunt extra intellectum, verbi gratia si formentur hæ proposit iones, Socrates est homo, aut homo est Animal, res significatæ per hos terminos, Socrates homo, Animal, sunt extra intellectum, imò sunt vna, & eadem res, atque nullo intellectu considerante, Socrates est homo, & homo Animal. Sed huiusmodi res significatæ, etsi in propositione sint subiectum, & prædicatum, non tamen ex natura rei habent, quod sint talia: quia cum sint termini intentionales, nõ insunt rebus, nisi extrinsecè, ex opere videlicet intellectus concipiẽtis res sibi obiectas, vnam in ratione prædicati, vt Animal, & alteram in ratione subiecti, vt homo; sed quia secundæ intẽtiones in primis fundantur, hinc dicitur quod res fundamentaliter prędicãtur, & subijciuntur: quia ipsarum intentionum sunt fundamenta, & extra intellectũ reperitur coniunctio rei, quæ prædicatum dicitur, cum re quæ in propositione subiectũ nominatur. Si verò sit sermo de propositione, tunc dicitur qđ omnis propositio est quid intentionale, & non in rebus, sed solùm in mente, aut scripto, vel voce exercetur, qđ ex eo fit notum, quia propositio est oratio affirmatiua, vel negatiua alicuius de aliquo, sed oratio non exercetur nisi in mente, aut scripto, vel voce, ergo & propositio non exercetur nisi in mente, aut scripto, vel voce, licet significatum per vocem sint res extra animam, & quemadmodũ scientia, & diffinitio sunt quidem in mente, & in voce, etsi res sunt, quæ scientur, & diffiniuntur, ita prædicatio, & ꝓpositio sit in terminis, quãuis res significatæ, sint quæ principaliter prædicentur.

Res ex solo intellectu sunt prædicatum, & subiectũ.

Ex hac distinctione manifestatur, quàm sit vana, & inutilis distinctio à Burleo assignata de duplici propositione, reali videlicet, & intentionali, nulla etenim datur propositio realis ex rebus composita, quamuis significata per terminos propositionis sint res extra animam, sed omnis propositio prædicatum, & subiectum est quid intentionale: in mente est intentionale formale, & in rebus intentionale obiectiuum; eo quòd res non sint prædicata, aut subiecta, nisi quatenus obijciuntur intellectui concipienti rem in ratione prædicati, vel subiecti, vt dictum est. Ex his habetur solutio ad tertiam dubitationem contra primam cõclusionem superioris disputationis

Propositio realis non datur.

Termini prædicantur formaliter res fundamentaliter.

nis, videlicet: si res prædicantur, ergo propositiones ex rebus conficiuntur: nam vt diximus, Res prædicantur fundamentaliter, & principaliter: formaliter autem, & propriè prædicari conuenit terminis, ex quibus propositiones cõponuntur: tunc non sequitur quod propositiones cõficiãtur ex rebus, quia nõ res, sed termini formaliter prædicantur, deinde absurda deducta sic soluuntur.

Ad primum cum dicitur, Igitur datur prædicatio, in qua subiectum à prædicato nõ distinguitur; vt si dicatur: Socrates est homo, quia sunt vnamet res. Satis de hac re diximus super Porphyrium cap. de Specie, q̃st. vnica, de Indiuiduo; quod cum prædicatio fuerit ab arte excogitata, vt ignotum fiat notum: hinc ad proprietatem veræ prædicationis duo requiruntur, primum quod in ea vnum de altero prædicetur, verbi gratia prædicatum de subiecto, in quo ignotum fit notũ, vt si dicatur homo est Animal, tunc innotescit hominẽ esse Animal: secundum quod prędicatum distinguatur à subiecto saltem in modo significandi; Ideò quamuis homo, & Animal extra intellectum sint vnamet res: tamen quia intellectus concipit eas sub diuersa ratione, ideo inter p̄dicatum, & subiectum cuiusque propositionis reperitur semper aliqua distinctio.

Vera prædicatio duo requirit.

Inter subiectum, & prædicatũ datur semper aliqua distinctio.

Ad reliqua tria vnica solutione respõdetur, quod aliud est loqui de subiecto, & prædicato formalis propositionis, & aliud de rebus significatis per prædicatum, & subiectum: si sermo fit de rebus significatis tunc conceditur, quod inter subiectum, & prædicatum est maxima distãtia: eo quòd Florentia per multa milliaria distat à Roma, & quod subiectum potest comedere prædicatũ; quia res quæ est homo, significata per subiectum propositionis, potest comedere rem quæ est panis, significatam per prædicatum in propositione. Similiter subiectũ potest esse pater prædicati, quia res per subiectum significata, potest esse pater rei significatæ per prædicatum, vt Saturnus est pater Iouis. Sed si fiat sermo de subiecto, & prædicato propositionis formalis: tunc omnes cõsequentiæ negantur: etenim cum subiectum, & Prædicatũ sint extrema propositionis, i. termini ex quibus propositio formaliter componitur: tunc si propositio sit in mente nulla distantia localis inter illos terminos reperitur, neque subiectum comedit prędicatũ, neque terminus terminum generat. Si propositio sit vocalis, aut scripta, quamuis in probatione vnius termini ab altero fiat temporis interpolatio: non tamen est tanta, vt prædicationis naturam interimat. Quod si quis nunc proferat subiectum, & hinc ad dimidiam, vel ad horam proferat

Interpolatio temporis quãdo tollit oratiõnẽ Logicã, et quando non.

ferat prædicatum, tunc huiusmodi prolatio apud Logicos non diceretur pdicatiuā propositio; sed est simplicium vocum significatiuarum prolatio. Similiter si scribatur atq; inter ipsa extrema scripta, maxima distantia reperiatur, tunc apud Logicum forsan oratio propriè non diceretur, quia termini orationis tam vocalis quàm scriptę, nō in qualibet distantia prolati, aut positi, orationem apud Logicum constituunt: sed in tanta solùm, quanta requiritur, vt termini rerum significatiui distinctè proferantur, aut scribantur ad eorum significatū distinctè percipiendum, satis dictum est.

SECTIO Tertia.

Ad sex Rationes, quibus Burleus probat dari extra Animam Propositionem ex rebus ut ex subiecto, & prædicato compositam, respondetur.

AD primam rationē Burlei, negatur maior: cuius negationis ratio est; quia noster intellectus potest intelligere res extra animam esse, vel adinuicem cōiunctas, aut abinuicem separatas, iuxta illud dictum Auerrois in libro 12. Metaph. com. 39. intellectus est aptus natus diuidere secundum rationem ea quæ sunt adunata inesse, in ea ex quibus componuntur: quamuis non diuidantur inesse, sicut diuidit materiam à forma, & formam à composito ex materia, & forma, & etiā intelligit eas adinuicem coniunctas: non tamen sequitur quod materia, & forma inquantum sunt res extra animam, possint esse subiectum, & prędicatum propositionis.

Intellectus intelligit coniūcta naturaliter, esse diuisa, et econtra.

Deinde ad minorem dicitur, quod Diuisio est duplex, vna realis, & altera intētionalis: si de priori intelligatur, tunc est falsa: quia intellectus, siue intelligat, aut asserat res esse easdem vel diuersas, ex hoc non sequitur, quod verè eas componat, aut diuidat: nam quando affirmat, aut negat Socratem esse hominem, aut hominem Animal: non propter hoc facit, quod Socrates sit, aut non sit homo, & homo sit, aut non sit Animal. Si autem de posteriori intelligatur, quæ est affirmatio, & negatio: cum huiusmodi compositio conficiatur ex partibus intentionalibus, ex terminis, videlicet nomine, & verbo: tunc cōceditur, quod huiusmodi partes orationis possint esse subiectum, & prædicatum; vnde sicut intellectus componit, & diuidit terminos rerum significatiuos, v.g. Socratem & hominē, aut hominem & animal; ita facit propositionem significantem Socratem esse hominem; & hominem esse animal.

Diuisio duplex.

Ad secūdum dicitur, quod vltimum significatum propositionis

Vltimum significatum propositionis sunt res.

sitionis mentalis non est ipsa propositio, quia cum propositio sit significatiua, significat vlterius aliquid aliud, vltimum significatum est res extra animam, etenim quemadmodum hæc quattuor, videlicet res, conceptus, voces, & scripturę, sic se habent, quod conceptus significant res à quibus in mente causantur; & voces significant immediatè conceptus, & scripturę voces, quæ scripturæ sunt signa tantùm, neque vlterius per aliud significantur, sicut ex primo capite libri primi Peri hermenias habetur, quapropter in ipsis fit status: ita propositio mẽtalis significat res, & vocalis propositionẽ mentalem, & scripta vocalẽ, quæ propositio scripta per aliud vlterius non significatur. sed in ea fit status. Igitur vltimũ significatũ propositionis mẽtalis est res extra animã, per ipsam propositionem mentalem significata, & repræsentata, videatur Scotus libro 1. Periher q.2.per totum.

Aliqui distinguunt, quod Res extra animam dupliciter significatur, vno modo incõplexè, alio modo complexè. Rem significari incõplexè est repræsentari secundum suum simplex significatum, vt homo secundum simplicem hominis naturam; aut animal secundum simplicem animalis naturam. Complexè significari est ipsam rem secundũ suũ totum simul significatum repræsentari, v.g. si dicatur homo est animal, totum significatũ huius propositionis non est homo tantùm, aut animal tantum, sed hoc totum simul hominem esse animal: quæ res complexè significata non est aliqua propositio, sed significatum propositionis, & idem de alijs dicatur. Quãdo ergo in responsione dicitur, quod vltimum significatum propositionis mentalis est res extra animã, vel sumitur res incõplexè, vt homo aut animal; vel complexè, scilicet totum hoc simul, hominem esse animal.

Significatũ propositionis adæquatum, & inadæquatum.

Altera distinctio assignatur talis. Significatum propositionis est duplex, vnum quod dicitur primarium, vltimum, & adæquatum: primarium eo quod sit primum quod repræsentatur, vltimum quia vltra ipsum nõ reperitur aliud, adæquatum, quia totũ simul nec plus, nec minus est, quàm ipsa ꝓpositio significet, & hoc significatum est ipsa res complexè significata, videlicet hominem esse Animal. Aliud significatum dicitur non adæquatum, quia non repręsentatur totũ simul sicut propositio significat, & hoc sunt ipsæ res, quarum vna in propositione per subiectum vt homo, & altera per prædicatum significatur, vt Animal. Concludatur ergo, quod hæc propositio homo est Animal, significat hominem esse Animal, & etiam significat hominem, aut Animal; sed non eodem modo, quia hominẽ esse Ani-

Animal significat adæquatè: hominem aut Animal inadæquatè.

Contra hanc solutionẽ sic arguitur. Diuersitas in modo significandi rẽ adæquatè, vel inadæquatè, aut prouenit ex parte intellectus tantùm, vel ex parte rei tantùm, vel ex parte vtriusque simul. Si ex parte intellectus tantùm, Cõtra, intellectus suo actu nullã diuersitatem ponit in re ipsa, ergo res tam complexa quàm incomplexa erit significatum adæquatum, aut inadæquatũ propositionis, & ita propositio ex seipsa vtramuis rem vtroque modo significat. Si ex parte rei tantùm, Contra, Res per propositionem significatæ sunt eædem, nam idem est homo quod Animal, neque inter hominem, & Animal aliqua diuersitas reperitur, idem enim significatur cũ dicitur homo est Animal, & homo Animal: ergo & modus significãdi erit idẽ, quia diuersitas modi non est, nisi ex parte rei sit aliqua diuersitas: si ex parte vtriusque simul, assignetur, quæ, & qualis, & quomodo sit.

Huic obiectioni duplex solutio reperitur, nam quidam asserunt hanc diuersitatem in modo significandi, prouenire ex parte intellectus, & ex parte rei. Ex parte intellectus, ratione actus componendi, & diuidendi; ex parte rei, ratione compositionis speciei cũ genere. Alij verò quorum solutio magis probatur, inquiũt hanc diuersitatem prouenire ex parte intellectus tantùm; quia ex parte rei sunt vnamet res, sed intellectus suo actu hanc diuersitatem efficit, ita vt prædicatum cum subiecto, mediante copula verbali componat, aut mediante negatione diuidat.

Ad argumentum, conceditur, quod intellectus nullam diuersitatem ponit in ipsa re significata, & vtraque res cõplexa, scilicet & incomplexa de seipsa est adæquatum significatum, aut inadæquatũ propositionis, sed intellectus est qui diuisionem facit.

Ad aliud similiter non valet, si dicatur res significatæ sunt eædem, ergo & modus significandi est idem, tunc.n. valeret consequẽtia, si diuersitas, vel identitas modi significandi proueniret ex parte rei. Sed quando ex parte intellectus prouenit, licet res sint eædem, modus tamen significandi potest esse diuersus, prout intellectus concipit eadem rem sub diuersa ratione, nam idem est homo, & Animal: attamen in hac propositione, homo est Animal; intellectus concipit vnũ sub ratione subiecti, & alterũ sub ratione prædicati. Hinc Auerroes in lib. 12. Metaph. Com. 39. inquit: Hæc est dispositio intellectus in rebus compositis ex materia, & forma, cum disponit compositum per formam, aut cum disponit habẽtem formam per formam, intelligitur enim vtraque esse adu-

adunata aliquo modo, & aliquo modo differentia, verbi gratia, quia cum disponit hominem per rationabilitatem, intelligit, quod subiectum rationabilitatis, & rationabilitas idem sunt in adunatione, & intelligit, quod differés ex eis est aliud à delato.

Ad tertium principale negatur maior: quoniã sic propositio mentalis, vocalis, vel scripta componeretur ex rebus, quod dictum neque Burleus admittit, & illud est manifestum, quia quælibet talis propositio potest esse quæstio ex rebus; igitur maior nõ est vera. Deinde ad minorem cũ dicitur quæstio fit ex rebus. Respondetur quod propositio (ex) duplicem sensum habet, vnum in quo materiam compositionis notat, vt cum dicitur Domus fit ex lapidibus, & hic sensus est falsus: nam quæstio non fit ex rebus, vt ex materia compositionis, alterum in quo signat materiam subiectam, circa quam quæstio versatur, & hic sensus est verus, nã quando quæritur an homo sit risibilis, cœlum sphæricum, aut terra grauis, quæstio non est de propositione, sed de rebus, quæ cum in disputatione ferri nõ possint, ob id earum loco, nominibus vtimur, sicut in primo capite libri primi Elenchorum Aristoteles scribit.

Propositio (ex) habet duos sensus.

Ad quartum concessa maiori, negatur minor, videlicet quod Artifex faciat demonstrationem ex his quæ primo, & per se considerat. nam quilibet Artifex considerat primo, & per se res extra animã, verumtamen non ex rebus, sed ex terminis res significantibus demonstrationes componit.

Impugnatio.

Contra hãc solutionẽ Burleus sic arguit. Subiectũ adæquatum sciẽtiæ acquisitæ per demonstrationem est conclusio illius demonstrationis, eo quod demonstrationis cõclusio scitur, & illud quod scitur est subiectum scientiæ, quæritur ergo, an Conclusio scita componatur ex rebus, vel ex conceptibus, aut ex vocibus, si ex rebus, habetur propositum, si ex vocibus, vel conceptibus solùm, sequitur quod non sciatur nisi vox, vel conceptus, quod in scientijs realibus est maximum absurdũ, vnde arguitur.

Omnis propositio est vox vel conceptus, sed omne demõstratiuè scitum est propotio, ergo omne demonstratiuè scitum est vox, vel conceptus. Consequens est falsum, ergo, & illud ex quo sequitur, non minor, ergo maior: ergo sua contradictoria est vera, videlicet, aliqua propositio non est vox vel conceptus, neque ex his composita, sed ex rebus conficitur.

Ad primum negatur Antecedens, scilicet, quod subiectum, vel obiectum adæquatũ scientiæ acquisitæ per demonstrationem sit cõclusio, sed est ipsum significatũ conclusionis. Nam quemadmodũ Con-

Subiectũ adæquatũ sciẽtiæ nõ est conclusio, sed significatũ per illam.

Conclusio nõ est vera vel falsa, nisi ratione significati, iuxta illud ad calcem capitis de Substãtia, ab eo quod res est, vel non est, oratio dicitur vera vel falsa; ita Conclusio nõ scitur, nisi ratione significati. Vnde licet res, quę sunt extra animam significatæ per terminos in conclusione positos sciantur: nõ propter hoc cõclusio ex rebus componitur, sed ex terminis, & quamuis conclusio sciatur, scitur tamen ratione rei significatæ, quę magis scitur. Hinc ad formam argumenti negatur minor, videlicet, quod omne demonstratiuè scitũ, sit propositio, sed est res per ipsam significata.

Non voces nec litera, sed res sunt eadem apud oës.

Ad confirmationem conceditur, quod scientia, quã Aristoteles habuit, & nos habemus de rebus est eadem; & quod scientia non est de vocibus, vel terminis, sed de rebus per terminos significatis, & quamuis voces apud omnes non sint eædem, sicut nec litteræ, vt in primo capite libri primi Perihermenias dicitur, tamen res naturales de quibus scientia habetur, sunt eædem apud omnes.

Ad quintum principale cõceditur, quod in propositionibus affirmatiuis, & negatiuis in quibus intellectus affirmat animal de homine, & negat asinum de eodem, quo ad significatum prędicati, aut subiecti affirmat, aut negat rem de re: ex hoc tamen non sequitur, quod res ipsæ sint subiectum, aut prædicatum alicuius propositionis, sed quod sint significatum adæquatum terminorum in propositione positorum.

Ad sextum iam supra dictum est quod res principaliter, & fundamentaliter prædicantur, vnde res de rebus prædicantur: sed prædicationes, non exercentur nisi in mente, aut in voce, vel in scripto, ac tandem non nisi in terminis significatiuis conficiũtur, quibus loco rerum vtimur, & quod vocibus prædicamus rebus inest. Notãdum tamen est, quod ante operationem intellectus res fundamentaliter prædicãtur, quod non est aliud, nisi ipsam rem suo subiecto inesse, verbi gratia rationalitatem homini, & albedinem Socrati, sed primum substantialiter, & secundum accidentaliter, sed actu prædicantur, quando intellectus actu cõsiderat vnum, sub ratione prædicati, puta quod de alio dicitur, & aliud sub ratione subiecti, scilicet de quo aliud dicitur, & hoc modo Rationibus Burlei respondetur.

Rem fundamentaliter prædicari ante operationẽ intellectus quid sit.



D 1-

DISPVTATIO IV.

An Prædicamentorum liber inter Logicæ libros sit in prima sede locandus.

SECTIO

Prima.

Hieronymi Balduini, & quorumdam aliorum sententium librum Perihermenias in prima sede Logicæ locandum esse sententia proponitur.

DAto vno inconuenienti, quod exinde multa absurda oriantur non sit qui ambigat, vt ex Aristotele in lib. 1. Physicæ auscultationis textu 22. colligitur. Etenim cum Hieronymus Balduinus in Logicis disputationibus vir alioqui acutissimus existimauerit Prædicamentorũ tractationem, siue perfectam, & absolutam, siue imperfectam, & inchoatam ad solam Metaphysicam spectare, eo quod diuisio entis in prima genera, quæ sunt quasi species illius; ad illum artificem pertineat, qui agit de ente quatenus ens est. hinc in aliud absurdũ incidit, scilicet librum Prædicamentorum, nec bene præponi Logicæ, nec cæteros Logicæ libros præcedere debuisse. Qđ si quis ab eo petierit, quo in loco hic liber sit collocandus, & vnde Logica inchoari debuisset, ad primum respondet: librum Prædicamentorum esse inter Logicã, & cæteras facultates q̃ sunt ipsa Logica posteriores ordine doctrinæ; perfectam verò & accuratam prædicamentorum tractationem ad initium libri 7. Metaphysicæ tradi debuisse. Ad secundum inquit Logicam à libris Perihermenias inchoari debere. At qđ Categoriarum liber inter Logicæ libros nõ sit in prima sede locandus his medijs probat.

1 Si liber Prædicamentorum est primus in Logica, necessarium est, quod ex vna harum trium causarum primitatem sibi vendicet: aut propter necessitatem, eo quod sine eo reliqui Logicę libri intelligi nequeunt; aut propter bonitatẽ doctrinæ, quæ in ipso tractatur; aut propter nobilitatem, eo quòd cæteris Logicis libris sit nobilior. Sed propter nullam harum trium causarũ præcedere debet, ergo liber Prædicamentorum in prima sede Logicæ non est locãdus. maiorem ac si ex sufficiẽti diuisione assignetur, supponit: minorem autem quo ad singulas partes inductas probat.

Quod non propter necessitatem, sic manifestat. Illud de necessitate præcedit aliud, qđ illius est causa, sed Prædicamenta non sunt causa eorum quæ in Logica considerãtur; ergo liber Prædicamẽtorum non ex necessitate alios præcedit. Confirmatur auctoritate

tate Auerrois in Epitomis Logicæ capite de rebus compositis, dicentis, quod quamuis notitia Prædicamentorum adiuuet formationem, tamen non est necessaria nostræ intentioni, quam intendimus; igitur non ex necessitate reliquos præcedit. Non propter bonitatem doctrinæ, quæ in eo tractetur, eo quod doctrinæ bonitas in libris posteriorum tractatur, in quorum primo de demonstratione, & in secundo de diffinitione agitur. Non propter nobilitatē, eo quòd doctrinæ nobilitas sumitur à materia circa quā versatur, sicut in lib. 1. de anima textu 1. scribitur, sed materia de qua in libro Perihermenias, cæterisque Logicæ libris tractatur, est nobilior, & perfectior ea quæ in Prædicamentis datur, ergo & doctrina in illis tradita est nobilior: nō remanet igitur causa, qua hic prædicamentorum liber sit in prima sede locandus.

Nobilitas Doctrinæ à materia sumitur circa qua versatur.

2 Aliud dictū videlicet quod Logica à libris de interpretatione inchoari debuisset, his medijs probat. Ab illo libro Logica inchoari debet, in quo habetur sermo de prima operatione intellectus: ergo à libro Perihermenias Logica inchoari debet. maior tāquā notissima, & ab omnibus receptissima supponitur, eo qd cum Logica sit facultas directiua operationū intellectus, quæ sunt res. 1. simplicium apprehensio, 2. compositio, & diuisio. 3. discursus siue ratiocinatio: Logica inchoari debet ab eo libro, in quo de prima operatione intellectus, sermo habetur. minorem probat dicens, quod ad initium primi capitis prioris libri Perihermenias fit sermo de apprehensione simplicium, de nomine videlicet, & de verbo, quę sunt simplices termini, igitur ab hoc libro Logica inchoari debet.

Operationes intellectus tres.

3 Pręt. ad eamdem positionē alij sic argumentātur. Genus necessario præcedit id cuius est Genus: sed oratio enūciatiua, de qua in libro Perihermenias agitur, est Genus cuiuscunque syllogismi, siue simplicis, de quo in libro Priorum, siue demonstratiui, de quo in libro posteriorum, siue Elenchi, de quo in libro Elenchorum agitur, ergo liber Perihermenias omnem alium librum Logicæ facultatis præcedere debet.

4 Præt. Doctrina partium antecedit necessario doctrinam totius, sed doctrina quæ tractatur in libro Perihermenias est doctrina partium, ergo ipsa necessario antecedit doctrinam totius. maior est nota, minor probatur: in libro Perihermenias tractatur de enūciatione, quæ est pars syllogismi qui est quoddam totum ex propositionibus confectum, & de quo in alijs libris tractatur, igitur.



5 I-

SECTIO

Secunda.

Liber Prædicabilium nec primum locum in Logica sibi vendicat, neque pars Logicæ est, neque Latini hoc assertum habent, vt quidam illis impingunt.

Voniam huius disputationis primarium institutum est, quinam liber sit in prima sede Logicę ponẽdus: propter hoc quispiam ambigere posset de libello Porphyrij an sit pars Logicæ nec ne; quod si admittatur, tunc existimabitur primam sedem inter Logicæ libros meritò imò necessariò sibi adscribere; eo quòd priori loco in Academiarum Gymnasijs explanandus proponatur. Imò Hieronymus Balduinus hanc sententiam omnibus ferè Latinis impingere audet, videlicet, quod liber Porphyrij sit primus in Logica; neq; Latinorum Principem Doctoremque S. Thomam ab hoc errore segregat: in quem etiam Albertum cognomento magnum fortè incurrisse, quis suspicabitur, in tractatu primo super Porphyrium cap. 2 vbi quamdam necessitatem libello Porphyrij attribuit. Sed videamus quæso, an aliqui Latinorum id senserint.

Liber Porphyrij nõ est primus in Logica.

Albertus. Albertus cognomento magnus, prædicto loco quamdã necessitatem libello Porphyrij attribuit, vnde patet, quòd non solum sit Logicus, imò inter Logicę libros primum sibi vendicet locum.

Sanctus Thomas in opusculo 48. de Prædicabilibus, sic scribit: Et quia Prædicamentum, vt hic sumitur, est quædã coordinatio Prædicabiliũ in ordine Prædicamentali, ideo ad cognoscendum Prædicamenta, oportet præcognoscere Prædicabilia. *S. Thomas.*

Dominicus Flandrensis in Opusculo fallaciarum, q. 1. distinguẽs partes Logicæ iuxta tres operationes intellectus, inquit, quod primæ operationi, quæ est simplicium apprehensio, correspondet prima pars Logicæ, quæ continet libros Prædicabilium Porphyrij, & Prædicamentorũ Aristotelis; quod & Iauellus in tractatu primo de præcognoscẽdis c. 7. & Toletus de Dialectica in communi ad calcẽ quæstionis 6. sentire videtur. *Flandr.*

Alij exactè quidem distinguunt, dicẽtes, quod aliud est loqui de Logica Aristotelis, & aliud de Logica ꝑ se sumpta: quod si de Logica Aristotelis fiat sermo, adhuc distinguẽdũ est de libro: vel per librũ Porphyrij intelligũtur entia rõnis tm̃, & tũc absq; dubio ea sunt pars Logicæ Aristotelis etiã nũc extantis: nã eamet q̃ Porphyrius in suo libello cõpilauit, ex libro primo Topicorũ Aristotelis desumpsit. Si verò ꝑ librũ intelligatur forma,

qua ipse vtitur, tunc ille liber nō est pars Logicæ Aristotelis, sed quædam introductio. at si sermo habeatur de Logica per se sumpta; tūc dicūt librū Porhyrij esse omnino Logicæ partem, ita vt sine eo Logica esset manca: quod dictū tripliciter probant.

1 Authoritate Aristotelis, q in lib 1. Topicorū de prædicabilibus tractat.

2 Tractare de quinq; vniuersalibus ad aliquē artificē spectat: at alium circa Logicum fingere, difficile est.

3 Cognitio ipsorū est necessaria ad diffinitionē & demōstrationem construendam, igitur hæc erunt logicæ pars.

Alterā cōclusionē assignāt, f. Doctrina Generis Differentiæ, Speciei, Proprij, & Accidētis, nō debet aliquē librum Logicæ p se cōstituere: quam cōclusionē sic cōfirmant, tūm primo: qa cōmisceri debet in tractatu diuisionis, eo qđ diuisio fit generis p oppositas differētias: aut in tractatu de diffinitione, sicut Aristoteles in capite 4. libri primi Topicorū fecit, eo qđ diffinitio quā ibi terminum vocat, datur de specie, p genus & differētiā, aut per propriū, vel per plura accidentia loco differētiæ essentialis; aut in tractatu de demonstratione in qua plerunq; per genus, & differentiā ostēdimus proprium de specie.

Dicerēt forsitan alij, primū Logicæ librū esse libellū Porphyrij, eo q ipsemet Author in suo proœmio asserit talem librū esse vtilē tāquā quādam introductionē ad vniuersam Logicā: sed omnis liber introductorius est primus in illa facultate ad quam introducit, ergo liber Porphyrij est primus inter Logicæ libros.

Quid de proposito q̄sito sit sentiendū, nos satis abūdè explicuimus in nostris dilucidationibus super Porphyrium: vbi Græcorū, & Latinorū authoritatibus distinximus, libellū ipsū à Porphyrio cōpilatū nequaquā esse necessarium ad ea intelligēda, q̄ ibidē prænotātur; ex quo fit cōsequens, librū Porphyrij neq; Logicum esse, neq; Logicæ partē, vnde neq; primā sedē in Logica sibi asciscit, quod ex illo cōfirmauimus; si liber Porphyrij esset necessarius, tūc absq; dubio diminutus erit Aristoteles Peripateticorū Princeps, qui hūc libellū neglectū reliquit: vel saltē in Topicis superfluus cēsebitur, dū ibi pertractat ea q̄ prius pertractāda erāt: est tñ vtilis; quā vtilitatē alij vocāt necessariū ad bene esse. Si verò sit sermo de notitia ipsorū quinq; vniuersaliū, diximus illorū cognitionē necessariam esse necessitate ex suppositione finis primo modo ibi habita: ita vt absq; horū p̄habita aliquo mō cognitione, sciētię acqri nequeāt: faciliori etenī modo reliqua intelligūtur, ad quorū cognitionē, cognitio p̄dicabiliū necessariò cōcurrit, si ipsa p̄cognoscātur. Verūtñ sicut Auerroes ait, dū Prædicamētorū diffinitionis, diuisionis,

Liber Porphyrij est vtilis, nō simpliciter necessarius.

nis,

nis, ac demõstrationis doctrinã Doctor tradit, posset tũc, & pdicabiliũ naturã docere: sed vt diximus, via faciliori p fata capitur, si prædicabiliũ exacta cognitio præhabeatur.

Cõcludatur ergo, librũ Porphyrij nõ esse partẽ Logicæ, ac p cõsequẽs primã sedẽ in Logica sibi nõ vẽdicare: ipsorũ tñ quinq; vniuersalium cognitionẽ phabere necessariũ est, nõ tali ac tãta necessitate, vt aliquẽ librũ per se cõstitue re debeant Remanet nunc vt ad obiecta respondeatur.

Balduinus falsũ impingit Latinis. Ad primũ dr̃, quod Balduinus falsam opinionẽ impingit Latinis: dũ asserit oẽs ferè antiquos, & modernos in eã sententiã descẽdisse, vt sustineãt librũ Porphyrij esse Logicæ partem: legatur inter cæteros Paulus Venetus super Porphyriũ p.p. plogi, post quattuor notãda posita; quo in loco q̃rit, an liber Porphyrij, & Sex principiorũ, sit pars Logicæ? & cõcludit qd̃ nõ, imò neque ad Logicæ necessitatẽ faciũt, sed tm̃ ad bene esse; eo quod Aristoteles prætermisit nihil de eo quod est ad Logicæ necessitatem; sicut ibi ostendit.

Interpretatio opinionis magni Alberti. Ad authoritatẽ magni Alberti, vel dicatur qd̃ ea necessitas, quã libello Porphyrij attribuere ipse vr̃, nõ sonat aliud q̃ maximã quãdã vtilitatẽ, vt dictũ est, & nõ absolutè necessitatẽ: vel cum Caietano sup Procemiũ Porphyrij respõdeatur, qd̃ in Prædicamentorũ doctrina duo reperiuntur, s. ordinatio prædicabiliũ, & adunatio rerũ ad sua genera, & generũ diuisiones ĩ suas species. Rõne primi Albertus dixit librũ Porphyrij esse necessariũ; q̃a cũ rõnes pdicabiliũ ordinãdorũ in Prædicamẽtis exprimãtur in eo libello, & qui ordinabiliũ rõnes ignorat ordinare nescit, pp hoc est necessariũ ea cognoscere: sed rõnes secũdi, vtilẽ eũ esse asseruit. Igitur statuẽti ordinẽ necessaria est ipsorum cognitio, addiscẽti verò talẽ ordinẽ, sufficit nosce qd nõis ipsorũ ordinabiliũ: & hoc modo argumentum remanet solutũ.

Defensio pro S. Th. Ad positionẽ S. Thomæ ex opusculo 48. desumptam, fateor me nescire quonã modo audeant quidam hunc errorẽ S. Thomæ impingere, videlicet, quod ipse senserit libellũ Porphyrij esse Logicæ partẽ; aut in Logica primum locum sibi ascribi. Etenim ex illo opusculo nil aliud desumitur, quod cum exactam, & clarã doctrinam Prædicamentorũ, & reliquorum logicalium tradere polliceatur; ideo præcognoscere prædicabilia oportet, præcipuè cum Prædicamentum sit prædicabilium ordinatio in ordine Prædicamẽtali, vt dictum est; Quod dictũ S. Thomæ neque Græci, neque Latini inficiantur. An verò ex his verbis S. Thomæ eliciatur ad illius mentem, librum Porphyrij esse Logicæ partem, vel in prima sede Logicæ locandum, sit qui puro oculo videat, & iudicet.

Ad positionem Dominici

Flandrensis, Respondetur, qđ hic Doctor eo in loco nō intēdit librū Porphyrij esse simpliciter Logicæ partē; aut ad primā operationē intellectus simpliciter ordinari: sed quia ad Prædicamētorū doctrinā maximè conducit, ideò simul cū ipsis Prædicamētis in prima parte Logicæ cōtineri dr. Hūc eūdē sensum Iauellus & Toletus habēt; sicut ex ipsorū doctrina fit manifestum.

Porphyrius quō vocat suū libellū introductorium. Ad authoritatē ex Porphyrio acceptā, qui suū librum Introductoriū facit, dicitur, qđ non ponit ipsum Introductoriū, ac si principem locū inter alios Logicæ libros habeat: sed quo ad modū breuitatis, & facilitatis doctrinæ: quem sensum ipsemet ostendit quādo ad initium sui Prologi scribit: Compendiosam tibi traditionem faciens: concludatur ergo Porphyrij libellum, non vēdicare sibi principem locū inter Logicæ libros, neq; Logicæ partem esse, vt dictū est.

SECTIO Tertia.

Librum Categoriarum inter libros Logicæ primum locum habere; authoritate illustrium virorum, & rationibus demonstratur.

Hieronymi Balduini opinio, affirmātis librū Categoriarum inter Logicæ libros minimè cōnumerandū esse, & ꝑ cōsequēs primā Logicæ sedē sibi nequaquā deberi, valde dissona est; & cū omniū veterū Græcorū Latinorū necnō Arabum sentētia maximè pugnās; imò recentiorū placitis prorsus aduersatur, qppe, qui librū Categoriarū Aristotelis, nō modò Logicæ partē, sed primū quoq; cōstituūt: nisi qđ volūt eā egere introductione aliqua, qua explicetur quid sit Genus, Species, Differētia, Propriū, & Accidēs. De qua s. introductione, Aristoteles in cap. 4. libri primi Topicorum agit, & Porphyrius in Chrysaorij gratiā cōpilauit, legātur q̄so Ammonius, Simplicius, Boetius, Auerroes, ad initiū libri Prædicamētorū: idipsum Porphyrius quoq; in suis Cōmentarijs in Prædicamēta, quæ ꝑ interrogationē, & responsionē explanauit, & Deisippus ī lib. 1. qq cap. 1 cōfirmāt; tādē Burleus, Paulus, Caietanus, Sotus, Toletus, ad initiū eiusdē libri, Petrus Fonseca in lib. 5. Metaph. c. 7. q. 1. sect. 4 eādē assertionē faciūt. Sed in studiosorū gratiā non pigeat nos illustriū virorū q̄dā verba huic loco apponere: nā etsi de proposito huius libri, hi inter se vnanimes non sint, in hoc tñ, de quo nūc q̄ritur, omnes idipsum sentiunt.

Porphyrius ibidē capite 2. q̄rēs cur Categoriarū libri inscriptiones ante Topica, aut de generibus entis, aut de 10. generibus nō sint admittēdæ, sic inqt: Ante Topica absurdè inscriberetur; qa cur ante Topica, & non potius ante Resolutoria, & ante librum de interpretatione inscribi deberet? non enim ob Topicorū do- *Porphyrius.*

doctrinam prædiſcenda ſunt prædicamenta, ſed ob reſolutoriorum etiam, & Categoricarum propoſitionum cognitionem, & reliquas ferè diſciplinas: quippe cum elementalis, & introductorius ad omnes Philoſophiæ partes liber hic ſit: & etiam de alijs inſcriptionibus rationẽ reddit. Hęc Porphyrius.

Deiſippus. Deiſippus in libro primo q̃ſtionum prædicamentalium capite primo, quęrẽs cur multas, ac varias inter ſe altercationes habuerint Peripatetici, ſup hoc Ariſtotelis libro, quem Categoriarum appellamus. Reſpondet id incidiſſe, quia propoſitum huius libri eſt de primis, & ſimplicibus vocibus, & de his quæ ab ipſis ſignificantur agere. Cũ igitur oratio oĩbus Philoſophię ſpeciebus perquam vtilis ſit: orationis autem principia ſint voces, & quæ à vocibus ſignificantur, meritò effectum eſt, vt dubitantium rectè ne de his pertractarit Ariſtoteles, tot exortæ contentiones fuerint.

Simplicius. Simplicius probans, quod demonſtratiui ſyllogiſmi reſolutio ad nomina, & verba non terminatur, inquit, quod hæc præcedit ſimplicium vocum ſpeculatio: vnde Prædicamentorum librum dicit eſſe Prooemium ad totam Philoſophiam, eumque primam logicæ partem vocat.

Boetius. Boetius in Categoriarum præfatione, quærens cur Ariſtoteles in eo libro, orationem in decem prædicamenta diuiſerit: & in libro Perihermenias in duas dumtaxat partes nimirum in nomen, & verbum: Soluit, quia in libro Perihermenias nomen, & verbũ conſiderantur quatenus enunciatiuam propoſitionem conſtituunt; in libro verò prædicamentorum in eo quod voces ſignificatiuæ ſunt, diſputantur.

Ammonius. Ammonius ibidem accutiſſimè diſputat, & oſtendit propoſitiones, ſine nominibus, & verbis eſſe non poſſe, quoniam ex his componuntur, at nomina, & verba citra ſimplices voces eſſe nequeunt, quia ſunt voces ſignificatiuæ; ideo de ſimplicibus vocibus iurè prius differitur. atque in præfatione primi libri Perihermenias, fatetur librum Prædicamentorum anteire librum de Interpretatione; quem vocat mediũ inter prædicamenta, & reſolutoria.

Zabarella. Iacobus Zabarella in libro ſecũdo, de natura Logicæ, capite 4 ſupponit primò, quod quemadmodũ ars medica ſupponit cognitionem corporis humani, & ars fabrilis cognitionem ferri, alioquin nihil efficere poſſent, ſi medicus ignoraret corpus humanum, & faber ferrum: ita ipſi Logicæ eſt neceſſaria aliqua cognitio rerum, quibus ſecundas nationes imponat, alioquin eas fabricare nequiret; quam omnium rerum notitiam rudem ac leuem tradit Ariſtoteles in libro Categoriarum;

quæ sunt quasi quædam iacta fundamenta vniuersæ Logicæ, his dictis subinfert in capite quinto, quod liber Categoriarum est quodammodo primus inter libros Logicæ, & quodammodo non primus: si consideretur quatenus in eo traditur cognitio omnium rerum, quæ sunt tanquam fundamentum totius Logicæ, hoc modo dicitur primus: at respectu fabricationis secundarum notionũ, hoc modo liber de Interpretatione est primus, eo quod in eo incipit Logicus secundas intentiones fabricare, & primis imponere. Hæc ille.

Sed hanc communem Interpretum Aristotelis positionẽ rationibus quoque in hũc modum deductis corroboremus.

1 Quemadmodũ se habet prima operatio intellectus ad reliquas eiusdem intellectus operationes: sic liber qui primam operationem intellectus dirigit, ad reliquos libros qui aliarum operationum sunt directiui: sed prima operatio intellectus pręcedit cęteras eiusdem potentiæ operationes: ergo, & liber primæ operationis directiuus, præcedit reliquos libros, qui aliarum operationum sunt directiui, tunc subditur: Liber Prædicamentorum est directiuus primæ operationis intellectus, & reliqui Logicæ libri ad cæteras operationes ordinantur, ergo liber Prædicamentorum præcedit reliquos Logicæ libros.

Liber prædicamẽtorũ est directiuus primæ operationis intellectus.

Minor sic probatur. Operationes intellectus sunt res, vt dictum est, quarum prima est simplicium apprehensio: sed simplicia in libro Prædicamẽtorum pertractantur, ergo liber Prędicamentorum ad primam operationem intellectus spectabit.

Impugnatio.

Contra hanc rationem, quidam sic arguunt, in libro primo Perihermenias tractatur de nomine, & verbo, quæ sunt simplices termini, ergò saltem ea pars, in qua de his agitur, erit directiua primæ operationis intellectus.

Solutio.

Ad hanc obiectionem iam dictum est, quod nomina, & verba, non sunt simplicia vltimò significata, imò sunt voces rerum significatiuæ, sicut ex singulorum diffinitionibus patet: quapropter supponunt alia simplicissima, quæ sunt tantùm significata, & non vlterius significantia. Sanctus Thomas in libro primo Perihermenias lectione prima, distinguit quod consideratio dictionum simplicium est triplex; vna secundum quod absolutè significant simplices intellectus, & sic earum consideratio ad librum Prædicamentorum pertinet: altera secundum quod sunt partes enunciationis, & sic in libro Perihermenias de eis determinatur; & propter hoc sub ratione nominis, & verbi, traduntur, de quorum ratione est, quod significent aliquid cum tempore, vel sine tempore, & alia huiusmodi, quæ spectant

Dictionũ simpliciũ triplex cõsideratio.

ad rationem dictionum, secundum quod enũciationem constituunt. Tertia quatenus ordo syllogisticus ex eis constituitur, & penes hanc consi derationem in libro Priorum de eis determinatur

Impugnatio. Contra solutionem ex S. Thoma elicitam, Iacobus Zabarella in libro secundo de natura Logicæ cap.3. sic arguit. Nomen & verbum, nullam relationem significant ad enunciationem, sed absolutam significationem habẽt, sicut ex ipsorum diffinitionibus fit manifestum, in quibus nihil dicitur quod ad enunciationem referatur: igitur nomen, & verbum, non cõsiderantur in libro Perihermenias per respectum ad enunciationem.

Euasio. Si respondetur quod nomẽ & verbum sunt partes enunciationis, de quibus prius est tractandum quàm de toto, quod ex partibus cõstruitur: ideo Aristoteles, quia in eodẽ libro tractat de enunciatione, prius tractat de noĩe, & verbo, tanquam de partibus enunciationis.

Impugnatio. Huic solutioni multipliciter occurrit, dicens primò, quod cum de toto agimus, & ipsius structuram consideramus, tunc non possumus non eius partes considerare in ea ipsa tractatione totius: at si partes etiam sine relatione ad totum sunt aliquid, & absolutam naturam habent: tũc earum tractationem absolutam præcessisse oportet tractationem totius; modo tractatio de nomine, & verbo, est absoluta; & quamuis in eodem libro habeatur, hoc nihil officit; sat namque est, si sit penitus distincta à tractatione de enunciatione.

Quod si iterũ petatur quæ sit eorumdem tractatio cum respectu ad enunciationem? Respondet quod partes enunciationis, sunt subiectum, & prædicatum, quæ passim ibi nominantur, & considerantur ab Aristotele, etenim quæ simpliciter sumpta, dicuntur nomina, & verba; respectu tamen enũciationis, mutato nomine, dicuntur subiectum, & prędicatum, voluit tamen Aristoteles in libro de Enunciatione de nomine, & verbo tractare, quia cum aliqua de eis explanet, quæ ad Logicum spectant, horum tractatio tã exigua, & breuis fuit, vt integrum librum per se constitue re apta non fuerit; ideo tractatui de Enũciatione voluit eam annectere: ita tamen vt hæc ab ea distincta appareret.

Sed huius doctissimi viri rationes, & solutiones à veritate aliquantisper deuiare, non est difficile ex officina Aristotelica ostendere, in primis quod nominis, & verbi consideratio in libro Perihermenias nequaquam sit absoluta, sed respectiua, ex eo fit notum, quod Aristoteles ad initium primi capitis inquit.

1 Primum oportet constituere quid sit nomẽ, quid verbũ, & non ab re posuit illam par-

D 4 ticulam

Nominis, & verbi consideratio in libro Perihe rm. non est absoluta.

ticulam (primum) quia sicut Ammonius eo in loco scribit, cum propositum Aristotelis sit enunciatiuæ orationis præceptionem nobis tradere, quę ex nominibus, & verbis conficitur; ideo simpliciora ex quibus ipsa construitur, qualia sunt nomen, & verbum, prius sunt cognoscenda: ergo Aristoteles non absolutam, sed respectiuam considerationem facit de nomine, & de verbo: Idem affirmant Simplicius, Auerroes, Boetius, S. Thomas, & recentiores Aristotelis expositores.

2 Cõfirmatur positio ex hoc, quod cum Aristoteles in eodem priori capite ostenderit qualis ordo reperiatur inter litteras, voces, conceptus, & res, & quomodo eorum aliqua se habeant ad veritatem, & falsitatem: inquit quod veritas, & falsitas circa compositionem, & diuisionem sunt: sed nomina, & verba ex se ipsis non dicunt verum, vel falsum, sed sunt similia ei qui sine compositione, & diuisione est intellectui. Ex quibus verbis ostendit non ob aliã causam de nomine, & verbo ibi pertractare, nisi quatenus enunciationem cõstituunt, cuius est verum, aut falsum significare.

Veritas, & falsitas circa compositionem, et diuisionẽ consistũt.

3 Præt. ad initium secundi capitis, inquit: Nomen igitur est vox. Quo in loco ponẽdo illam particulam (igitur) videtur insinuasse, quod tractatio de nomine, & verbo, sequatur ex illis verbis Procemij, in quibus dixit: Primum oportet cõstituere quid sit nomẽ, quid verbum. Postea subinfert, quid affirmatio, quid negatio, & enũciatio, & oratio. Quapropter præponendo nomen, & verbum, ipsi enunciationi, eorumque tractationẽ continuans priusquam enunciationis naturam explanet; videtur quod de illis tãquam de partibus enunciationis necessariò præcognoscẽdis, tractet. Concludatur ergo, quod nominis, & verbi consideratio in libro Perihermenias nõ est absoluta, sed respectiua, scilicet per respectum ad enũciationem cuius sunt partes: & ita liber de Interpretatione non erit directiuus primæ operationis intellectus, sed eã dirigere ad librum Prædicamentorum spectabit, in quo res considerantur quatenus p simplices intellectus significãtur, quemadmodum supra dictum est.

Ad rationem alterius sententiæ, respondetur, quod partes sunt duplices, sicut Auerroes in libro 7. Metaph. Com. 33. & in libro primo physici auditus com. 36. & Alexãder in Paraphrasi de anima cap. 4. scribunt. Quædam quæ dicuntur partes secundum qualitatem, vt sunt partes essentiales, scilicet materia, & forma: alię secundum quãtitatem, vt partes materiales, seu integrales. Partes essentiales non debẽt, neq; possunt diffiniri, sine aliquo respectu ad totum cuius sunt partes: sed quantitatiuæ, siue

Partes secundum qualitatem, & quantitatem.

siue materiales diffiniri possũt sine relatione ad totum cuius sunt partes. hinc Arist. in capite de ad aliquid, docet, qđ manus, caput, & huiusmodi partes possunt cognosci, & diffiniri absque eo quod cognoscatur cuius sit manus aut caput: modo nomē, & verbũ, respectu enunciationis, sunt tanquam partes materiales, ideo possunt diffiniri absque eo quod relationem insinuēt ad ipsam enũciationem cuius sunt partes: sed hoc non impedit, quin respectu enunciationis ibidem pertractentur: imò per respectum ad ipsam diffiniuntur, vt dictum est. Vel dicatur cũ S.Thoma, quod illę conditiones, videlicet, significare aliquid cũ tempore, vel sine tempore, & alia huiusmodi, pertinent ad rationem harum dictionum, secundum, quod constituunt enunciationem: & ita non diffiniuntur penitus absque aliquo respectu ad enunciationem.

Alij putant, quod si duo libri de diffinitione (quos Aristotelem confecisse Laertius scribit) apud nos reperirētur, anteponendi essent omnibus alijs Logicæ libris, ad quos liber Perihermenias mox subsequeretur. Ad quod assertũ mouentur, tum primo, quia existimant librum Prædicamentorum non esse Aristotelis fetu ram; tum secundo, quia diffinitio est primæ operationis intellectus directiua, sicut Aristoteles in libro primo Perihermenias cap. 4. ostendit, vbi dicit diffinitionem esse simplicem orationem; cui si nõ adiũgatur verbum, est, enunciationem non facit.

Sed hi in duobus decipiuntur: in vno. quod existimant librum Prædicamentorum nõ esse Aristotelis feturam, quod est falsum, nam licet Iamblicus velit Prędicamentorũ librum esse Architæ: tamē Themistius, Auerroes, Boetius, Porphyrius, Deisippus, & reliqui prædicamentorum expositores, ferũt eum esse Aristotelis partum; imò, vt Ammonius ad calcem præfationis scribit; omnes testantur librũ esse Aristotelis legitimum, id quod, & locutio declarat, quodque in alijs commentationibus Philosophus huius libri meminerit; & nos infra suo loco ostendemus. In altero etiam decipiuntur, quod dicunt diffinitionem esse directiuam primæ operationis intellectus simpliciter, & purè sumptæ. Etenim sicut Caietanus in huius libri præfatione pulchrè docet. Ars diffinitiua dirigit primam operationem intellectus non puram, sed admixtam; eo quod contingit errare tripliciter in diffiniendo, scilicet in applicatione partium diffinitionis ad diffinitũ; & in coniunctione partium inter se; & in applicatione totius diffinitionis ad diffinitũ; primus error quomodo sit vitandus, ex hoc libro habetur inchoatiuè, quoniam hic docemur, cui prima pars cuiuscunque diffinitionis rectè, aut non

Liber prædicam. opus Aristotelis.

Triplex error committi potest in diffinitione.

Diffinitio quo dirigit prim i operatione intellectus. non rectè applicetur: dum per proprietates cuiuscunque generalissimi discernimus omnia cōtenta sub vno genere, à contentis sub alio genere. Concludatur ergo Categoriarum librum, cęteros Logicæ libros antecedere, sicut dictū est, & sufficiant.

SECTIO

Quarta.

Diluuntur Rationes Balduini, quibus probat librum Categoriarum cæteris Logicæ libris nequaquam esse præponendum.

Rationes quibus Aduersarij nituntur ostendere librum Categoriarum cæteris Logicæ libris non esse præponendum, faciliter diluuntur, vnde,

Ad primam quam Balduinus putat ex sufficienti diuisione fuisse assignatam; quamuis de insufficientia reprehendi possit, nihilominus dicimus nunc, quod liber Prędicamentorum præponitur cæteris ordine necessitatis, & quod simplicia præcedunt composita. In libro Prædicamentorū tractantur simplicia, ad quæ tanquam ad vltima significata, reliqua omnia, verbum etiam, & nomē, reducuntur: Quod si Balduinus affirmauerit nomē, & verbum, esse enunciationis simpliciores partes: iam ostēsum est hoc esse falsum, eo quod, & ipsa ad prædicamenta reducuntur, cum sint rerū voces significatiuæ: nam iuxta hunc sensum ab Aristotele diffiniuntur.

Ad secundam, qua probatur Logicam inchoari debuisse à libro de Interpretatione, eo quod in illo pertractentur ea quæ ad primam operationem intellectus spectant, iam demostrauimus hoc esse falsum, quia dictiones in eo libro non considerantur, nisi per respectum ad enunciationem.

Impugnatio. Contra hanc solutionem, quidam sic instant, probantes vnum eumdemque librum primæ, & secundæ operationi intellectus respondere. In eo libro in quo tractatur de toto, debet pariter de partibus tractari, eo quod relatiua non debent diuersum tractatū habere: ergo cum enunciatio sit quoddam totum, & simplicia sint partes enunciationis, ad eundem tractatum, ad librum scilicet Perihermenias spectare debent: & consequenter vnus atque idem liber, duabus primis operationibus intellectus respondet.

Solutio. Obiectio hæc est, nihil, imò absurdum non modicum ex ipsa deducitur: quia si verum est, quod in eodem libro debeat de toto, & de partibus tractari, tunc liber Perihermenias non seiungitur à libro Priorum, in quo tractatur de syllogismo, cuius pars est enūciatio.

Præt.

Præt. si relatiua diuersum tractatum non sustinent, tunc liber Priorum erit idem cum libris Posteriorũ, Topicorũ, & Elenchorũ, non tantùm ob illum respectum, quo priora ad posteriora referuntur: sed quia in libro Priorum agitur de syllogismo simpliciter, qui se habet ad demonstratiuum, topicum, & elẽchum tãquam genus ad suas species: quapropter omnes hi syllogismi vnico libro claudentur; quod est falsum.

Relatiua nõ semper in eodẽ libro sed in eadẽ sciẽtia tractãtur.

Ad rationem tamen formaliter respondetur, quod cum dicitur relatiua sunt tractãda in eodem libro; hæc propositio non est simpliciter vera: sufficit enim quod in eadem scientia pertractentur. Logicus qui agit de enunciatione, idem agit de prædicamentis, quæ sunt enũciationis partes: De corpore seu de ente mobili tractatur in libris physici auditus; sed de diuersis partibus eiusdem corporis in diuersis libris eiusdem Phylosophiæ pertractatur.

Præt. quãdo arguitur quod totum, & partes in eodem libro considerari debent, distinguitur, quod partes alicuius totius sunt duplices: quædam propinquæ, & quædam remotæ: propositio intelligitur de partibus propinquis: & quia in libro Perihermenias tractatur de enunciatione, ideo in eodem tractatur de nomine, & de verbo, quæ sunt enũciationis partes propinquæ. Prædicamenta verò sunt partes remotæ, de quibus in alio libro Logicæ facultatis tractatur; q liber libro Perihermenias immediatè præponitur.

Prædicamẽta sũt partes remotæ enũciationis.

Ad alias duas rationes, qa probant librum Perihermenias tantum præcedere libros Topicorum, Priorũ, Posteriorum, & reliquos, in quibus de hoc vel de illo syllogismo tractatur, quia verum est, ob id gratis conceduntur.

DISPVTATIO V.

An Prædicamenta sint plura, vel pauciora decem.

SECTIO Prima.

Prædicamenta esse pauciora decem probatur.

1 Aristoteles in libro 5. Metaph. capite septimo, probans tot esse genera entium per se, quot sunt genera eorum, quæ significantur vocibus pertinentibus per se ad aliquod prædicamentum, inquit sic: Quot enim modis eiusmodi res prædicantur de primis substãtijs, tot sunt simplices modi essendi earum rerum, ac proinde tot genera entium per se; sed eo in loco assignat octo modos prædicãdi de primis substantijs, & per consequens octo genera entium ibi ponit, scilicet substantiam,

ſtantiam, quale, quantum, ad aliquid, agere, pati, vbi, & quando: de reliquis verò nec minimum verbum ibi facit, ergo Prędicamenta ſunt pauciora decem.

2 Præt. quod per ſuperabundantiam dicitur, vni ſoli conuenit, ſicut Priſcianus ab omnibus receptiſſimus teſtatur: ſed Generaliſſimum quod eſt idem quod Prædicamentum, dicitur per ſuperabundantiã, ergo Generaliſſimum eſt tantùm vnum. Minor probatur, ex eo, quod ſuperlatiuum vni ſoli ineſt.

3 Præt. Si generaliſſima ſunt plura, ergo quodlibet illorũ eſt primum principium, & per conſequens nullum ipſorum eſt altero prius, quod eſt falſum. Prima conſequentia habetur ex libello Porphyrij in Capite de ſpecie, vbi omnia generaliſſima nũcupat prima principia, altera fit ex eo clara, quod vnumquodque illorum eſt primum. Falſitas liquet ex libro 7. Metaph. tex. 4. & libro 9. textu 1. vbi ſcribitur ſubſtantiam eſſe priorem accidente.

Subſtãtia eſt prior accidẽte.

4 Præt. Omnis diuiſio, & multitudo reducitur ad vnũ, qđ omni illa multitudine eſt pri⁹; ſicut Ariſtoteles in lib. 10. Metaph. textu 20. inſinuat, ergo ſi generaliſſima ſunt plura, ſequitur quod detur vnũ aliqđ quod omnibus illis ſit prius, ad quod ipſa reducantur: ſed nihil eſt quod ſit generaliſſimo prius; cum Generaliſſimũ ſit illud, ſupra quod nõ eſt aliud ſupereminens genus: hoc enim modo à Porphyrio diffinitur, ergo Generaliſsima nõ ſunt plura.

5 Præt. Generaliſsimũ eſt idẽ quod Prædicamentũ: ſed Prædicamenta ſunt tantùm duo, ergo & generaliſsima ſunt tãtùm duo, Minor ꝓbatur. Ens prima diuiſione diuiditur in ſubſtantiam, & accidens, ſed Prædicamentum ſubſtãtiæ eſt vnum tantùm, ergo Prædicamentum Accidẽtis erit vnum tantùm. Conſequens probatur: ſubſtantia, & accidens opponuntur, ſicut modi ipſorũ, ſcilicet eſſe, & non eſſe in ſubiecto, quod competit accidenti, dicitur vno ſolo modo.

6 Confirmatur: quot modis dicitur vnum oppoſitorũ, tot modis dicitur reliquum, ſicut Ariſtoteles in lib. 5. Metaph. cap. de vno, ſcribit: ſed ſubſtãtia, & accidens opponuntur, ergo ſicut eſt vnum Prædicamentum ſubſtantiæ ita erit vnum prędicamentum accidentis.

7 Probatur quod ſint tria tãtùm, videlicet, ſubſtantia, Accidens abſolutũ, & accidens reſpectiuum; accidentia abſoluta quæcunque, & quot ea ſint, ſunt eiuſdem generis, ergo à ſimili omnia accidentia reſpectiua erũt eiuſdem generis. Conſequentia deducitur vera à ſimili. Antecedens hoc modo oſtenditur. Omnia accidentia abſoluta ſunt quantitas, & qualitas, vt notum eſt, at quod ſint eiuſdem generis, probatur. Tanta eſt analogia

inter

inter quantitatem continuã, & quantitatem discretã, quanta est inter quantitatem, & qualitatem: sed analogia quæ est inter quantitatem continuam, & quantitatem discretam, non tollit quin eiusdem generis sint: ergo analogia q̃ est inter quantitatem, & qualitatem, non tollit ab illis genus. Minor est nota; Maior sic probatur: Quemadmodũ quãtitas discreta p̃supponit quãtitatem continuam, & ab ea essentialiter dependet, eo q̃d numerus causatur ex diuisione continui, vt in libro 3. de
Tex.68. Physico auditu scribitur: ita qualitas præsupponit quantitatem, & ab ea essentialiter dependet: Si ergo quantitas, & qualitas faciunt vnum Prædicamentum accidentale absolutum, cõsequens est, quod Actio, Passio, & alia quinque Prædicamenta, faciant vnum aliud Prædicamentum accidentale respectiuum.

8 Probatur, quod sint quattuor tantùm Aristoteles in libro 1. Topicorũ, capite 3 assignat quattuor prædicaméta tãtùm, & ad initiũ primi capitis libri 2. Posteriorum, quattuor tantùm Quæstiones ponit: ergo & Prædicaméta sũt tãtùm quattuor. Cõsequẽtia ex eo relinquitur nota, quod Prædicamentum est quædam prædicatorum ordinatio.

9 Præt. Respectus qui est de ratione sex principiorũ est de genere Relationis: ergo illa sex Prędicaméta nõ distinguũtur à Relatione, & ita Prædicaméta erũt quattuor tãtum.

10 Præt. Aristoteles in lib. 3. Physicæ auscultationis textu ius, ait, quod Actio, & Passio sunt vnus, & idem motus: sed motus in nullo Prædicaméto ponitur, cum reducatur ad ea in quibus ponũtur termini ad quos tẽdit, vt in eodem libro tex. 4. docet: ergo Actio, & Passio a quibusdam Prædicamentis non distinguuntur; & ita erunt pauciora decem.

11 Prędicamentũ, Quãdo, nõ distinguitur à tẽpore; neque Prędicamentũ Vbi à loco: sed tẽpus, & locus repouũtur ab Aristotele inter species quantitatis continuæ: ergo Prædicamenta Qñ, & Vbi, à Prædicamento quantitatis non distinguuntur.

12 Præt. Situs dr̃ denominatiuè à positione q̃ est species p̃ssius ad aliquid, vt Aristoteles dicit in capite de Situ: ergo Situs non est vnum genus generalissimum.

13 Præt. Indumẽtũ seu vestis & reliqua artificialia q̃ habitũ insinuãt, partim ad Prædicamẽtũ substãtiæ, partim ad Prędicamẽtũ qualitatis spectãt: ergo nõ cõstituũt vnũ Prædicamẽtũ p̃ se, videlicet Habitũ siue Habere, ab illis duob. distinctũ: Cõsequẽtia fit manifesta ex illa maxima. Frustra fit p̃ plura, q̃d per pauciora fieri põt. Antecedens probatur: In hmõi artificialib. duo spectãtur: vnũ est materia ex qua cõficiuntur, vt indumentum ex pãno, & annulus ex auro. Aliud est figura, qua figurãtur,

hæc

hæc,& illa figura: secundum materiam sunt in genere substantiæ,& secundum figuram in genere qualitatis, figura enim est in quarta specie qualitatis, igitur Prædicamenta sunt pauciora decem.

SECTIO

Secunda.

Prædicamenta esse plura decem demonstratur.

1 Aristoteles in Postprædicamentis capite de oppositis, assignans nõnullas conditiones cõtrariorum, ad calcem eiusdẽ capitis sic scribit: Necessariũ autem est, omnia contraria, vel in eodẽ genere esse, vel in contrarijs generibus, vel ipsa esse genera: album enim, & nigrum in eodem genere sunt, color enim eorum genus est: iustitia enim & iniustitia in contrarijs generibus: illius namque virtus genus est, huius autem vitiũ. Bonum enim,& malum in genere nõ sunt: sed ipsamet sunt aliquorum genera: ergo genera sunt duodecim.

2 Præt. in quolibet genere est vnum minimum tantùm, quod est metrum, & mensura omnium in illo genere contẽtorum: sed in genere quantitatis, sunt duo minima, scilicet, quantum, quod ad cõtinuam quantitatem refertur, & quotum, quod ad discretam spectat: ergo Prędicamenta quãtitatis sunt duo: & ita plura decem.

3 Præt. Quemadmodum qualitas est Prædicamentum, ita & quale, vnde Aristoteles in eodem capite vnum ab alio distinguit, ac si distincta Prædicamenta sint: ergo sunt plura decem.

4 Præt. Sicut ex ordine agentis ad patiens sumuntur duo Prędicamẽta, Actio videlicet, & Passio, ita ex ordine rei tẽporalis ad tempus, & rei locatæ ad Vbi, & situatæ ad Sitũ, & habitæ ad Habẽs, plura Prędicamenta constituuntur: ergo sunt plura decem. Consequentia est nota: & similitudo manifestatur ex eo quod non minus inter hæc est quidam respectus, quàm inter agens, & patiens reperiatur: quare,

5 Præt. Aristoteles in libro 2. Physicorum textu 28. & in libro 5 Metaph. cap. 2. assignat quattuor genera causarũ, videlicet causam efficientẽ, materialem, formalem, & finalẽ: sed ex parte causarum efficiẽtis, & materialis cõstituit duo Prædicamenta, nempe Actionem, & Passionem. Cur igitur ex parte reliquarum causarũ, scilicet formalis, & finalis, nõ constituuntur alia duo Prædicamenta? nonne hæc duo causarum genera significant rationem causandi, sicut & reliquę causę? Etenim, vt Actio agentem respicit, & Passio patientẽ spectat, ita formatio, & finalis ratio, & respectu causarum, & respectu effectuum considerari possunt.

6 Præt.

6 Præt. Dantur aliqua Prædicamenta quæ à causis necessario constituuntur: pari ratione dabuntur alia Prædicamēta respectu effectuum: nam sicut accidit rebus, vt sint causæ, ita eisdem accidit, qđ sint effectus: ergo Prædicamenta sunt plura decem.

7 Præt. Substantialis differentia non est accidens, vt liquidò constat, neque est substantia, vt ex verbis Aristotelis in capite de substantia habetur, vbi differentias facit alias à substantia. Quapropter cū differentiæ huiusmodi non sint substantia, neque accidens, videtur quod inter ea medient. Similiter partes substātiæ, vt materia, forma, caput, manus, & alia Entia incompleta, sunt Entia realia, & non reponuntur in aliquo decē Prædicamentorum, in quibus nō nisi completa Entia reponūtur: ergo oportet constituere vndecimum Prædicamentum, in quo huiusmodi Entia collocentur.

8 Præt. Ordinatio Prædicamentorum fit secundum rationem: imò Entia rationis sunt ea quæ lineam rectam constituunt; vnde dicimus in ea esse generalissimū, specialissimū, & media, quæ vocantur genera, & species subalternæ: & hæc Entia rationis non reponuntur in aliquo decem assignatorum Prædicamentorū: ergo est necesse assignare vndecimum, in quo secundæ intentiones reponantur.

9 Confirmatur. Prædicamentum est coordinatio plurium Prædicabilium secundum sub & supra: sed secundę intentiones sunt huiusmodi, cum se habeant, vt genus, & species, ita Boetius testatur: ergo est assignandum vndecimum Prędicamentum, in quo hæc reponantur: vnde fit quod Prædicamenta sint plura decem.

SECTIO
Tertia.

Veterum Philosophorum opiniones de numero Prædicamentorum referuntur.

QVemadmodum Aristoteles in libro 1. Metaph. sectione 2. capite 3. scribit, varia extitere antiquorum Philosophorum placita de numero Prædicamentorū: quæ omnia recensere, inutile admodū huic nostro instituto esset, aliqua tamē apponere in studiosorum iuuenum gratiam, nequaquam nos pigeat.

Pythagoras, qui doctrinę fama, & discipulorum nobilitate inter veteres Philosophos clarus habetur, fertur xx. Prædicamenta constituisse: verū tamen non eodem modo, neque eadem ratione, eo quod decem positiua ex vna, & decem priuatiua ex altera parte posuerit, ratus etenim est, numeros esse omnium rerum naturaliūm principia; (de qua positione, præter ea quæ ab Aristotele præfato loco dicūtur, *Pythagora opinio.*

tur, perpulchrè etiam ſcribit Benedictus Pererius capite 7. libri 4. De communibus rerũ naturalium principijs,& affectionibus) & quia numerorũ natura denario completur, & abſoluitur; ſi quidem omnes gentes numerant vſque ad denarium: quo cũ peruenerint, redeunt ad vnitatem, eam iterantes, icirco rationem principij denario maximè attribuerint. Igitur quia denarius eſt numerus perfectiſſimus, ideo cõſtituit, vt decem eſſent principiorum cõtrarietates, ex quibus omnia fierent, & ad quem totam rerum vniuerſitatem redigere omni ratione conabatur; & forſan ſicut S.Thomas in lectione 8. ſuper primum Metaphyſicæ ſcribit, Pythagoras ex eo mouebatur quod nõ ſolùm de primis principijs loquebatur, ſed etiam de proximis, quæ ſingulis rerum generibus attribuerentur. At quidquid ſit, clarum eſt ex Ariſtotele ibidem, Pythagoram conſtituiſſe decem rerum principia, quorum cũ decem fuerint poſitiua, ac alia decem priuatiua, ideo viginti principia eum poſuiſſe ab omnibus communiter fertur, quorum ordo hoc modo aſsignatur.



Prædicamentorum Ordo.

Poſitiua decem.	*Priuatiua decẽ.*
Finitum.	*Infinitum.*
Par.	*Impar.*
Vnum.	*Multiplex.*
Dextrum.	*Siniſtrum.*
Mas.	*Femina.*
Quies.	*Motus.*
Rectum.	*Curuum.*
Lumen.	*Tenebra.*
Bonum.	*Malum.*
Quadratũ.	*Longius altera parte.*

Et quoniam hæc omnium rerum principia, quamdã oppoſitionem inter ſe habẽt, ob eam cauſam aſſerebat poſitiua eſſe principia bonorum, & eorum omnium dũtaxat, quæ finitam, & determinatam naturam poſsident: priuatiua autem non niſi malorum, & illorum quæ infinitam, & indeterminatam naturam habẽt, principia ſunt. Conſulatur de hac re S.Thomas in lectione 8. ſuper librum primum Metaphyſices; nobis autem pro noſtro inſtituto ſat ſit opinionem inſinuaſſe.

Platonis ſententia. Plato in Sophiſta ſeu De ente, & in Parmenide ſeu De vno (referente Ariſtotele in libro 3. Metaph. textu 10.) exiſtimauit vnũ eſſe omniũ genus, & Prædicamentum, nempe ipſum ens, quod ad res vniuerſas vniuocè ſe haberet. Quã quidem ſententiam non ſolũ Ariſtoteles in eodem libro repellit, verum etiam Porphyrius in capite de Specie, impugnat,

gnat, eo quod genus vniuocè, ideſt, ſecundum idem nomen, & eamdem rationẽ prędicatur de his quæ ſub eo cõtinentur; ſed ens non vniuocè dicitur, ſed æquiuocè, ideſt, ſecundum idem nomen, & diuerſam rationem, quod Ariſtoteles hac ratione probat. Omne genus eſt extra eſſentiam, & qualitatem differentiæ: Sed ens eſt de eſſentia & quidditate omnium rerũ, & per conſequens cuiuſque differentiæ, ergo ens non eſt genus: maiorem ponit ibi Ariſtoteles dum dicit, aut impoſſibile eſt, aut ſpecies de differentijs prædicari, aut genus abſque ſuis ſpeciebus: minorem deinde ponit, quia non eſt aſſignare aliquam differẽtiam, quæ non ſit vna, & ens, eo quod ens in omnium rerũ conceptu includitur, vt in capite 6. lib. 4. Topicorũ, & textu 6. libri 10. Meth. Philoſophus ſcribit; vnde concludit ens non poſſe eſſe genus. Scimus Scotum in lib. 1. ſent. diſtinct. 3. q. 3. ſuſtinuiſſe ens nõ eſſe de eſſentia vltimarum differẽtiarum: quare dato quod Rationale ſit vltima hominis differentia, inquit quod Rationale non includit ens: ſed alio loco diſcuſſum eſt hoc à nobis, neque etiam me præterit quod Plato in Phylebo, ſiue de ſummo bono, ad quattuor genera entium reuocaſſe omnia videtur: tamen Platonis opinio ab omnibus receptiſſima eſt, quod ipſum ens poſuerit genus, vt diximus.

Genus eſt extra eſſentiam differentiæ.

Ens eſt de eſſentia omnium rerum.

Scotus de Ente.

Xenocrates, quem deinde Andronicus Rhodius ſequitur, (referente Simplicio in libro Categoriarum) duo tantùm Prædicamẽta conſtituit: ad quod placitum hac ratione mouebatur. Omne quod eſt, aut eſt ens per ſe, aut ens in alio: Si primo modo, ſic ſunt ſubſtãtiæ quæ per ſe ſubſiſtunt, & nulli vt in ſubiecto inſunt: Si altero modo, ſic sũt accidentia quę ſemper ſunt in ſubiecto: At hic dicendi modus non recipitur, quia ſicut contra Platonem dicebatur, ens propterea nõ eſſe genus, eo quod genus cõtrahitur ad ſuas ſpecies per differentias, de quibus per ſe non prædicatur, & nulla differentia reperitur, quę non ſit ens: ita accidens non poteſt contrahi aliqua differentia quæ non ſit accidens: ac proinde accidens non erit genus ad omnia accidentia, ſed de illis Analogicè prædicabitur: atq; omnis differentia contrahens diſtinguitur à genere quod contrahitur.

Xenocratis placitum.

Zeno Citticus Stoicę Diſciplinæ Princeps, atque Cratis Thebani Auditor; cuius ſententiam Diſcipuli poſtea confirmarunt, dicebat quattuor tantùm eſſe Prædicamẽnta, nempe, ſubſtantiam, quale, quomodo ſe habet, & quomodo ſe habet ad aliud: nihilominus, ſicut Simplicius docet, hæc opinio eſt diminuta, cum ſit omnibus notiſſimum præter hęc quattuor reperiri etiã quantitatem. Sed cæteris miſ-

Zenonis aſſertũ.

sis opinionibus, ne sermo sit prolixior quam institutũ requirat, ad vltimam Philosophorũ sententiam veniamus.

Archítas Tarẽtinus, & post ipsum Aristoteles in libro 5. Metaph. cap 7. & alibi sæpè denarium numerum Prędicamentorum constituerunt: ita ut apud ipsos Prædicamenta non sint plura, nec pauciora decem, quæ ab Aristotele in capite extremo Anteprędicamentorum assignantur, quando dicit. Eorũ quæ secundum nullam complexionem dicuntur, vnumquodque aut substantiam significat, aut quantũ, aut quale, aut ad aliquid, aut vbi, aut quãdo, aut situm esse, aut habere, aut agere, aut pati, atq; singulorum exempla assignãs subdit, est autem substantia quidem, vt in figura dicatur, Homo, & Equus. Quantum autem, vt bicubitum, tricubitum. Quale vt album, Grammaticum; ad Aliquid, vt duplum dimidiũ, maius. Vbi, vt in foro, in Lyceo. Quando vt heri, hodie; Situm esse, vt iacere sedere: Habere vt calceatum esse, armatum esse: Agere, vt secare, vrere. Pati, vt secari, vri.



SECTIO Quarta.

Numeri Prædicamentorum sufficientiæ, ex pluribus expositoribus Rationes plures colliguntur.

QVod Architas Tarentinus in numero denario tantum Prædicamenta constituerit, testatur Iamblicus, qui existimauit hoc opus falsò esse Aristoteli adscriptum, quippe quod nõ ab eo, sed ab Archita Pythagorico editum censeat: sed id suo loco sit discutiendũ. Sat igitur sit nunc Architam assignasse Decem Prædicamenta tãtũ, quod Boetius quoq; affirmat: imò inquit Aristotelem in hoc sequutum fuisse ipsum Architam, propter famositatem: sed quam ob causam, omnium rerum principia ad decem tantùm redegerit Prędicamenta? Sunt qui dicunt, quod cum Architas fuerit Pythagoricus, propterea Pythagorico more omnes res in decem prima genera redegit, eo quod numerus Denarius sit omnium numerorũ perfectissimus, vt Pytaghoras prædicabat. Ita refert Aristoteles, scilicet, de perfectione numeri denarij ad mentem Pythagorę in libro 1. Metaph. summa 2. cap. 3. at quoniam hic modus probandi Philosophum non decet, ideo sæpè, & meritò

Architas cur redegit principia omniũ rerũ ad x. prædicamenta.

ritò ab Aristotele reprehenditur: non enim ex numerorum ratione reddenda est ratio rerũ, sed potius ex ratione rerum redditur numerorũ ratio: Vnde Astronomi ex ratione cælestium motuum colligunt numerum orbium, imò etiam, & Intelligentiarum, vt in libro 12. Meth. Aristoteles facit. Videamus ergo quomodo Aristotelis interpretes ex diuersa habita consideratione colligant rationes sufficiẽtiæ numeri Prædicamentorũ.

Ex D. Augustino I.

Diuus Augustinus in primo tomo suorum operũ in tractatu de decem Categorijs ex Aristotelica officina decerptis ad Adeodatum c. 8. numerans decem Prædicamẽta, habet hæc verba. Eorum ergo quæ nulla sui copulatione dicuntur, quodcunque singulare dictum fuerit, aut husiam, idest substantiam significat, aut quantitatem, aut qualitatem, aut ad aliquid, aut iacere, aut facere, aut pati, aut vbi, aut quando, aut habere. Hæc sunt Categoriæ decem, quarum prima Vsia est, scilicet quæ cætera nouem sustinet, reliqua verò nouem sunt accidentia. His positis, rationem reddit cur decem tãtùm sint, per comparationem nouem accidentium, quæ diuerso modo substãtiam à qua sustentantur, respiciunt, inquit igitur: Cum ipsæ nouem Categoriæ à substantia sustineãtur, ita se habent, quod ipsorum alia in ipsa vsia sunt, alia extra vsiam, alia intra, & extra. Quantitas, qualitas, & iacere in ipsa vsia sunt, mox enim, vt vsiam, vel hominẽ, aut equum dixerimus, aduertamus necesse est, bipedalem, quadrupedalem, aut album, vel nigrum, stantem, aut iacẽtem: hæc sunt in ipsa vsia, extra quam esse non possunt. Alia sunt extra vsiam, vbi, quando, habere, & locus ad vsiam non pertinet, & tempus, & vestiri, & armari, sed ab vsia; sunt separata. Alia sũt communia, idest, intra, & extra vsiam ad aliquid, & facere, & pati: ad aliquid, vt magis & minus, vtraque enim dici non possunt, nisi altero coniuncto, quo magis sit, vel minus propterea ergo vnum in se habet, & aliud extra se. Itẽ facere est extra, & intra, vt cedere quisquam nõ potest dici, nisi alterum cedat; vel legere, nisi ipse legens sit aliud ab eo quod legit: ita ergo & in vsia hæc est, & extra vsiam. Pati similiter, cedi enim, vel vri, nullus potest, nisi ab altero patiatur, propterea hæc quoque & in vsia est, & extra.

At si quis verba D. Augustini perpendat, cognouerit huius sancti Doctoris intẽtionem non fuisse assignare sufficientiam decem Categoriarum; sed quamdam doctissimã explanationem facere, vt cognosceretur qualiter ipsorũ vnumquodque ad substantiã se

se habeat: ne Adeodatus in cuius gratiam Categorias compilauit, crederet omnia substantiæ inhęrere: ac propterea ostendit quomodo ipsorum alia intra, alia extra, alia partim intra, & partim extra vsiam sunt, placuit tamẽ ob reuerẽtiam sanctissimi, & doctissimi tanti viri, huic loco ea apponere, vt illius maxima authoritate Philosophorum communis sententia corroboretur, Prædicamenta, videlicet esse tantum Decem.

Ex Magno Alberto II.

ALbertus cognomẽto Magnus in libro Prædicamẽtorum tractatu primo c.2. affirmans Aristotelis intẽtionem esse perscrutari Categoriarum numerum per naturã quinque Prædicabilium, & suorum subiectorum, hac ratione vtitur. Omne prædicabile, aut est Substãtia, aut Accidens: si Substantia, ipsum est primum Prædicamentum: at si accidens, quia hoc ipsum substantiæ inest, tunc duobus modis ipsi inest, aut absolutè, aut respectiuè. Si absolutè, vel ipsum accidens consequitur materiam, & hoc est quantitas, aut formam, & hoc est qualitas. Si verò inest substãtiæ respectiuè, adhuc duobus modis inesse potest, aut ab intrinseco aut ab extrinseco: si ab intrinseco, aut ergo inest substantiæ per comparationẽ ortã à forma, & est actio, aut per comparationem ortam à materia, & est passio: aut per comparationem ortam à cõposito; & hęc est duplex, quia vel est comparatio simplex, & tunc est Relatio, vel est cõparatio partium ad totũ, tunc est situs. Si verò accidens respectiuum inest substantiæ ab extrinseco, tunc duobus modis se habet ad substantiam, aut est ei adiacens tãtum, aut adiacens applicatum: si adiacens tantum, aut adiacet ei quod est in quiete, & est Prædicamentum Vbi; aut adiacet ei quod est in motu, & est Prædicamentum Quando. Si verò tale accidens respectiuum est adiacens applicatum, tunc est Prædicamentum Habitus: Etenim indumentum adiacet homini forinsecus, vt quoddam Ens ei applicatum

Omne prædicabile, aut substantia, aut Accidens.

Ex Ammonio III.

AMmonius solertissimus sanè Aristotelis interpres in capite de Agere & Pati, sufficientiam huius numeri denarij hoc modo explanat. Entium quædam per se subsistunt, vt substãtia, quædam ipsum esse in alijs possident, vt sunt Accidentia, quorum quædam existunt Relatiua, & quędam respectu carẽt. Hæc autem quæ non sunt relatiua, aut secari in partes possunt, vt quanta, aut in illas distribui nequeunt, vt qualitates; sicque hactenus quattuor habentur Prædicamenta, videlicet substantia, quantitas, quali-

qualitas, relatio, quæ propriè ac primum Prædicamenta appellantur, cum sint simplicia. Reliqua verò sex fiunt substantia tribus reliquis complicata, quanto inquam, relatione, & quali, nam substantia quãto iuncta, efficit quando, & vbi: Si quidem tempori connexa facit Prædicamẽtum quando: loco autem sociata conficit vbi. At substantia iniuncta quali, procreat Prædicamentum faciendi, & patiendi; nam agere, & pati penes qualitatem fiunt: qui enim facit in aliud, aliqua qualitate facit, vt calefaciens caliditate calefacit, patiens aliqua qualitate afficitur, vt quod calefit caliditate calefit. Rursus substantia adiuncta relatius facit Prædicamentum situs: ipsi verò substantia sibi ipsi complicata in re aliqua per artem constructa, Prædicamentum habendi efficit; nam habere significat substantiæ circa substantiam in circuitu positionem: hæc porrò ante constructa res, aut tota est in tota substantia, vt tunica in corpore; aut tota in parte, vt anulus in digito, vel telum in manu.

Ex Burleo. IIII.

BVrleus in vltimo capite Antepræ dicamentorum, assignans duas ipsorum sufficientias, secundam tamen recipere videtur, quam hoc modo explanat. Omne quod est, aut est per se existens, aut alteri inhærens: si per se existẽs, sic est substantia: si alteri inhærens, aut inhæret per aliquod intrinsecum, aut extrinsecum: si per intrinsecum, aut inhæret absolutè, aut per habitudinem ad aliud: si absolutè, aut ratione materiæ, aut ratione formæ; si ratione materiæ, sic est quantitas; si ratione formæ, sic est qualitas. Si in habitudine ad aliud, sic est relatio quæ inhæret substantię ratione fundamenti, quod est substantiæ intrinsecum, si autem insit per extrinsecum, aut illud extrinsecum comparatur ad substantiam sicut agens ad patiens, aut sicut mensura ad mensuratum; aut sicut habitum ad illud quod habet ipsum. si sicut agens ad patiens, sic duo Prædicamenta resultant, scilicet Actio, & Passio; ex actione etenim agentis in passum causatur quidam motus, qui prout est ab agente, dicitur actio, & prout recipitur in patiente dicitur passio. Si sicut mensura ad mensuratum, cum mensura extrinseca sit duplex, scilicet locus, & tempus: si comparetur ad substantiam sicut mensura temporalis, sic conficitur Prædicamentum quando, quod ex habitudine quam res temporalis habet ad tempus, in ipsa causatur, locus autem potest comparari ad locatum dupliciter; aut absolutè, ita vt ibi alia comparatio non sit; & sic est Prædicamentum vbi: vel in habitudine ad partes locati,

& sic est positio, siue situs: nam situ causatur in corpore locato ex habitudine quā locus ad ipsū, & ad partes locati habet, secundum quod dicimus aliquem stare, vel aliquē sedere; etenim partes aliter disponuntur, quando homo sedet, & aliter quando stat, si autem illud extrinsecum comparetur ad substantiam, sicut res habita ad habens ipsam, sic est Prædicamentum habitus: est enim habitus quædam habitudo quæ causatur in homine vestito ex veste quam habet: & ita de alijs.

Ex Ioanne Gandauensi. V.

IOannes Gandauensis in libro 5. Meth. q. 13. vno modo dicendi abiecto, aliam sufficiētiam hoc modo assignat. Omne quod est in indiuiduo, substantiæ, vel est idem sibi, vel accidit sibi, si est idem sibi, sic est Prædicamentum substantiæ: si accidit sibi, hoc modo duobus modis contingit: quia aut accidit sibi ab extrinseco vel ab intrinseco, adhuc duobus modis accidit vel absolutè, vel in respectu ad aliud vt ad terminum: si hoc secundo modo, sic est relatio: si primo modo, uel consequitur materiam immediatè, sic est Prædicamentum quantitatis, vel consequitur formam, sic est Prædicamentum qualitatis, si accidit ab extrinseco, vel hoc extrinsecum est agens, vel non: si agens, hoc est dupliciter, quia id quod ab agente prouenit, vel fundatur in motu vt ab hoc, & sic est actio; vel vt in hoc, & sic est passio: si verò illud extrinsecum non sit agens, vel est aliquod quod est mensura, vel non: si non, sic est habitus, nam calceatum esse, sumitur ab aliquo totaliter extrinseco, vt à calceis, quæ totaliter distinguuntur à substantia calceata, nec calcei sunt corporis mensura; si verò sint mensura, vel est mensura successiua, aut permanens: si successiua, sic est Prædicamentū quando, quod sumitur à tempore, quod est mensura successiua extrinseca; si sit mensura permanens, hoc est dupliciter, vel ibi cōsequitur ordo partium, vel non: si non, sic est Prædicamentum vbi, quod accipitur à loco absolutè: si verò consequitur ordo partium, sic est Prædicamentum situs, in quo ordo partium in toto attenditur. hæc Ioannes Gandauensis.

Ex Paulo Veneto. VI.

PAulus Venetus in postremo capite antepraedicamentorum, quod de numero Prædicamentorum ab eo vocatur: assignatis nonnullis modis Philosophorum constituendi denarium numerum Prædicamentorum, ponit ipse alium modum, quem specialem vocat, ac si tanquam

cæteris probabilior ab eo recipiatur: ad cuius intelligentiam, supponit diuisiones, quas in præcedenti capite Aristoteles assignauit. quarum prior est hæc. Eorũ quæ dicentur, quædam sunt complexa, quædam incomplexa, per quam Aristoteles intendit sola incomplexa in Prædicamentis reponi. Posterior est hæc. Eorum quæ sunt, quædam dicuntur de subiecto, & non sunt in subiecto: quædam sunt in subiecto, & non dicuntur de subiecto; alia sunt in subiecto, & dicuntur de subiecto: alia verò neque in subiecto sunt, neque de subiecto dicuntur. Per quam diuisionem Aristoteles intendit vniuersalia, & particularia tantum in Prædicamentis reponi, quibus positis hoc modo procedit. Omne incomplexum vniuersale vel particulare, aut non est in subiecto, & illud est Prædicamentum substantiæ: aut est in subiecto, & illud est accidens. quod accidens dupliciter est in subiecto, aut ab intrinseco, aut ab extrinseco; si ab intrinseco, aut consequitur materiam, & sic est quantitas, aut formam, & sic est qualitas, aut compositum, & sic est relatio. Si ab extrinseco, aut igitur à causa efficienti vel finali: si à causa efficienti, aut consequitur formam, & est actio, vel materiam, & est Passio, aut compositum, & est quando, omnis enim actio, & passio est in tempore, à quo ipsum quãdo causatur. Si verò fit à causa finali, iterum est necessarium quod consequatur materiam, aut formam, vel cõpositum: si consequitur materiam, est vbi, si formam, est situs, si compositum, est habitus; nam hæc tria sunt principaliter à causa finali, locus enim à quo fluit vbi, est finis corporum naturalium, vt Aristoteles in libro 4. Physicorũ scribit. Sedere autem, & iacere, quę sunt positiones consequentes formam, ordinantur à natura propter confortationem potentiarum animæ, arma, vestimenta, & similia, ordinantur finaliter ab arte vt sint tegumenta, & ornamenta corporum, igitur cum causæ nõ sint plures quattuor, quarum duæ sunt intrinsecæ vt materia, & forma, & duæ extrinsecæ vt agens, & finis, & quarum nulla per se fit, sed compositum solum, vt Philosophus in libro 7. Meth. probat, sequitur quod Prædicamenta sunt tantum Decem, sic quod non plura, sed neque pauciora sufficiunt, hęc Paulus Venetus.

Ex S. Thoma. VII.

SAnctus Thomas in libro 5. Metaph. lectione 9 & in libro 3. de Physico auditu. lectione 5. in Opusculo 48. in tractatu de substantia, cap. 1. & in tractatu de sex principijs, ad initium: supponendo duo, vnum scilicet, quod Prædicamenta à modis prædicandi dicantur, qui modi prædicandi in modis essendi immediatè fundantur, eo quod modus prædicandi alicuius rei, consequitur modum essendi eiusdem, vt Aristoteles dicit: quapropter entia quæ diuersum modum essendi habent, etiam diuersum modum prædicandi obtinent. Aliud, quod primæ substantiæ sint prima subiecta, in quibus proinde cernuntur, & de quibus Prædicantur omnia accidentia, vel attributa quæ per se in Prædicamento ponuntur: ideo ex diuerso modo essendi, & prædicandi, quem huiusmodi accidentia de primis substantijs habent, numerū, & sufficientiam Prædicamentorum in hunc modum venatur, & colligit. Tot sunt Prædicamenta nec plura nec pauciora, quot sunt modi essendi, & prædicandi in, & de primis substantijs: sed modi quibus aliquid potest eis inesse, & de eis Prædicari sunt Decem, neque plures, neque pauciores; ergo Prædicamenta sunt tantùm Decem neque plura, neque pauciora, maior ex priori suppositione patet: minorem deinde per diuisionē sic raciocinatur; Prædicatum quodcunque ad primam substantiam (quæ est omnium prædicatorum primum subiectum) tripliciter se habere potest; primo modo vt sit id quod est subiectum, & eandem naturam prædicet, nempe essentiam ipsius subiecti, v.g. si dicatur Socrates est homo, aut animal, in hac propositione prædicatum est de essentia subiecti, & sic huiusmodi prædicata constituunt Prædicamentum substantiæ. Secundo modo Prædicatum se habet ad subiectum vt accidens, quod ab intrinseco ei inhæret: quod prædicatum accidentale duobus modis inhęrere potest: vno modo absolutè, altero modo in respectu ad aliud, si absolutè, tunc aut consequitur materiam, idest ratione materiæ inest: aut cōsequitur formam, idest ratione formæ eiusdem subiecti ei inhæret: si consequitur materiam sic est Prædicamentum quantitatis: nam quantitas propriè consequitur materiam, vnde Plato, magnum, & paruum ex parte materiæ assignauit. Si consequitur formam, sic est Prædicamentum qualitatis; vnde qualitates fundantur super quantitatem, sicut Color in superficie, & figura in lineis, vel in superficiebus, si verò altero modo inhæret, idest in respectu ad aliud, sic est Prædicamentum relationis: cum etenim

Substātia est omniū Prædicatorum primum subiectum.

nim dicitur homo eſt pater, non Prædicatur de homine aliquid abſolutum, ſed reſpectus qui ei ineſt per comparationem ad aliquod entrinſeçum, nempe ad filium. Tertio modo prædicatum ſumitur ab eo quod eſt extra ſubſtantiam: quod eſt dicere, prædicatum conuenit primæ ſubſtantiæ ab extrinſeco, quia ipſi non inhæret, ſed hoc duobus modis contingit, primo vt illud prædicatum ſit omnino extra ſubſtantiam, ita ut nullo modo ei inhæreat, ſed extrinſecus tantum illam denominet: ſecundo, vt ſecundum aliquid ſit in ipſa prima ſubſtantia de qua prędicatur, quod eſt dicere, vt partim ſibi inhæreat, partim non; ſeu partim ab intrinſeco, partim ab extrinſeco ſibi conueniat; ſi primo modo, ideſt ſi prædicatum nullo modo ei inhæret, ſed omnino ab extrinſeco illi competit, atque illam primam ſubſtantiam extrinſecè ſolùm denominet: tunc illud prædicatum vel ſe habet vt menſura illius ſubſtantiæ: vel non, ſed aliter. Si quidem ſit illius menſura, vel eſt menſura quantitatis, & magnitudinis eiuſdem, & ſic eſt Prædicamentum vbi, ſiue eſſe in loco continente, & menſurante quantitatem locati: quod ſi addatur diſpoſitio partium locati ad inuicem, prout ſedet, ſtat, vel iacet, ſic eſt prædicamentum ſitus, vel eſt menſura durationis rei, ſic eſt prædicamentum quando: aut non eſt menſura, ſic eſt Prædicamentum habitus, ut cũ dicitur Socrates eſt calceatus uel ueſtitus, neque enim Calcei neque ueſtis ſunt menſura ſubſtãtiæ Socratis, ſed extrinſecè tantùm ei adiacent. Si autem prædicatum partim cõueniat ab extrinſeco, & partim ab intrinſeco, ita vt partim inhæreat, & partim non; hoc duobus modis contingit, uno, quia aut inhæret ſecundum principium ideſt ſecundum uirtutem actiuam tantùm, ſic eſt actio agentis, actionis etenim principium, & uirtus eſt in ipſo ſubiecto agente; altero modo ſecundum terminum, & finem ſolùm, ſic eſt paſſio: etenim paſſio terminatur in ſubiectum patientis in quo recipitur: exempli gratia: ſumatur calefactio ſecundum quam ignis ſuo calore calefacit aquam: huiuſmodi calefactio ineſt igni ſecundum principium, ideſt ſecundum uirtutem actiuam, quia calor qui eſt in igne, eſt principiũ eius; unde ignis dicitur calefaciẽs, uerumtamen ſecundum terminum, & finem calefactio non eſt in igne, ſed in aqua calefacta: quapropter actio ſecundum principium inhæret agenti, quem formaliter denominat, & non ſecundum finem; paſſio e contra ſecundum finem inhæret patienti quem formaliter denominat, & nõ ſecundum principium: ac propterea hæc duo prædicata partim inhærere, partim

non,

non, seu partim ab intrinseco, partim ab extrinseco insse dicuntur.

Circa has assignatas Prædicamentorum sufficientias, hoc unum sciendum est, quod hęc quæ à D.Thoma ponitur, apparet omnium aliarum optima, & ab omnibus ferè antiquis, & modernis receptissima, quamuis quidam recentiores eam esse leuissimam dicant. Vnde præter Thomistas, videlicet Capreolum, in libro 2. sent. dist. 2. q. 1. Dominicũ Flandrensem in libro 5. Meth. q. 7. art. 4 Franciscum Ferrariensem in libro 3. Physicorum q. 5. Paulum Soncinatem in libro 5. Meth. q. 13. Iauellum in Prædicamentis, tractatu 5. parte 2. cap. 1. & in lib. 5. Meth. q. 16. Dominicum à Soto, in Antepred. capite 4. q. 2. Sunt quoque alij, ut Toletus in quæstionibus de Prædicamentis in communi, ad calcem illius tractatus, q. 1. & Petrus Fonseca in lib. 5. Meth. cap. 7. q. 2. sect. 7. qui eam magni faciunt, imò Fonseca eo in loco quamdam inductionem assignat, quam Paulus Venetus in cap. de numero Prædicamentorum in responsione ad quartum insinuauerat: qua ex uaria ratione quærendi uel quæstionum, numerus Prædicamentorum colligitur; inquiunt igitur hoc modo.

Sufficientia assignata à S. Tho. ab omnib. receptissima.

Eorum quæ primis substantijs aliquo modo insunt, & de illis prædicantur, alia pertinet ad quæstionem quid est, quæ necessariò sunt in substantia, ut esse hominem: alia ad quæstionem quantum est, quæ nisi quantitates esse non possunt, ut esse bicubitum; alia ad quæstionem quale est, propriè ac presse sumptam, quæ haud dubiè sunt qualitates, ut esse album; alia ad quæstionem ad aliquid, quæ sunt relationes, ut esse patrem: alia ad quæstionem quid agit, quæ actiones sunt, ut uerberare: alia ad quæstionem quid patitur, quæ passiones sunt, ut uerberari: alia ad quæstionem ubi, nẽpe varia loca, ut esse in domo, uel in foro: alia ad quæstionem quo pacto situm est, uariæ nimirum positiones, ut sedere iacere: alia ad quæstionem quando, ut uaria tempora, ueluti fuisse heri, esse hodie, fore cras: alia ad quæstionẽ habitus, ut uaria indumenta, & ornamenta, igitur cum nullus se offerat quærendi modus, qui sub his non contineatur, patet per inductionẽ, modus essendi in primis substantijs, & de eisdem prædicandi esse decem, & ita Prædicamenta nec plura nec pauciora decem. Vnum ex Toleto addiderim quod Prædicamenta esse decem tantùm, est probabile; cùm ex authoritate tantorum virorum, tùm ex diuisionibus assignatis: non tamen est accidens, & demonstratum, vnde eiusmodi numerus à multis negatur, nec ab vllo hucusque demonstratum est.

Prædicamenta esse decem tantum, est probabile.

Præ-

Præterea aliud ex Paulo Veneto apponere libet videlicet; Modi quibus numerus Prædicamentorum à pluribus assignatur, & si demonstratiui non sint; omnes tamen iuxta Peripateticorum intentionem declarant Prædicamenta esse tantùm decem; vnde Auicenna primo suæ sufficientiæ inquit omnes authores denario numero esse contentos; quamuis ipsemet in libro 3. suæ Physicæ videatur asserere hunc numerum non esse necessarium: quod fortè dixit propter Prædicamentum habitus, quod ab arte siue à voluntate dependet, hinc factum est, quod quidam posuerunt nouem tantùm Prædicamenta reducentes habitum ad qualitatem. Alij tantùm octo collocantes situm in quantitate: Alij septem ponendo quando cum tempore in quantitate: Alij sex, concedendo vbi esse uel in Prædicamento relationis, aut quantitatis. Alij quinque facientes, actionem, & passionem vnum, adijcientes vbi, quando, situm, & habitum esse in prænominatis Prædicamentis. Alij tantùm quattuor, videlicet substantiam, quantitatem, qualitatem, & relationem, cætera verò respectiua ad genus relationis reducentes. Alij tantùm tria, scilicet substantiam, accidens absolutum, & accidens respectiuum. Alij tantùm duo nempe substantiam, & accidens, ex quo hæc immediatè diuidunt ens. Alij tantùm vnum, vt Plato qui dixit ens esse omnium genus. Architas autem ut Boetius testatur, fuit primus qui denarium numerum Categoriarum adinuenit, quem deinde Aristoteles ob famositatē in hoc suo tractatu sequitur, vt suo loco dicetur, & de his satis.

SECTIO Quinta.

Proponuntur decem Dubitationes aduersus assignatam Prædicamentorum sufficientiam.

1 Dictum est quod quantitas consequitur materiam, & qualitas formam: Contra, quarta species qualitatis quæ est figura, & forma, sumitur à materia, ergo qualitas consequitur materiam.

2 Confirmatur: Figura est, quæ termino vel terminis clauditur, ergo illa species non distinguitur à quantitate, cum quantitas sit illa quæ termino vel terminis clauditur: & ita quantitas, & qualitas apparent idem Prædicamentum.

3 Præ-

3 Præterea, Falsum est, omne accidens consequens materiam esse quantitatem, & omne consequens formam esse qualitatem: nam quæritur quid sit consequi materiam vel formam? aut est fluere à materia, vel forma, aut esse comitem materiæ, vel formæ, aut esse propriam affectionem materiæ vel formæ. Si primum, certum est aliquam qualitatem fluere à materia, putà corruptibilitatem, ita docet Arist. lib. 7. primæ Philos. textu 22. & lib. 1. de Cælo textu 136. Si secũdum, patet iuxta eorum doctrinã quantitatem esse, & formæ, & materiæ comitem, quia dicunt subiectum quantitatis esse ipsum compositum. Si tertium, patet secundum eosdem quantitatem nec esse propriam affectionem materiæ, nec formæ, sed totius compositi; ergo illa diuisio nulla.

4 Præterea, Sicut subdiuiditur accidens multifariã, ita potest subdiuidi substantia: nec illi rationem vllam assignant illius, & non huius subdiuisionis, ex quo fit vt exactè non ostendatur hanc diuisionem denariam non esse mancam, aut non esse superfluam: quia non assignatur ratio cur secundum priorem diuisionem, quæ est in substantiam, & accidens non sit accipiendus numerus generum primorum.

5 Præterea, Eodem modo se habent pellis, cornua, & pili in brutis, quo indumentũ, vestis, arma, & reliqua ornaméta in hominibus, sed hęc in hominibus spectant ad Prædicamentũ habitus, & extrinsecè tantùm denominant: ergo, & ea in brutis ad Prædicamentum habitus spectabunt, atque extrinsecè tantùm ea denominabunt: sed hoc est falsum, quia pellis cornua, & pili, non adiacent animalibus, cum ex intrinseco oriantur.

6 Præterea, Dictum est quod vbi, situs, & quando, sunt quædam mensuræ respectu eorum quæ sunt in tempore, & in loco. Contra, Mensura est eiusdem generis cum re mensurata, sicut Aristoteles in lib. 10. Meth. textu 4. scribit: sed res quæ sunt in loco, & in quando, non sunt eiusdem generis cum loco, & quando, ergo vbi, & quando non sunt mensuræ; minor probatur, nam substantiæ vt animalia, plantæ lapides sunt in vbi, & in quando, & hæc sunt accidentia. *Mensura est eius dẽ generis cũ re mẽsurata.*

7 Præterea, Dictum est in illa inductione quod modi quærẽdi de re aliqua sunt decem, vnde & Prædicamenta sunt decem. Contra præter eos modos assignandi, & quærendi reperiuntur alia quæsitiua; videlicet cur, quare, vtrum, & iterum ea quæ Aristoteles ad initium libri secundi posteriorũ ponit, scilicet si est, quia est, quid est, propter quid est: rursus quot, quo, vnde, & similia in quo genere?

8 Præ-

8 Præterea, Repeiuntur quidam termini qui importāt locum & tempus: nam quemadmodum esse in foro, vel in domo significant Prædicamētum Vbi, ita, & hi, apud, ante, propè, iam, olim, repentè, annus, mensis, hora, & similia, ad quod Prædicamentum reducuntur? quod si dicatur ea omnia quæ tempus significāt, ad quantitatis Prædicamentū reduci, tunc sequitur hoc absurdum, videlicet, quod tempus non sit species specialissima, sed subalterna, ex quo sub se species continet; cuius oppositum Aristoteles in Prædicamentis insinuat.

9 Præterea, Si Passio est in ipso patiente recepta, igitur quomodo passio denominat extrinsecè subiectū quod patitur? idem de actione dubitatur respectu agentis, quomodo illum extrinsecè denominet.

10 Præterea, Sunt alij termini, vt Masculus, Femina, Puer, Iuuenis, & Senex, de quibus est ambiguū ad quod Prædicamentum reducantur.

SECTIO

Sexta.

Decem propositæ dubitationes diluuntur.

AD soluendum has dubitationes, & illas præcipuè quibus asseritur quantitatem consequi materiam, & qualitatem formam: sciendū inter quantitatem & qualitatem hoc discrimen reperiri, quod quantitas competit rebus ratione materiæ, quod est dicere, ratio propter quam quantitas inest alicui, est ipsa materia; nam si id materiam non habet, nec quantitatem habebit; res etenim immateriales, vt intelligentiæ, eo qđ materia careant, quantitatem non habent. Qualitas autem inest rebus ratione formę, qđ est dicere, ratio ob quā qualitas inest rebus est ipsa forma, vnde si dentur res quæ prorsus materia careant; nihilominus qualitatem habere possunt, sicut intelligentiæ, & animæ humanæ, quæ si nullā materiam habēt, tamen qualitatem habent nimirum sciētiam & virtutes: hinc Philosophi considerantes in solis rebus materialibus quantitatem reperiri, atque in solis formis, siue à materia seiunctis qualitatē, ob id dixerūt quantitatem consequi materiam, & qualitatem formam. Non sum tamen oblitus id quod Auerroes in libro 1. Physicorum cōm. 63. & in lib. 4 cōm. 15. & in lib. de Substantia Orbis capite 1. scribit, scilicet, ob id quantitatem sequi materiam, & qualitatem formā, quia quantitas à sola materia, & qualitas à sola forma originatur; sed huius rei discutio alio loco reseruatur; ad rem ergo propositam satis sit nosse cur Philosophi dicant quantitatem consequi mate-

Quātitas & qualitas quō cōsequantur res.

materiam, & qualitatem formam. hoc modo Sotus, & Toletus præfatis locis explanãt.

Quãtitas à toto genere sumitur à materia, qualitas à forma.

Ad primam dubitationem dicitur, quod quemadmodum quantitas à toto genere, sumitur à materia, eo quod in quacunque re est reperiri quantitatem in eadem necessariò reperitur materia: ita qualitas à toto genere, sumitur à forma, quia in quacunque re est reperire qualitatem, in eadem necessario est aliqua determinata forma, tamen quo ad aliquid, nempe ad quartam speciem qualitatis, hoc deficit, eo quod qualitas in ea consequitur materiam, quia figuræ vt circularitas, triãgularitas, & huiusmodi qualitates circa quantitatem consistunt. His tamen non obstantibus respondetur ad argumentum, quod figura duobus modis sumitur, vno modo materialiter, pro eo videlicet quod termino, uel terminis clauditur, & sic figura consequitur quantitatem; altero modo pro ipsa terminatione angulorum, (non quod figura sit terminus quantitatis, quia quantitas clauditur terminis sui generis, corpus siquidem superficiebus, superficies lineis, linea verò pũctis terminatur;) sed quia ex terminatione quantitatis resultat hæc vel illa, ideo penes hanc considerationem dicitur quod qualitas etiam in quarta specie consequitur formã, & per hæc eadem habetur solutio ad secundam.

Ad tertiã iã ex dictis fit manifestum, quid sit dicere quantitatem consequi materiam, & qualitatem formam: hoc namque propriè non est quantitatem fluere à materia, & qualitatem à forma; aut propriè esse comitem materiæ vel formæ; aut earum propriam affectionem vt argumentum deducit: sed est materiam, & formam esse rationem ob quã rebus inest quantitas vel qualitas: cum quantitas in rebus sine materia esse nequeat, neque sine forma qualitas reperiatur; quod non est esse propriè comitem, sed quantitatis, & qualitatis quasi causa, & fundamentum.

Ad quartam negatur quod quemadmodum subdiuiditur Accidens, sic substantia subdiuidi posset: eo quod omnes substantiæ præter primam increatam sub uno, & eodem Prædicamento continentur, & de quibus vniuocè prædicatur: sed non omnia accidentia ad vnum Prædicamentum spectant, quod de illis vniuocè prædicetur; ob id non Substantia sed Accidens subdiuiditur.

Pellis, & cornua in brutis nõ se habent vt vestimenta in homine.

Ad quintam solutio habetur ex S.Thoma in lib 3. Physicorum, lectione quinta, vbi scribit pellem, & cornua in brutis non eodem modo se habere, quo vestis & ornamenta in hominibus se habent: & per consequens non ad idem Prædicamentum spectare præ dicata ornamentorum respectu hominis, & naturalium respectu brutorum, nam, etsi

natura

natura dedit Animalibus pro cõseruatione vitæ cornua ad defendendum, pellem pilosam ad tegendum, & vngulas ad incedendum absque læsione, sicut homo utitur armis ad defendendum, vestibus ad tegendum, calceamentis ad incedẽdum, absque læsione: verumtamen si bruta dicerentur armata uel uestita, non denominarentur ab aliquo extrinseco, sed ab aliquibus suis partibus, ideo huiusmodi prædicationes ad Prædicamentum substantiæ spectant: quemadmodum si dicatur quod homo sit manuatus vel pedatus ad Prædicamentum substantiæ attinent, quia à partibus denominatur. At quoniam homo ob complexionis sublimitatem ea à natura ferre non potest, imo ratione præditus est, qua potest media arte sibi necessaria præparare, propterea cũ dicitur uestitus, aut armatus, ex eo quod omnino ab extrinseco denominatur, ideo huiusmodi prædicata ad Prædicamentũ habitus spectant, quod rei adiacentiam circa corpus significat.

Cur data Animalibus cornua pellis.

Ad prædicamẽtum substãtiæ spectant.

Contra solutionem probatur Prædicamentum habitus etiam respectu brutorum reperiri: nam consueuit dici equus phaleratus, vel sellatus, vel armatus est; sed huiusmodi sunt ornamẽta manufacta, & equo adiacent, ergo Prædicamentum habitus etiam in brutis reperitur.

Huic obiectioni occurrit S. Thomas dicens bruta bifariam considerari, uno modo secundum propriam ipsorum naturam, iuxta quam considerationem Prædicamentum Habitus nequaquam eis attribuitur; altero modo prout in hominum vsum veniunt, & sic cum extrinsecè, & ab arte ornentur, Prædicamentum habitus eis attribuitur.

Ad sextam negatur minor; & ad illius probationem respondetur quod substantiæ corporales non sunt in loco, & tempore siue in quando, nisi ratione quantitatis, nam esse in loco est locatum, secundum suam quantitatem, & dimensiones à loco contineri, & esse in tempore, est rem secundum suam duratione mensurari, nempe tot mensium aut annorum: vnde fit quod mensuratum, & mensura sint eiusdem generis, & rationis.

Ad septimam respondetur quod quemadmodum sunt aliqua trascendentia, quæ neque per se, neque per accidens, neque per reductionem sunt in aliquo Prædicamento, sed in omnia descendunt vt ens, & vnum: ita sunt aliqua quæsitiua quæ nulli prædicamẽto appropriantur, sed sunt trascendentia applicabilia omnibus Prædicamentis, qualia sunt ea quæ proposita sunt. Quod si quis obijciat quæstionẽ, quid est, ad Prædicamentum substãtiæ pertinere: Respondetur, quod quid strictè sumptum ad Prædicamentũ substantiæ pertinet, nam quid de substantia quærit; at largè sumptum, omnibus

Aliqua q̃sitiua nulli prædicamento appropriantur.

nibus

nibus Prædicamentis est applicabile, limitatum tamen per terminum illius Prædicamenti cui applicatur; vt si dicatur, quid est hoc quātum, aut hoc quale, tunc non respondetur substantia, sed linea, vel albū, & similia.

Ad octauam dicitur, quod illi termini, apud, ante, propè, iam, olim, & huiusmodi, quando adduntur terminis significantibus locum, sunt in Prædicamento Vbi. Similiter, hic, ibi, huc, illuc, istac, illac: illi autem qui adduntur terminis importantibus istans, vel tempus, ponuntur in Prædicamento Quātitatis: Annus, mēsis, hora & huiusmodi; cum materialiter significet tēpus, & formaliter durationem derelictā à tempore in rebus tēporalibus, ad idem prædicamentum nimirum ad Quando reducuntur.

Fonseca. Ad nonam multiplex solutio reperitur. Petrus Fonseca ad calcem sectionis tertiæ inquit, quod Passio dicitur pro tanto extrinsecus denominare, eo quod non repugnat passioni quatenus passio, quin verè inhæreat rei patienti, nam cum quis mouetur loco, aut ueste induitur, vel uinculis ligatur, patitur ille quidem, & aliquid quasi formam recipit, attamē nec locus quem ingreditur, nec uestis quam induit, nec uincula quibus ligatur, verè ei inhærent, sed quasi inhærent: hinc Passio inter ea numeratur quæ aliquam rem ex trinsecus denominant.

Passio cur dicitur extrinsecus denominare.

Impugnatio. Hæc solutio ad plenum non satisfacit, sicut Anthor illius credit: nam, etsi locus non sit in ingrediente, nec uestis in eo qui vestitur, nec vincula in ipso qui ligatur; quia hæc non sunt propriè passio, sed passionis instrumenta: at ipsa ingressio non est subiectiuè in eo qui ingreditur? vestitio in eo qui vestitur, & ligatio in eo qui ligatur? quare passio quatenus passio, verè inhæret, etsi aliquarum passionum instrumenta non verè inhæreant, vt in exemplis positis manifestatur.

Herueus. Herueus quol. 1. quæst. 9. sic soluit, quod pro tanto dicitur Passionem extrinsecè denominare, quia passionis Diffinitio includit aliquid extrinsecum patienti, principium scilicet actiuum, à quo passio proficiscitur: est sine quo passio vt sic explicari nequit, cum sit effectus illatioq; actionis: imò hæc est, S. Thomæ solutio in assignatione sufficientiæ posita, sed meminisse oportet, id quod ex eiusdem S. Thomę doctrina ibidem diximus, videlicet, quod actio, & passio secūdum aliquid sunt in subiecto quod denominant, & secundum aliquid extra ipsum; ex quo insinuat actionem, & passionem non omnino extrinsecè subiectum denominare, sicut vbi, quando, vel, habitus; sed secundum aliquid, nimirum. Actio secundum terminū denominant extrinsecè ipsum agens, eo quod actio, est in patiente in quo recipitur, & in *S. Thom.*

agente

agente vt à quo procedit: & passio secundum principium denominat extrinsecè ipsum patiens, vt ibi dicebatur. Igitur quia diffinitio actionis, & passionis includit aliquid extrinsecum agenti, & patienti, ob id extrinsecam denominationem facere dicuntur.

Sect. 4.

1 Contra hanc solutionem arguit Petrus Fonseca, videlicet, Si id quod assignatur sufficit ad quod actio. & passio denominent extrinsecè, ergò virtutes, scientiæ, & qualitates denominant extrinsecè, quod est falsum; falsitas est nota, & consequentia ex eo probatur: quia hæc quoque diffiniuntur per aliquod extrinsecum ijs rebus quibus in sunt.

2 Præterea, Relationes diffiniuntur per aliquod extrinsecum, nempè per terminum ad quem referuntur, & tamen extrinsecè non denominant.

Ad primum negatur consequentia, pariterque similitudo, eo quod qualitates præfatę non diffiniūtur per aliquod extrinsecum, quod ad illas se habeat tanquam principium effectiuum, vel vt ipsarum terminus: sed tanquam obiectum circa quod consistunt, vel de quo sunt prædicatiuæ: præter quam quod verum nō est qualitates diffiniri semper per respectum ad aliquod extrinsecum.

Terminus relationis est quid extrinsecū ipsi relationi.

Ad secundum similiter dicitur, quod terminus relationis quamuis sit quid extrinsecum, tamen non se habeat ad eam, vel tanquam effectiuum principiū, vel vt effectus relationis, alioquin relatiua non essent simul natura; sed diffiniantur per terminū ad quem alterum relatiuorum refertur. Actio autem, & passio diffiniantur per aliquod extrinsecum, quod se habet vt principium effectiuum, vel vt illius effectus; præter id quod hæ non sunt propriè diffinitiones sed descriptiones: Generalissima .n. describuntur, & non propriè diffiniuntur.

Ad tertium Respondetur quod masculus, femina, puer, iuuenis, senex, reducuntur ad secundam speciem qualitatis, eo quod sunt quædam naturales affectiones: vnde Porphyrius in capite de Differentia, connumerat ens inter accidētales differētias, quas esse qualitates est omnibus manifestū.

SECTIO
Septima.

Soluuntur Argumenta, quibus à principio contendebatur Prædicamenta esse pauciora decem.

Determinato cum ex probabili Philosophorū sententia, tum ex famositate, Prædicamenta non esse plura, neque pauciora decem; super est nunc vt ea argumenta soluantur, quibus priori loco

F con-

contendebatur ea esse numero pauciora decem.

Ad primũ Auerroes in lib. 5. Metaph. Com. 14. ratus est duabus de causis Aristotelem nullum verbum fecisse de Prædicamentis Situs, & Habitus: aut breuitatis causa, aut certè quia parum momenti ipsa habent; inquit .n. sic. Tacuit Prædicamentum Situs, & Habitus propter abreuiationem sermonis; aut quia latent. Iandunus in lib. 5. Metaph. q. 13. ad calcem, recipit priorem solutionem, dicens: & ista disiunctiua est vera pro vna parte, quia dimisit propter abreuiationem; Vnde in Prædicamentis ipsa enumerauit, ergo ea iterare non curauit, quia dedit intelligere sufficienter per alia. Quod si quis petat ob quam causam dimisit duo, & non tria? respondet, quod si tria dimisisset, non possent faciliter intelligi eo quod ternarius est numerus perfectus. Vnde Aristoteli hoc placuit.

Aristoteles cur de Situ, & Habitu verbum non facit.

Sed prior solutio quã Auerroes affert, non satisfacit, eo quod satis breuiter duo verba adiungi poterant, nec longa vnquam videntur, quæ suis locis necessariò adhibentur: sed neque posterior probatur, eo quod Situs, & Habitus apud antiquos vulgatæ notiones erant.

Albertus cognomento Magnus, in eodem libro, tractatu primo, capite 11. in enumeratione eorum quæ ab Aristotele ibi ponuntur, assignat Sitũ, & Habitum, ac si ibi posita fuissent, quod mirum quoddã apparet.

Sanctus Thomas in lectione nona, inquit, quod nisi consideretur ordo partium in loco, non est Situs: quasi insinuet Aristotelem non habuisse tunc hanc consideratione; At neque hoc dictum placet: neque rationem reddit cur Prædicamentum Habitus ab eo omissum fuerit.

Petrus Fonseca in libro 5. Metaph. cap. 7. quæst. 2. sect. 5. in solutione quarti, & quinti argumenti: atque hæc eadem videtur sententia Auicennæ, primo suæ Sufficientiæ: vbi dicit, quod Prædicamentum Habitus etsi ex parte materiæ sit in genere substantiæ, tamen quia indumentum, anulus, & huiusmodi artificiata, quatenus talia, includunt etiam figuram ab arte inductam, vnde ex pluribus conficiuntur, & à figura denominantur: quapropter habitus videtur dici Prædicamentum potius ex populari vsu, quam ex Philosophica consideratione. Ideo Aristoteles philosophicè procedendo, & genera entium per se enumerando, Habitum reliquit.

Similiter de Situ mentionem nõ fecit, quia Situs, re ipsa à Prædicamento, Vbi, non distinguitur: nam Situm esse, non est aliud, quàm hoc aut illo modo esse in loco; aut esse hoc, vel illo modo in hoc Prædicamento, nõ est esse in alio Prædicamento; quemadmodũ esse hoc, aut illo modo. Quale,

Habitus, & Situs, sunt Prædicamen. secundũ famositatem.

le, non est esse extra Prædicamentum Qualitatis: Censetur tamen Situm populari sensu à cæteris Prædicamentis distinctum.

Alij soluunt, dicentes Aristotelem mētionem fecisse de Situ in capite 19. de Habitu autem in capite 20. & quoniam prolixiori sermone de his dicturus erat, ob id ea superiori capite, nempè 7. dimisit.

Quod per superabundātiam dicitur vni soli conuenit, quomodo intelligatur

Ad secūdum Scotus in quæstione 11. Prædicamentorum, ad secundum principale, duobus modis respondet; Primo, quod propositio est vera in vno, & eodem genere, & ita in vno genere est vnum generalissimum tantum: sed ex hoc non sequitur, ergò simpliciter est tantum vnum. Secundò, soluit, quod superlatiuum duppliciter exponitur, vno modo positiuè, seu affirmatiuè, per excessum omnium aliorū simpliciter, vt sit sensus: Generalissimum est illud, quod quocumque alio est generalius; alio modo negatiuè, per non excedi ab aliquo alio, & est Sensus; generalissimum est illud, quo nihil est generalius.

Primo modo nullū est generalissimum simpliciter, quod sit omnibus alijs absolutè generalius, sed solum in aliquo genere, idest generalius omnibus alijs eiusdem generis: sed altero modo quodlibet illorū est generalissimum, quia vnū non est altero generalius: tūc propositio tradita à Prisciano vera est, quatenus superlatiuum exponitur positiuè, seu affirmatiuè, non autem negatiuè: quia illud quod dicitur per superabundantiam negatiuè, potest pluribus conuenire: & ita sunt multa generalissima, ita vt nihil sit aliquo illorum prius, & in suo ordine generalius; & hoc modo soluunt quoque Burleus, & Flandrensis, locis supra positis.

Ad Tertium negatur consequentia: ad cuius confirmationem respondetur, quod substantia, & accidens, duobus modis considerantur: Primò, respectu suarum considerationum, & inferiorum, verbi gratia: Substantia respectu eorum quæ sub ipsa continentur: & Quantitas respectu illarum quantitatum, quæ ei subijciuntur, & sic quodlibet generalissimum est primum respectu suorū inferiorum. Altero modo quatenus ad inuicem comparantur, & ita inter Prædicamenta est vnum genus primū, videlicet Substantia, quod est omnium accidentium fundamentum, & primum subiectū; & penes hanc considerationem, Aristoteles dicit, quod Substantia est prior Accidente.

Inter decem genera qualiter sit vnum primum Genus.

Ad Quartum, conceditur quod multitudo generalissimorum reducitur ad aliquod vnum, nempè ad Ens, quod nō est ipsorum genus, quia non prædicatur vniuocè, sed est vnus conceptus Analogicus, sub quo ea omnia continentur.

Ad Quintum, negatur Minor, ad cuius probationem negatur consequentia, & ad illius confirmationem respondetur; quod non esse, aut esse in subiecto, duobus modis sumitur; Primo modo negatiuè, & ita opponitur contradictoriè ad esse in subiecto; sed sic sumptus, non est modus substantiæ. Secundo modo positiuè, vt sit idem quod esse non in subiecto, & hic est modus Substantiæ; Sed sic sumptus, non opponitur ei, quod est esse in subiecto, sicut nec Substantia opponitur Accidenti, sed sunt modi disparati. Quapropter non est necessarium, quod si esse non in subiecto dicitur vno modo, quod esse in subiecto non dicatur pluribus modis, cum non sint modi oppositi.

Esse, & non esse in subiecto dupliciter contingit.

Ad cõfirmationem respondetur: duplicia esse opposita, quædã formaliter, secundum proprias rationes, & differentias, & sic tot modis dicitur vnum oppositorum, quot & reliquum; vnde quot modis dicitur calidum, tot modis dicitur frigidum; & quot modis dicitur cæcum, tot modis dicitur videre. Alia sunt opposita secundum perfectum, & imperfectum, & de his non est necessarium, vt quot modis dicitur vnum oppositorum, tot modis dicatur & reliquum. Substãtia autem, & Accidens opponuntur sicut perfectum, & imperfectum, ob id non sequitur, quod si datur vnum solum Prędicamentum Substantiæ, quod sit tãtùm vnum Prædicamentum Accidentis. Vel dicatur, quod illa propositio verificatur tantum in oppositis, in quibus est eadem ratio multiplicationis; sic S. Thomas, 2. 2. q. 92. art. 2. ad primum.

Opposita duplicia.

Ad septimum, negatur Antecedens, videlicet, quod omnia accidentia absoluta sint eiusdem generis: & ita negatur cõsequentia, scilicet quod omnia Accidentia respectiua (dato, sed non concesso, sex vltima esse respectiua) sint eiusdem generis. Ad probationem antecedentis negatur quod sit tanta analogia seu proportio inter Quantitatem, & Quantitatem, quãta est inter Quantitatem continuam, & discretam: non .n. Qualitas tantùm pendet a Quantitate, quãtum Quantitas discreta pendet à Quantitate continua: Quantitas etenim discreta, quia ex diuisione continui causatur, vt in libro 3. Physicorum dicitur, ideo illa sine hac non reperitur. Sed Qualitas sine Quãtitate inuenitur, vt scientia in anima, & species intelligibiles in intelligentijs, iuxta illud Procli in libro de Causis. Intelligentiæ sunt plenæ formis. Quod si quis obijciat, qualitates saltem corporales absq; quantitate non esse in subiecto: nam albedo inest parieti mediante superficie; respondetur, hoc catenus contingere, quatenus sunt formæ extensibiles.

Intelligẽtia sunt plena formis.

Ad Octauum, habetur communis

munis solutio apud Ioannem Gandauensem in libro 5. Metaph. q. 13. ad secundum, & Dominicum Flandrensem q. 7. art. 4. ad secundum, & Paulum Venetum in hoc loco, negantes Prædicamentum esse idem quod Prædicatum: nam Prædicata sumuntur secũdum quod de ipsis possunt terminari Problemata, idest, construi aut destrui secundum artem Dialecticam de aliqua specie: sed Prædicamenta sumuntur secundum diuersum modum essendi, & prædicandi, per cõparationem ad primam substantiam, cui insunt, & de qua prædicantur.

Prædicamentum, & prædicatũ non sunt idẽ.

Ad Nonum, negatur Antecedens, cuius negationis ratio est: quia respectus qui includitur in rõne sex principiorum, est respectus de secundario respectu ipsorum, sex etenim Prædicamenta sunt potius qd. absolutum, connotãtia tamen aliquem respectum, vt suo loco dicetur.

Ad Decimum sit satis nunc dicere, actionem, & passionem esse vnum motum materialiter, & ab inuicem distingui ratione, quæ distinctio sufficit ad numerum Prædicamẽtorum conficiendum, de qua eo capite explicatius dicetur.

Ad Vndecimum, multiplex solutio etiam apud Thomistas habetur: attamen, nunc dicatur, quod si Vbi, & Quando, ad Quantitatis Prædicamentum simpliciter spectent; vnde Aristoteles in libro 1. Ethicorum cap. 6. & alibi, nõnunquam vocat Prædicamentum Vbi, nomine loci, & Prædicamentum, Quando, nomine temporis, quæ ad Quantitatem simpliciter spectãt, cum illius sint species. Sed quia vtrumque se habet ad modum quarumdam formarum denominantium extrinsecè locata, & tẽporalia, propterea vt sic, diuersa Prædicamenta constituunt. Quapropter, Vbi, à loco, & Quando, à tempore ratione saltem distinguuntur.

Vbi, distinguitur ratione à loco, & Quãdo à tempore.

Ad Duodecimum respondetur, Situm esse in genere Ad aliquid, secundum dici, & non secundum esse, sicut ex verbis Aristotelis ibidem patet.

Ad Tertiumdecimum, dicitur quod indumentum, vestis, arma, & similia, spectantur potius ratione figuræ ab arte introductę in tali materia, quàm ratione ipsius materiæ: & ideo ratione vtriusque ad Prædicamentum Habitus attinere dicuntur; non .n. in illis consideratur substãtia simpliciter, vel figura simpliciter, sed substantia tali figura disposita, quæ ad modum cuiusdam formæ se habet respectu corporis cui adiacet, & ita vnum Prædicamentum constituit.

SECTIO

Octaua.

Rationes soluuntur, quibus suadebatur Prædicamenta esse plura decem.

AD Primum alterius partis, quo dicebatur bonum, & malum non in aliquo genere contineri, sed eamet esse genera, vt Aristoteles in Postprædic. affirmat, plures solutiones habentur: nam aliqui dicunt Aristotelem in illo loco loqui secundum famosam opinionem Phythagoræ, assignantis duos ordines rerũ, quorum vnus sub bono, & alter sub malo comprehenditur Sic Aristoteles in libro 1. Metaph. insinuasse videtur, qui multoties in Logica, secundum aliorum opinionem vtitur exemplis non veris. Alij distinguunt de duplici genere; nimirum, generalissimo, & subalterno, & inquiunt, bonum, & malum esse genera, non quidem generalissima; sed subalterna, & in genere Qualitatis ambo cõtenta. Sed hæc expositio non conuenit, ex eo quod hoc tertium membrum non discreparet à primo, ibi ab Aristotele assignatum, videlicet quod quædam contraria sunt in vno genere; vnde Porphyrius dixit, quod contrariorum quædam sunt vniuoca, & hæc sunt vel in vno genere proximo, vt album, & nigrũ in genere coloris, quod est primum membrum ab Aristotele positum; vel in contrarijs generibus proximis, sicut castitas, & impudicitia, quæ sub virtute, et vitio ponuntur, quod est secũdum membrum. Quędam verò sunt æquiuoca; sicut bonum quod circuit omnia genera, sicut, & Ens similiter malum; & ideo Aristoteles dixit bonum, & malum non esse in vno genere, nec in pluribus, sed ipsa esse genera, prout genus vocari potest id, quod genera trãscendit, sicut Ens, & Vnum. Ita S. Thomas, in quæst. de malo, q. 1 art. 1 ad vndecimum.

Bonum & malũ quomodo sint genera.

Simplicius, & Ammonius ad calcem capitis de Oppositis, idem sentiunt, videlicet, bonum, & malum dici genera, quia sunt quædam generales cõditiones trãscendentes, quę circuunt omne genus, quatenus in omni genere reperiuntur aliqua quorum vnum habet rationem perfecti, & boni, & aliqua rationem imperfecti, & mali, seu rationem priuationis, & habitus. Hinc est, quod Auicennas appellat bonum, & malum genera contrariorum, idest, generales cõditiones consequentes naturam omnium contrariorum. Dicatur igitur, bonum, & malum non esse genera Prædicamentalia, sed trascendentia, & circumeuntia omne genus: ideo Prædicamentorum numerus non augetur.

Bonum & malũ quomodo non sint genera.

Ad Secundum, negatur Minor,

nor, ad cuius confirmationem respondetur, quod in Prædicamento Quantitatis esse duo minima, duobus modis intelligitur: vno modo, quod ambo sint simpliciter prima: & sic non sunt in eo duo minima, sed vnum solum, scilicet: Quantum. Altero modo, quod ibi sint duo prima in genere subalterno, & sic conceditur in eo esse duo minima, videlicet, quantum, & quotum.

In genere Quantitatis quomodo sint duo minima.

Contra hanc solutionem arguitur. Quotum non est quantum, ergo, quantum non erit primum minimum in genere quantitatis.

Respondetur, quod cum aliquod superius diuiditur in duo inferiora, quorum vni nomen non est impositum, tunc nomen commune diuisum attribuitur illi inferiori, quod proprio nomine caret. Quantum igitur diuiditur in quantum, quod ad continuã quantitatem spectat; & in quotum, quod discretam quantitatem respicit: & quia vni inferiorũ diuidenti nõ est proprium nomen impositum, propter hoc retinet sibi commune nomen, igitur in Prædicamento Quantitatis est vnum minimum simpliciter primum, videlicet ipsum quantum, & duo minima in genere subalterno, scilicet quantum, & quotum.

Inferius quãdo retineat nomen sui superioris

Ad tertium Paulus Venetus nescio quam sibi solutionem fingat: distinguit dicens, quod aliud est loqui de Generalissimis, & aliud de Prædicamentis. Prædicamenta nõ sunt plura quam decem, sed Generalissima sunt plura. Rursus, distinguit quod Generalissima sunt duplicia, quædam per se prima, & alia per se non prima; per se prima sunt, Quantitas, Qualitas, Substantia; per se non prima, sunt ea, quæ primis coniunguntur communicantia cum illis in essendo, & in significando, & sic Quale est generalissimum, tùm quia non habet genus supra se, & est per se, quia eius pars formalis, videlicet Qualitas, est generalissimum, sed non est generalissimum primò, cum Quale non sit in Prædicamentis nisi ratione Qualitatis. Atque eodem modo concedit, quod genus subalternum est duplex, per se primò, vt color, per se non primò, vt coloratum: similiter species specialissima per se primò, vt albedo; per se non primò, vt albũ.

Distinctio Pauli non probatur.

Sed dicatur melius cum Scoto, in quæst. 11. (cui Dominicus Flandrensis in libro 5. Metaph. quæst. 7. art. 4. subscribit) ipsum quale esse generalissimum: sed aliud Prædicamentum à Qualitate constituere duobus modis intelligitur: Aut secundum rem, quo modo est falsum, cum Quale sub Qualitate contineatur, vnde Aristoteles in capite de Substantia, ait album solam Qualitatem significare; Aut secundum modum significandi, & sic Quale à Qualitate distinguitur, eo quod Quale concernit subiectum, & Qualitas abstractè significatur. Sunt igitur

Qualitas & quale, nõ distinguuntur, nisi secundum modũ significandi.

tur idē secundū rem, & in modo significandi distinguuntur.

1 Cōtra, probatur Quale esse generalissimum, re à Qualitate distinctum. Quale est generalissimum, similiter Qualitas est generalissimum; & hæc duo non sunt idem generalissimum, ergò, aliud, & aliud. Consequentia fit ex eo nota, quod Aristoteles in lib. 10. Metaph. textu 12. scribit, quod idem, & diuersum circa Ens includunt contradictionem. Secunda pars antecedētis probatur: si Qualitas, & Quale, sunt idem generalissimum, tūc vnum de altero prædicaretur, vnde diceretur: Qualitas est Qualis; ac etiam vnum de alterius speciebus enūciaretur, vnde verum esset dicere: albedo est Quale, & album Qualitas, quod est falsum.

Obiectio.

2 Præterea, Quale prædicatur de albo, vnde dicitur album est Quale. Quæritur igitur, sub ratione cuius vniuersalis, Quale de albo prædicetur? non Proprij, quia non cōuertitur; nō accidētis, quia nō adest, & abest; non Differentiæ, quia vnum album ab alijs albis non distinguitur; nō Speciei specialissimæ, quia de pluribus specie differentibus non prædicatur; ergò sub ratione generis; & cum superueniens genus non habeat, erit generalissimum.

Euasio.

Quod si dicatur, ea distingui secundum modum significandi. Contra, si Qualitas, & Quale, sunt idem secundum rem, ergò habent easdem species & de ijsdem prędicantur, quod est falsum.

Solutio.

His non obstantibus, in eadem Scoti sententia persistendum est, scilicet, quod Quale sit generalissimum, à Qualitate non distinctum, nisi secundum modum significandi; & ad argumentum negatur consequentia; eo quod diuersus significandi modus prohibet vnum de altero prædicari; qui tamen modus ad distinguendū generalissimū non sufficit.

Modus diuersus significandi prohibet vnū de altero prædicari

Ad aliud conceditur, Quale prædicari de inferioribus sub ratione generis generalissimi, quod est ipsa Qualitas; Et quādo subiungitur vnum de alterius speciebus non prædicari, respondetur, id esse verum secundum diuersum modum significandi; ex quo non sequitur, illas species re distingui, sed modo tantùm: albedo etenim, si non sit Qualis, sed Qualitas, & album, si non sit Qualitas, sed Quale, tamen re ipsa solam Qualitatem designat; quapropter Qualis, & Qualitatis species, sunt idem re, & solo modo signandi distinguuntur.

Ad Quartum principale negatur consequentia. Cuius negationis ratio est: quia ex parte agentis, & patientis, sumuntur duo respectus, vt esse à quo aliud, & esse quod ab alio, à quibus deinceps sumuntur duo modi prædicandi diuersarum rationum; sed habere, & haberi, locare, & locari, quando, & esse in quando, etsi quo ad vocem significent con-

Actio, & passio duos respectus significant.

continentiam actiuam, & passiuam, tamen quo ad respectum, & modum, non nisi vnum modum prædicandi significant; habitus .n. siue respectu habentis, siue respectu rei habitæ, non nisi adiacentiã rei circa corpus significat; locare, & locari, quoad modum prædicandi, non significat nisi vnum, videlicet esse in alio, aut simpliciter, vt Vbi, aut secundum talem dispositionem, vt Situs. Quamobrem diuersa Prædicamenta ab his non constituuntur.

Tres causæ non cõstituunt speciale Prædicamentum.

Ad Quintum D. Thomas in libro 3. Physicorum, lectione quinta, respondet: quod cum materia, & forma sint rei partes essentiales, ideo prædicationes ab his sumptæ, spectant ad Prædicamentum Substantiæ; vt si dicatur, quod homo est rationalis, siue corporeus, ideo ad ipsum reducuntur. At de causa finali, ideo speciale Prædicamentum non constituitur, aut quia finis non causat aliquid seorsum ab agente; nam finis intantum habet rationem causæ, inquantum mouet agentem: causalitas namque finis est esse id, cuius amore, desiderio, vel delectatione aliquid ab alio agitur; nisi enim finis agentem alliceret, agẽs non ageret: Etenim, sanitas quæ est extra animam, (vt tamen à medico apprehensa tãquam causabilis in infirmo, conditio .n. hæc necessaria est) mouet medicum ad medendum. Quapropter harum trium causarum, materiæ, formæ, & finis, speciale Prædicamentum constituere non fuit necessarium, cum duæ priores ad Prædicamentum substantiæ, & posterior ad Prædicamentũ Actionis reducantur.

Finis quo modo moueat agens.

Scio Petrum Fonsecam in præfato loco quæst 2. sect. 4. hanc S. Thomæ solutionẽ non probare, & aliam afferre, videlicet, non dari Prædicamentũ causæ formalis, quia prima Substantia per cuius comparationem attributa sortiuntur diuersitatem, non potest esse causæ formalis; neque materia est aliquid per se subsistẽs, sicut subiectum in quo passio recipitur; Sed cur S. Thomæ allata solutio non satisfaciat, nullam rationem reddit. Quapropter Sancti Doctoris solutio nunc recipiatur.

Ad Sextum nemo ambigit non esse parem rationem in effectibus quatenus sunt effectus, ita vt particularia Prædicamenta ex illis constituãtur, & in causis quatenus sunt causæ: nam cũ Prædicamenta conficiantur, & diuersificentur per varium modum, quo ad primas substantias se habent, in quibus sunt, & de quibus prædicantur: ideo nullum ipsorum respectu primarum substantiarum iam in rerum natura existentium habet rationẽ causæ, vel effectus; imò, si ipsis primis substantijs iam in natura existentibus accidit, vt causæ sint, tamen eisdem non accidit, vt sint effectus: nihil .n. repugnat quamlibet primam Substantiam Prædicamentalem

Effectus nõ constituũt particularia Prædicamenta.

lè existere, & nullam rem causare, cum tamen repugnat aliquam earum existere, & non causari, quinimmò, prius natura inest illis causari, quàm existere, cum ex causari consequantur existentiam. Quapropter concluditur, quod cum Prædicamenta eorum quæ accidunt primis substantijs constitui debuerint ex his quæ natura sunt posteriora primis substantijs etiam existẽtibus: ideo respectu causarum agentium, & patientium potuerũt Prædicamenta constitui, non autem respectu effectuũ, quatenus sunt effectus.

Esse aliquid in Prædicamento dupliciter cõtingit.

Ad Septimum respondetur, quod aliquid esse in Prædicamento contingit duobus modis; vno modo directè, & sic sola entia completa, & in recta linea Prædicamentali disposita, sunt in Prædicamento. Altero modo reductiuè, & sic entia incompleta sunt in Prædicamento, quia reducuntur per entia completa, quæ in illis locũ habent: vt materia, & forma per compositum; Differentiæ vniuersales per suas species; indiuiduales per indiuidua; partes integrales per suum totum integrum; Punctus, & vnitas ad Prædicamentum Quantitatis, per lineam & numerum, quorũ sunt principia; Gradus, & Angulus ad Qualitatem per figuram; Entia per accidens, per entia per se ex quibus constant: vt homo albus, per hominem, & albedinem; vnde respectu horũ non fuit necessarium aliud Prædicamentum constituere, De artificiatis suo loco dicetur.

Reliqua duo argumenta ad sequentem Disputationem differantur.

DISPVTATIO Sexta.

An Entia rationis in aliquo genere Prædicamentali reponantur.

SECTIO Prima.

Entium rationis tres gradus assignantur.

Entium rationis tres gradus. Primus.

Entium rationis tres gradus reperiuntur, quemadmodum ex doctrina S. Thomæ in Quæst. de Vnitate q. 21. art. 1. dicitur. Primus gradus est eorum quæ vocantur negationes, (sumendo nunc negationem, nõ pro negatiua propositione, aut conceptu negatiuo, aut pro re negatiua, aut pro toto nomine infinito, aut pro eo de quo negatur; sed incomplexè, precisè, & formaliter, pro ipsa negatione, vt si dicatur non homo, non lapis, & similia.) Negationes huiusmodi dicuntur entia rationis, vt in Disput. 5. super Porphyrium diximus, eo quod non habent aliud esse nisi obiectiuum

uum in intellectu; neque alicui rei conueniunt actualiter, nisi per operationem intellectus, dum scilicet noster intellectus apprehendit aliquod subiectum, de quo aliquam naturam negat, vt si dicatur: lapis est non homo: nam tunc per actũ intellectus ipsa negatio circa lapidẽ actu ponitur.

Secundus Priuatio, & negatio, quomodo idẽ sint, & nõ idem.

Secundus gradus entium rationis sunt priuationes, verbi gratia. Cæcitas, surditas, tenebræ, & similia: quæ priuationes, quãtum ad id quod sunt, sunt idem quod negatio, vt Aristoteles in libro 5. Metaphysices scribit. Differt tamen negatio à priuatione in hoc, quod negatio negat non solũ actum, sed aptitudinem quoq; ab illo subiecto, de quo prædicatur: Priuatio verò, etsi neget actum, verbi gratia. Cæcitas negat actum videndi, ponit tamen aptitudinem in eo, vt in Post prædic. dicitur: Cæcitas. n. significat priuationem visus, in aliquo subiecto apto nato ad vidẽdũ; neq; priuationes habent esse reale extra animã, sed per actũ intellectus ponuntur circa subiectũ quod priuatur, sicut in hac eadem Disputatione ex Aristotelica doctrina demonstrabimus.

Tertius Secunda intentiones in rebus, & in itellectu.

Tertius gradus sunt relationes rationis, vt in proposito secundæ intentiones quæ v. g. Genera, Species, Differentiæ, Prædicatum, Subiectum, & similia dicuntur; quæ secundæ intentiones, etsi secluso omni actu intellectus sint fundamentaliter in rebus, eo quod Animal potest esse fundamentum relationis significatæ hoc nomine Genus; & Homo est fundamentum relationis significatæ hoc nomine Species: formaliter tamen non sunt in ipsis rebus, sed habent esse tantũ obiectiuè in intellectu comparante ea ad superiora, vel inferiora; sicut in nostris Disputationibus super Porphyrium multoties declarauimus. De hoc genere entium est principalis Disputatio, in quo genere Prædicamentali continentur, eo quod in nono, & decimo argumento, in quibus contendebatur Prędicamenta esse plura decem, de his dubitabatur, quia aliud Prædicamentum à præfatis decem cõstituere videbantur.

SECTIO Secunda.

De duobus prioribus generibus Entium rationis, conclusiones duæ proponuntur.

1. Conclusio.

Negationes a re ducuntur ad illudmet Prædicamentum, in quo ea continentur quæ negantur. Hæc Conclusio est contra Dominicum à Soto, qui in capite 4. Antepredicamentorum; quæst. 2. affirmat negationes excludi prorsus à Prædicamento; eo quod nullam habeant entitatem. Aristoteles in primo capite libri 2. Posteriorum scribit, quod

Negationes ad prædicamenta reducũtur. quod contingit intellectum intelligere non ens, ac etiam fictitia concipere, vt si petatur an Centaurus sit, & cætera huiusmodi, de quibus intellectus postea format propositiones, quærendo de illis veritatem, vel falsitatem. Cum igitur intellectus concipiat huiusmodi non entia, ac si entia essent, necessarium est intelligere ea in aliquo Prædicamento contineri.

2 Præterea, Sanctus Thomas in expositione secundi textus libri 4. Met. inquit: Est quoddam ens tantum in ratione, scilicet, Negatio, & Priuatio, quæ dicimus in ratione esse: quia ratio de his negociatur quasi de quibusdam entibus, dum de eis aliquid affirmat, vel negat, ex quibus verbis, elicitur, quod licet negatio sit non ens, prout ly, non ens opponitur enti reali, tamen quia intellectus format de negatione aliquam affirmatiuam propositionem, dicendo, lapis est non homo, ob id necessarium est negationes in aliquo Prædicamento aliqualiter contineri.

Dicatur igitur, quod licet negationes non contineantur directè in Prædicamento, tamen reductiuè in eo sunt; & ad illud reuocantur, in quo continentur ea quæ negantur; imò per hæc quæ negantur ad illud reducuntur. Similiter, fictitia per ea reuocãtur ad Prędicamentum, ex quibus constare finguntur: vt si aliquod Animal fingatur constare ex homine, & equo, ad idem Prędicamentum, nempè, ad Substantiam reuocantur, in quo homo, & equus continentur. Huiusmodi etenim fictitia, nõ sunt intelligibilia nisi per attributionem ad ea ex quibus conficí dicuntur. Ita sentit Toletus quæstione prima, Conclusione secunda, de Prædicamentis in communi, & Petrus Fonseca in lib. 5. Met. capite 7. quæstione 9. sect. 2.

Sit 2. Conclusio. Priuationes non ponuntur in Prædicamento directè, cum de suo formali non significent aliquid positiuum: sed reducuntur ad illud, in quo ponuntur formæ quarũ sunt priuationes; & qa Forma est duplex, s. Substantialis, & Accidentalis, ideo priuatio formæ substantialis, ad Prædicamentum Substantiæ, & priuatio formæ accidentalis, ad Prædicamentum Accidẽtis reducitur. Et de hac Conclusione inter Peripateticos nulla dissensio reperitur. *Priuationes ad Prædicamenta spectant.*

SECTIO Tertia.

Assignare aliud Prædicamentum ab ipsis decem, in quo huius tertij generis Relationes collocentur, nullum absurdũ exinde oriri videtur.

TErtium Genus entium, quæ Relationes rationis dicuntur, & de quibus in hac Disputatione primò intendimus;

mus; in quo genere collocentur, non est omnium expositorum vnamet sententia. Quibusdam placet, huiusmodi entia in nullo speciali Prædicamento contineri, sed omnia genera circuire, cum in omnibus generibus sint genera, & species. Quod placitum, quomodo intelligatur, superabundè diximus super Porphyrium capite, de Specie, Disputatione prima, Dilucidatione prima.

Alij, de quorum numero est Ioannes Gandauensis, in libro sexto Metaphysicas, quæstione 9. asserũt huiusmodi entia in Prædicamento Relationis reponi, eo quod respectũ quemdam significent. Quod assertum multis nõ probatur, eo quod in genere relationis, velint relationes tantum reales reponi, quæ sunt illæ, quarum esse est ad aliud se habere; quod de genere respectu speciei affirmari nequit, eo quod esse Genus, est non solũ ad Speciem aliquo modo se habere, sed etiam est aliquid illius, puta forma, & Prædicatum eius, sicut pars substãtiæ, ac propterea sunt potius relatiua secundum dici, quam secundum esse; ob id inquiunt ea in genere relationis non esse reponenda.

Quidam alij, vt Marsylius, & Buridianus (referente Paulo Veneto) quorum positio placet Dominico à Soto, in Anteprædicamentis, cap. 4. quæst. 2. ad calcem solutionis quarti argumenti, dicũt, quod præter decem Prædicamenta primarum intentionum, necesse est assignare vnũ aliud Prædicamentum secundarum intentionum, quod sit eiusmodi entium rationis ordinatio, cuius generalissimum sit terminus vel signum; species autem illius sunt Indiuiduum, Prædicabile, Vniuersale, Genus, Species, & omnes termini secundarum intentionũ. Quam positionem nos insinuauimus super Porphyrium in capite de Specie, Disputatione prima, ad calcem Dilucidationis secundæ; diximusque, nullũ subinde oriri absurdũ, si hoc vndecimum Prædicamentum cõstitueretur. Atque his rationibus hanc positionem quidam confirmare nituntur.

Genus generalissimũ secundarum intẽtionum.

1. In omnibus his positionibus est prædicatio superioris de inferiori; verum namque est dicere: Genus est secunda intentio, Differentia, Nomen, Verbum, Prædicatum, Subiectũ, Propositio, Syllogismus, & huiusmodi, sunt secunda intentio. Igitur secunda intentio prædicatur de his, sub ratione alicuius vniuersalis, nõ alterius quam Generis, ergo intentio est genus; & non est aliquod vnum ipsorum decẽ, quia easdem species non habet, ergo erit aliud ab illis.

2. Confirmatur: Generalissimum est illud, quod est primo intelligibile respectu illorum, quorum est generalissimum; sed intentio est primum intelligibile respectu intentionum specialium, ergo intentio erit

rit generalissimum.

3. Præterea, Omne prædicatum in quid, quod est in plus subiecto, est genus, sicut in lib. 4. Topicorum scribit Aristoteles: sed intentio prædicatur in quid, de intentionibus, & est in plus singula intentione, ergò intentio est genus. Sic videtur etiam Scotus sentire, in quæstione vndecima Prædicamentorum.

Prædicamenti entium rationis prima dispositio

At si diligentiores iuuenes, talis entium rationis Prædicamenti dispositionem scire exoptauerint, legant Suessanum in suæ Metaphysices Dilucidario, libro 6. quæst. vltima, quo in loco, eam hoc modo describit. Genus generalissimũ, est Ens rationis, sub quo pro speciebus vniuersale, & singulare assignantur: sub singulari, hoc, & illud singulare; sub vniuersali autem illud quod prædicatur in quid, & illud quod prædicatur in quale; sub priori, illud quod prædicatur de pluribus differentibus numero, est Species; & illud quod prædicatur de pluribus Differẽtibus specie, est Genus sub posteriori, illud quod prædicatur in quale essentiale, est Differentia; illud quod prædicatur in quale accidentale, si conuersim prædicatur, est Proprium, si non conuersim, & Accidens.

Sed quoniam præter hæc quinque Prædicabilia, sunt alia multa entia rationis, quæ ad hanc coordinationem difficiliter reducuntur; cuiusmodi sunt, Nomen, Verbum, Prædicatum, Subiectum, Propositio, Conuersio, Aequipollentia, Syllogismus, & alia ferè infinita, quæ in hoc loco enumerare non expedit, in Logica nihilominus vt rationis entia considerata. Ob id alij alteram hoc modo assignant: videlicet, Supponunt priori loco pro genere generalissimo ens rationis: nam Aristoteles in libro 6. Metaph. idipsum membrum assignat, qui primò distinxit ens, in ens reale, & in ens rationis: supposito ergo ente rationis pro generalissimo huius Prædicamenti, sub eo pro primis speciebus assignant simplex, & non simplex; simplex ens rationis est illud, circa quod intellectus primò operatur, & cum quo nec veritas stat, nec falsitas, vt in lib. 3. de Anima, textu 21. Aristoteles docet. Rursus, tale ens simplex vel est alijs communicabile, vel incommunicabile; si incommunicabile, tunc est illud quod de nullo dicitur, vocaturque indiuiduũ, & particulare, sub quo omnia singularia entia rationis singulariter prolata reponuntur, vt hoc Nomen, hoc Verbum, hoc Prædicatum, hoc Subiectum, hic Terminus: & similia. Si communicabile, tunc est illud quod de pluribus prædicatur, & appellatur Vniuersale, sub quo quinque Prædicabilia continentur. Tale autem Vniuersale, vel prædicatur in Quid, vel in Quale, si in quid, vel de pluribus differentibus Specie, & sic est Genus, vel

Coordinatio secunda.

Ens rationis simplex, & non simplex.

vel de pluribus differentibus numero,& sic est Species: si in Quale, vel in Quale essentiale,& est Differẽtia:vel in Quale accidentale, & tunc si conuersibiliter, est Proprium: si non conuertibiliter, est Accidens. Ens rationis nõ simplex, est illud, circa quod intellectus secundò operatur,& cum quo stat veritas, & falsitas; & hoc, aut est illud quod ab ipso intellectu componente, & diuidente ipsa simplicia, conficitur, cuiusmodi est Oratio, Enunciatio, Oppositio, & innumeræ propositionum passiones, quibus scilicet illa dicitur Affirmatiua, Negatiua, Cõditionalis, Consequutiua, Exclusiua, Reduplicatiua, Exceptiua; de quibus Aristoteles in libro Perihermenias, agit. Vel vt alij dicũt, in ea Logicæ parte, quam artem veterem vocant: omnia namque rationis entia hucusque recensita, in tali parte cõtenta tractantur. Vel ens rationis non simplex est illud, circa quod tertia operatio intellectus versatur, cuiusmodi sunt Inductiones, Enthymemata, Probationes, Exẽpla, Demonstrationes, omniumque Syllogismorum, & Argumentationum species, quibus intellectus venatur cognitionem notitiamque alicuius ignoti; & de his tractat Aristoteles in libris Analyticis, Topicis, & Elenchis, quæ noua Logicæ pars inscribi solet. Hoc igitur modo entium rationis Prædicamẽtũ aliud à decẽ præassignatis cõstituunt.

Ens rationis nõ simplex.

Ars Logica vetus.

Ars Logica noua.

Verumtamen si hoc vndecimum Prædicamentum admittere, cuiquam non placet, eo quod vniuersæ ferè Doctorum Scholæ aduersari videantur, scireque optet ad quod genus Prædicamentale reuocentur huiusmodi rationis Entia, quæ nuncupantur secundæ intentiones, dicat cum Toleto in quæstione prima, Conclusione secunda, de Prædicamentis in communi, & Petro Fonseca, in libro 5. Metaph. cap. 7. quæst. 9. sect. 2. quod huiusmodi rationis entia, reducuntur ad Prædicamenta entium realium, tanquam eorum quædã extrinsecæ proprietates; vnde particulare Prædicamentum construere, necessarium non est. Etenim, cum huiusmodi entia rationis in entibus realibus fundentur, ob hoc, notio Generis per Animal, notio Speciei per hominem, differentiæ per suas Species, Proprium per suam Speciem, reducuntur ad ipsum Prædicamentum, in quo reponuntur. Reliquæ autem notiones secũdæ, simplices, vel compositæ, (de quibus iam dictũ est) per suum vltimum significatum, si sit simplex, aut per partes, si non sit simplex, ad idem Prædicamentum reuocantur, in quo ipsorum vltima significata reponuntur. Et si cum Paulo Veneto, in capite de numero Prædicamẽtorum dicatur, Entia rationis pertinere ad Antepræ dicamẽta, ita, vt Prædicabilia generali nomine dicantur Antepræ dicamenta,

Alia opinio de Entibus rationis.

eo quod quodlibet Indiuiduũ est Subiectum, & quodlibet Vniuersale est Prædicatum, & etiam Vniuocum. huiusmodi assertum non displicet Dominico à Soto, in capite 4. Antepredicamentorum, quæst. 2. ad finem.

SECTIO

Quarta.

Obiectiones contra quædam dicta in explanatione primi, & secundi gradus Entium rationis adducuntur.

Dictum est in explanatione prioris gradus Entiũ rationis, quæ sint Negationes præcisè, & incomplexè sumptæ, nõ competunt rebus absque actu intellectus.

1 Contra: Si negationes incomplexè sumptæ non competunt rebus sine actu intellectus, ergo nemine intelligente, omnia essent idem: probatur istud: nam secluso actu intellectus, aut Homo est asinus, aut non asinus: si dicas primũ; ergo eadem ratione homo erit omnia alia, nedum asinus: Si dicas secundum, ergo seclu so actu intellectus, homo est non asinus, conuenitque illi negatio in non asino contenta.

In explicatione posterioris gradus entium rationis, quæ sit priuationes, dicitur quod hæ non habent esse reale extra animam, sed per actum intellectus ponuntur circa subiectum quod priuatur.

2 Contra: homo est cæcus sine operatione intellectus: ergo cæcitas est in ipso sine operatione intellectus: Consequẽtia probatur ex eo, quod formaliter cæcum, non efficit nisi cæcitas: quod si hæc vt sit, indiget opere intellectus, ergò à priori ad posterius etiã ille.

3 Amplius, quod ridiculum magis dici potest, quàm non poni cæcitatem nisi per opus intellectus? nam si quis alicui erueret oculos gladio, videat tunc, an intellectus sit ille, qui cæcitatem ei imprimat, an gladius?

4 Amplius quid damnantur illi, qui cæcitatem dicunt extra animam reperiri? Cæcitas est non Ens, & reale non Ens, & sic reperitur in corpore, seu oculis, etiam si nemo intelligat, quia Priuationes sũt, ex se non entia, & defectus entitatis, atque vt sint id quod sunt, nempè, non ens, nullo indigent intellectu.

5 Amplius, Priuatio est principium rerum naturalium, vt Aristoteles ostendit latè 1. Physicorum: sed an dicemus principia rerum naturalium pendere ab opere intellectus agnoscentis?

SECTIO Quinta.

Defensio Doctrinæ eiusdem Authoris, in suis Disputationibus super Porphyrium.

SCit Deus benedictus, renũ, cordium, & omnium cogitationũ verus scrutator, quia non mentior: nam mihi (haud scio ob quam causam) redditum fuit pro bono malum, & pro exhibito alij honore, non modica verborum irreuerentia, verumtamen, si reddam re tribuentibus mihi mala, decidam meritò ab eis inanis; imò pro detrahentibus mihi, semper orabo. Etenim cum nonnullas Disputationes super Porphyrium olim ediderim, non defuerunt qui sensu ducti, nixi sunt totam ferè illam nostram doctrinam funditus, euertere, atque in contradictionem ducere, ea tantum in obiectionibus ponentes, quæ ipsorum intentionem manifestabant, tacitis deinde illis verbis, distinctionibus, & sensibus, quæ illius nostræ doctrinæ veritatem ipso sole clariorem reddunt; quemadmodum qui sano est intellectu, puro oculo, & mundo corde, necnon in Peripatetica doctrina versatus, iudex omnium nostri esse potest. Inter ea autem à nobis ibidem edita, sunt hæc ipsa, quæ in hac Disputatione modo affirmamus, videlicet, Negationes, & Priuationes absque opere intellectus rebus non competere; nunc autem ipsi, (sed suimet risu, & contemptu apud omnes sapientes) verbis tanto Philosopho atque Theologo indignis, nostram doctrinam irridentes, quasi nos à via veritatis prorsus aberrauerimus, obiectiones supra positas (taceo eorumdem mordica verba in obiectionibus sæpè posita) adducunt, probando Negationes, & Priuationes absque opere intellectus rebus competere.

Existimarunt forsitan hi, me non legisse, multos Aristotelis Interpretes affirmasse Negationes, & Priuationes esse in rebus extra animã, eo quod imaginantur, quod ea tantum dicantur entia rationis, quæ conueniunt rebus prout habent esse in intellectu, scilicet, esse Vniuersale, esse Genus, vel Speciem, & alia huiusmodi, quæ dicunt quosdam respectus consequentes res, secundum quod habent esse in intellectu; qualem respectum Negationes, & Priuationes non habent; & ideo arbitrantur quod sint extra animam, non quidem affirmatiuè, sed negatiuè.

Nos igitur in hoc loco confirmantes illud idem quod super Porphyrium diximus, dicimus Primo, quod etsi non omnis Negatio absolutè lo-

quendo, sit super realem affirmationem fundata, quoniam (vt in Prædicamentis dicitur) nō sedere dicitur de eo quod est, & de eo quod non est, negatio tamen quæ de aliquo en re reali dicitur, semper super aliquod in re existens fundatur, quod non compatitur secum id quod negatur, vt scribit S. Thomas 1. 2. quæst. 72. art. 6 & De Potentia, quæst. 7. art. 5. Ideo enim homo non est asinus, quia talis est eius natura, vt asini naturam non compatiatur: & Aethiops non est albus, quia nigredinem habet, quæ albedinem non admittit. Posita hac doctrina, dicimus nunc, quod Negationes, & Priuationes esse in rebus secluso omni actu intellectus, duobus modis intelligi potest: vno modo fundamētaliter; altero modo formaliter; Primo modo sunt in rebus extra animam, quia illud Negatiuum, vel Priuatiuum est fundamentaliter extra animam: sed formaliter non sunt in rebus, neque ipsis competunt, nisi dum intellectus apprehendit hominem, & ab eo negat naturam asini: nam cum sint non entia, non ponuntur actualiter circa aliquod subiectum, nisi per operationem intellectus.

Negatio quomodo sit in rebus, quomodo nō.

Ad Primam ergo obiectionem, qua petitur, an secluso actu intellectus, homo sit asinus, aut non asinus, respondetur, quod secluso actu intellectus, est non asinus fundamentaliter, quia natura hominis quæ est aliquid in re, nō compatitur naturam asini; sed illa Negatio (non asinus) non cōpetit homini sine operatione intellectus: quia cum formaliter sit non ens, non potest rei competere, nisi dum noster intellectus apprehendit hominem, & ab eo naturam asini negat

Ad Secundum negatur consequentia: non enim valet, Homo est cæcus sine operatione intellectus, ergo cæcitas est in eo sine operatione intellectus. Verumtamen quando affirmamus cæcitatem esse in homine, siue in oculo per actum intellectus; hoc assertum duobus modis intelligi potest: vno modo, quod cæcitas, efficiatur in oculo animalis ab actu intellectus: & hunc sensum nunquam habuimus, neque intelleximus, sicut nobis impingitur: quis enim in Peripatetica doctrina mediocriter etiam versatus, affirmabit nostrum intellectum sua operatione efficere in oculo cæcitatem? neque negationes, & priuationes ex eo dicuntur Entia rationis, quòd ab intellectu fabricentur; hoc enim propriè verificatur de secundis intentionibus, quales sunt intentio generis, & speciei. Altero modo dicimus cæcitatem non esse in oculo sine actu intellectus, quia illud quod significatur in abstracto nomine cæcitatis, cum sit non Ens, non potest de eo verificari, & ipsum subiectum formaliter denominare, nisi per operationem intellectus apprehendentis

Cæcitas quomodo sit in oculo per actum intellectus.

tis

tis oculum non habere visum, quem est aptus natus habere vnde dicimus cæcitatem esse in oculo.

Ad Tertium nunquam diximus, neque somniauimus hoc ridiculum, cæcitatem causari, vel poni in oculo per operationem intellectus; sed bene dicimus quod cum priuatio sit ens rationis, non alio modo est formaliter ens, nisi quia apprehenditur ab intellectu circa ipsam negociante: & si verum sit, quod nullo intellectu intelligente, multi sunt cæci, & multi surdi, cæcitas, & surditas sunt in ipsis fundamentaliter, eo quod visus non est in oculo apto nato habere illum: tamen denominatione formali non sunt tales, neque in eis est formaliter cæcitas, aut surditas, nisi actu intellectus componentis hæc, & illa.

Ad Quartum, nunquam cõtumeliosis verbis damnauimus illos, qui affirmant priuationes extra animam reperiri, sed vt innati nostri moris est, & nostra scripta vbique manifestè testantur maxima cum reuerentia, & honore de quocunque magistro, & Doctore semper loquuti fuimus. Imo, si aduersus aliquorum opinionem scripsisse quandoque contigerit, nostram tunc posuimus sententiam, modestè admodum alienam reprobando: nam & me ipsum arbitror indignum, vt cuiuscumque qui labore, & sudore scripta in vniuersam vtilitatem ediderit, corigiam calceamẽti soluere possim; via tamen ad Philosophandum nemini clauditur. Diximus igitur, quod quidam non animaduertentes positam distinctionem de esse priuationum fundamentaliter, & formaliter, dixerunt priuationes non esse entia rationis, sed extra animã formaliter reperiri. Quod assertum vniuersæ ferè Philosophorum Scholæ aduersari videtur. Et si hi qui nobis obijciunt, fatentur in hacmet obiectione cæcitatem esse non Ens, & reale non ens, priuationesque ex se esse non entia, & defectus entitatis; dicant, quæso, quomodo non ens sit formaliter in rebus, atque formali denominatione ipsas res absque opere intellectus denominent.

Pro solutione tamen quæsiti respondemus, quod aliud est querere, an aliquid sit priuatio realis, & aliud, an priuatio sit ens reale, etenim cæcitas, verbi gratia, priuat oculum aliquo ente reali, nimirum, facultate videndi, quam ob causam vocari debet priuatio realis: at cæcitas non est ens reale, imò nullum esse positiuum habet, & si quod habet, id est ens rationis, quod fingit mens formando huiusmodi propositiones: Cæcitas est priuatio visus; vel cæcitas est intolerabilior quàm surditas, in quibus cæcitas concipitur, & apprehenditur à mente, perinde atq; haberet aliquod esse. *Differentia in modo loquendi de Priuatione.*

Obiectio. Si quis autem objiciat, Priuationem percipi à sensu: nam vt est apud Aristotelem in libro 2. de Anima, visus percipit lumen, & tenebras; similiter alij sensus habitum, & priuationem circa suum obiectum: ergo priuatio est ens reale, quia à sensu percipitur.

Solutio. Priuatio quo modo à sensu percipiatur. Respondetur, quod si Priuatio per se à sensu perciperetur, necessariò esset ens reale; sed cum percipiatur ex accidenti, & ex absentia formæ vel habitus, non necessariò est ens reale: visus enim percipit tenebras aeris, quatenus animal sentit suum visum non percipere lumen aeris, nec ab eo pati, & affici; & hoc manifestè declarat Priuationem non esse ens reale.

Ad Quintum, nos non negamus priuationem esse principium rerum naturalium, de quo Aristoteles in libro 1. Physicorum latè diffuseque pertractat. Sed neque vnquam affirmauimus, ipsam quo ad suum esse materiale, dependere ab opere intellectus agnoscentis: sed quo ad suum esse formale, & denominationem formalem ipsius subiecti, dicimus non nisi ab opere intellectus dependere.

Præterea, etsi Priuatio sit principium rerum naturaliũ, tamen quia non est principiũ per se, sed per accidens, nec in esse; sed in fieri tantum, iccirco non potest concludi Priuationem esse ens reale.

Et ne quis existimet has nostras solutiones parui ponderis, futilisque doctrinæ, in primis videat, & legat S. Thomam in libro 4. Metaph. lectione prima, Auerroem, in libro 1. Physicorum, Com. 80. & in libro 12. Metaph. Com. 4. & 11. vbi triplex non ens simpliciter assignat: Ioannem Gandauensem, in libro 1. Physicorum, quæst. 23. Paulum Soncinatem, in libro 10. Metaphys. quæst. 14. Dominicum à Soto, in libro primo Physicorum, quæst. 8. ad primum argumentum principale. Iauellum in libro 10. Metaphys. quæst. 10. Ferrariensem in Cõmentarijs capitis noni, libri tertij. S. Thomas contra Gentiles: Suessanum in lib. primo Physicorum in recognitione commenti 80. Auerrois, Toletum in libro primo Physicorum, quæst. 21. ac tandem Benedictum Pererium in libro 5. de affectionibus rerum naturalium, capite 23. ad quartum. Et hæc nunc sufficiant. *Vide Caietanũ de Ente, & Essentia super c. 1.*

SECTIO

Sexta.

Obiectiones aduersus ea quæ dicuntur in Sectione tertia, proponuntur, & soluuntur.

Aduersus ea, quæ in sectione tertia dicta sunt de vndecimo Prædicamento cõstruendo, in quo secundæ intentiones collocẽtur, objiciũt aliqui hoc modo.

1 Si

1 Si illud vndecimum assignetur, ergo diuisio entis in decem Prædicamenta ab Aristotele posita, est insufficiens, ex quo illa decem membra totum diuisum non euacuant, eo quod aliqua sunt incomplexa Vniuersalia, quæ nō sunt. Substantia, nec Quantitas, nec vnum aliud decem assignatorum Prædicamentorum.

2 Præterea Auerroes in libro 1. Metaph. Com. 17. & in libro 12. Com. 14. affirmat Vniuersalia esse formas: sed entia rationis non sunt formæ, ergo non sunt Vniuersalia in aliquo Prædicamento cōstituta.

3 Confirmatur: nam in eodem libro 1. Metaphysices, Auerroes scribit Genus esse formam mediam inter puram potentiam, & purum actum, quod de huiusmodi entibus rationes affirmari non potest.

Ad primum respondetur, quod hi, qui hoc vndecimum Prædicamentum assignāt, non ponunt ipsum ac si vndecim realium entium genera reperiantur, quorum decem tantum ab Aristotele reperta vel cognita fuerint, sed quia ad instar coordinationum ipsorum decem realium entium, aliam coordinationem pro entibus rationis construere non repugnat. Vnde Scotus in quæstione vndecima, optimè inquit, stat, tantùm esse decem generalissima rerum, quia non quodlibet intelligibile, sed ens per se, diuiditur ab Aristotele in illa decem: tamen esse potest aliud intelligibile, cui intentio attribuatur, sitque ab illis decem diuersum, & de suis inferioribus in quid prædicetur.

Ad Secundum respōdetur, quod Auerroes de eo genere loquitur, quod primas intentiones respiciens, per realia Prædicamenta disponitur; at qui entium rationis Prædicamentum cōstituunt, ad instar dumtaxat eorum, in quibus entia realia disponuntur, ipsum conficiunt; propterea quod etiam inter hæc, coordinatio quædam entium secūdum sub, & supra dispositorū, & ad instar formarum reperiri possit, & per hæc patet solutio ad Tertium.

DISPVTATIO Septima.

An Prædicamenta ab inuicem realiter distinguantur.

SECTIO Prima.

Proponuntur quædam notanda, & distinctiones.

PRo faciliori doctina eorū omnium, quæ in hac Disputatione sunt dicēda; Sit primum notandum Prædicamentum tribus modis sumitur; Primo pro intentione quæ dicitur Prædicamētalitas, quæ est quidam ordo seu quædam relatio inter genera, & species secūdum diuersum modū quo prædicantur, & subijciuntur. *Prædicamentū sumitur tripliciter.*

Secundo sumitur pro ipsis rebus Prædicamẽtalibus, quatenus res sunt, vt Substantia, Quantitas, Qualitas, & reliqua, in quibus intentiones secundæ fundantur.

Tertio, pro ipsis rebus, qua tenus intentioni Prædicamentalitatis subijciuntur. Nunc autem cum quæritur quomodo Prædicamenta distinguantur, non est Disputatio de Prædicamentis primo modo sumptis: quia sic sunt purè ens rationis, cum relatio vel ordo inter Genera, & Species sit ens rationis, & non nisi in intellectu obiectiuè reperiuntur. Neque Secundo modo, quia sic non sunt Prædicamenta formaliter, sed entia realia, de quibus pertractare est muneris Metaphysici: sed penes tertiam acceptionem, fit de illis præsens consideratio, quatenus scilicet, illa res quæ est Substantia, aut Quantitas, fundat intentionem generalissimi, subalterni, & specialissimi; quod generalissimum prædicatur vniuocè de omnibus sub se positis, vt Substantia de omnibus substantijs, Quantitas de omnibus quantitatibus; Qualitas de omnibus qualitatibus, & ita de reliquis dicatur.

Prædicamen. habet tres conditiones. Sit Secundũ notandum Prædicamentum in tertia acceptione, tres conditiones requirit ad hoc quod sit tale: quarũ vna est, quod multa ac diuersa secũdum essentias, & quidditates sub se contineat, alioquin non esset genus, ac subinde neque generalissimum: genus etenim quatenus genus, requirit sub se plures species, per specificas differentias ab inuicem distinctas. Altera est, quod habeat aliquem modum communem essendi in omnibus illis speciebus vniuocum, & consimilem: eo quod quodcunque genus est vnius generalis rationis in omnibus suis speciebus, alioqui non esset genus.

Tertia, quod ille modus essendi non habeat supra se aliũ modum essendi communiorẽ & vniuocum, ad quem reducatur, quoniam tunc daretur ipso generalissimo aliquod cõmunius; vnde illud non esset generalissimum; cũ iuxta Porphyrium, generalissimum sit illud, supra quod non est aliud superueniens genus.

Prædicare est actus rationis. Sit Tertium notandum Prædicare est actus rationis componentis, & attribuentis Prædicatum subiecto per secundã operationem intellectus: qua, vt Aristot. in libro primo Periher. docet, noster intellectus affirmat aliquid de aliquo, aut aliquid ab aliquo negat; & hæc secunda operatio præsupponit primam, per quam ipsemet intellectus apprehendit simplicium terminorum significata: ex quo fit, quod modi prædicandi præsupponũt modos intelligendi, & in eis fundantur, quia intellectus sicut apprehendit, ita enunciat vnũ de altero affirmatiuè, vel negatiuè.

Modi præ Sit Quartum notãdum; Modi

dicãdi du plices. di Prædicandi sunt duplices: quidam quibus in re nihil correspondet, sed vterque terminus Subiectum scilicet, & Prædicatũ, sola operatione intellectus tanquam entia concipiuntur; exempli causa; si formetur hæc propositio: Antichristus est hõ, seu Chimera ẽ animal: etenim q̃a Antichristus neq; Chimera in natura rerum existunt, ob hanc causam ei prædicationi nihil in re correspõdet, sed solo intellectu concipiuntur subiectum, & prædicatum, atque si entia essent. Alij sunt modi prædicandi fundati super rem: quæ res, licet aliquando sit vna; tamen habet in se ipsa aliquid ex quo diuersis modis correspondeat, verbi gratia de puncto formãtur duæ distinctæ prædicationes, quarum vna affirmatur de eo quod sit principium, & altera quod sit finis lineę; vnde de eodem pũcto dicitur, quod est principium, & finis; & neutra harum est fictitia, imò, verè que aliquid correspondet nimirum ipsum punctum, super cuius naturam vterque modus prædicandi verè fundatur.

Modi Prædicandi fundãtur in modis essendi. Sit Quintum notandum. Modi prædicandi, à modis essendi sumuntur, atque in ipsis fundantur; ita Aristoteles in capitẽ 7. libri 5 Metaph. docet: sed modi essendi, quos alij rerum perfectiones vocant, sunt duplices: nam quidam se habent ita, vt nullo intellectu considerante, sint realiter distincti; verbi gratia esse album, & esse dulce, in lacte; sunt duo modi essendi actu distincti, veluti albedo, & dulcedo sunt duę qualitates actu distinctæ, licet eidem subiecto insint. Alij non sunt actu distincti, sed quia distinctis conceptibus formatis dę ipsis correspondent, ideo ex modo corrrespõdendi duntaxat distinguũtur, & hoc contingit, quando vna, & eadem res habet vnum realem modum essendi, verumtamen quatenus cadit sub appræhensione, intellectus fundat plures conceptus, & tunc quatenus fundat vnum conceptum, distinguitur ratione à se ipsa, prout alium conceptum fundat, verbi gratia idem punctus cum re ipsa sit vnus, nihilominus dicitur principium, & finis, & quatenus est principiũ, distinguitur ratione à se ipso prout est finis: & hæc fundamenta sola ratione distincta, dicuntur distincti modi essendi, non actu, sed correspondenter.

Sit Sextum notandũ, Quando contingit vnam, & eamdem rem correspondere diuersis conceptibus intellectus, secundum quod intellectus plures conceptus de ea format, hoc non potest esse, nisi eamet res plures perfectiones in se contineat, ratione quarum intellectus possit formare de ea diuersos conceptus: non. n. est intelligibile quod de vna, & eadem re, intellectus diuersos conceptus formet, nisi ipsa habeat in se, vnde intellectus in concipiendo diuersificetur: quæ tamen perfectiones in

in eadem re, vel sunt realiter distinctæ, sicut de albedine, & de dulcedine in lacte iam dictum est; vel sunt quid vnum indiuisum, sicut perfectiones principij, & finis in puncto. Quod si sint quid vnum, tunc cum hoc vnũ æquiualeat multis, sic tamen sunt hoc vnum, quod ex sua natura possint esse multa, atque in diuersis rebus distincta; vel saltem ab intellectu sic fuisse cognita. Exẽpli gratia, in homine anima vegetatiua, sensitiua, rationalis, eædem res sunt; tamen hæc sola anima facit, quod tres animæ per se faciunt; & hæc tria sic vna anima in homine sunt, quod ex sua natura possunt esse distincta in diuersis rebus: nam in plantis est vegetatiua sine alijs; in brutis sensitiua sine rationali. Similiter, cũ contingat in aliquo corpore reperiri superficiem quæ non sit locus, ideo intellectus alium cõceptum format de superficie, & alium de loco: & cum alia superficies reperiatur quæ sit locus, nihilominus intellectus aliam conceptum format de ipsa inquantum est superficies, & alium de ea inquantum est locus: & hæc dicuntur distincta ratione, & intellectu aliter vnum cognoscente, & aliter alterum: & quia hæc omnia extra intellectum sunt, quamuis vna res existant, ideo hæc distinctio quoddam peculiari nomine dicitur distinctio rationis ratiocinatæ, eo quod distinctionis fundamentum seclusa operatione intellectus

Ratioratiocinata

in re inueniatur.

Principia distinguẽtia dupliciа.

Sit Septimum notandum, Principia quibus aliqua distinguũtur, sunt duplicia, quędam proxima, & sunt ea quibus aliqua proximè, & immediatè ab inuicem distinguuntur: alia remota in quibus ipsa proxima fundantur: exempli gratia, elementorum principia distingẽtia sunt duplicia, proxima videlicet, cuiusmodi sunt qualitates cõtrariæ: ignis enim distinguitur proximè, & immediatè ab aqua, per caliditatem, eo quòd ignis sit calidus, & aqua frigida; remotè verò, per propriam formam substantialem, cum forma substantialis qua ignis, & aqua in esse constituuntur, sit alia, & alia: & à quibus deinde principia proxima, qualitates pempe eorum originantur.

Sit vltimum notandum, Res distingui realiter, duobus modis intelligitur: vno modo secundum quod res dicitur à ratus, rata, ratum, quasi materialiter, quemadmodum vnum suppositum ab altero supposito, vt lapis à lapide, dicitur realiter distinctum; & iuxta hunc sensum conclusio non intelligitur, eo quod Prædicamenta non esse decem entia per se subsistentia, omnes fatentur. Altero modo secundum quod res dicitur à reor, reris, vt scilicet res significat essentiam rei; & penes hunc sensum quæritur in Disputatione, an Prædicamenta distinguantur realiter, ita vt vnius essentia non sit alterius essen-

tia,

tia, sed sint actu decem distinctæ essentiæ, & entitates.

SECTIO Secunda.

Non omnia Prædicamenta distingui realiter, ostenditur.

CONCLVSIO I.

QVid de hac Disputatione sit dicendum, pluribus Conclusionibus explicabitur. Sit igitur hęc Prima Conclusio: Non omnia Prædicamenta distinguuntur realiter. Dixi (nō omnia) eo quod sint aliqua ipsorum quæ realiter distinguūtur, vt infra dicetur. Hæc Conclusio elicitur ex doctrina S. Thomæ pluribus in locis, videlicet in lib. 3. Physicorum, lectione 5. & in lib. 5. Metaphys. lectione 9. & in lib. 11. ad calcam lectionis nonæ; cui multi Thomistarum subscribunt, & specialiter Capreolus, in lib. 1. Sent. dist. 8. quæst. 2. & inter neotericos Petrus Fonseca, in lib. 5. Metaphys. capite 7. quæst. 3. Sect. 2. Probatur sic.

1 Actio, & passio secundum substantiam sunt vnus motus: ita Aristoteles in lib. 3. de Physico auditu, à textu 18. vsque ad 23. ostendit. Sed actio & passio constituunt duo Prædicamenta, vt omnibus probatum est, ergo non omnia Prædicamenta distinguuntur realiter.

2 Præterea, Aristoteles in capite de Qualitate, habet hæc verba: At verò non decet conturbari, ne quis nos dicat de Qualitate propositum facientes, multa eorum quæ sunt ad aliquid numerasse: habitus .n. & dispositiones, eorum quæ Ad aliquid sunt, esse dicebamus. Sed hoc quod Aristoteles docet; nequaquā fieri posset, si omnia Prædicamenta realiter distinguerentur: absurdum namque maximum esset, vt vnum & idem in diuersis Prædicamentis collocaretur; ergo non omnia Prædicamenta realiter distinguuntur.

3 Præterea, Vbi non distinguitur à loco, qui est species Quantitatis, nec Quādo à tēpore, quod est eiusdem Quantitatis altera species, vt locis præhabitis S. Thomas dicit, igitur non omnia Prædicamēta realiter distinguuntur.

CONCLVSIO II.

SIt secunda Conclusio, Prædicamenta sumpta præcisè; idest pro rebus Prædicamētalibus, distinguuntur seipsis, idest, illa res quæ est Substantia, non distinguitur à Qualitate, neque Qualitas à Quantitate per aliquid aliud, sed seipsis distinguuntur. Probatur his rationibus.

1 Quæcunque sunt primò diuersa, distinguuntur seipsis, sed Prædicamenta quatenus res, sunt primò diuersa, ergo Prædicamenta quatenus res, se ipsis primò distinguuntur. Maior est Aristotelis, in li. 16.

Me-

Metaph. textu 12. quo in loco assignans discrimen inter diuersum, & differens, inquit, Differentia verò, & diuersitas aliud est: Diuersum namque est illud, à quo diuersum non est necesse aliquo esse diuersum. Minor colligitur ex lib. 8. Metaph. textu 16. vbi Aristoteles scribit, quod nulla causa assignari potest, quæ singula horum generum sit vnum, & ens quoddam.

2 Præterea, Illa quæ per aliquid sui distinguuntur, necesse est, quod in aliquo communi vniuoco conueniant. Sed Prædicamenta quatenus res, in nullo communi vniuoco conueniunt, ergo per aliquid sui non distinguuntur, ergo seipsis primò distinguuntur. Maior habetur ex Aristotele, in lib. 10. Metaph. textu 12. vbi ait, quod ea quæ per aliquid sui, idest per aliquam differentiã distinguuntur, conueniunt in aliquo genere, & habent distinctas differentias, vt homo, & equus; Minor probatur, si aliquod commune genus esset assignandum ipsis decem generibus, hoc maximè esset ens, vt Porphyrius scribit in capite de Specie: sed ens æquiuocè dicitur de primis generibus, vt Porphyrius ibidem affirmat, igitur, &c.

3 Confirmatur Minor, ratione collecta ex lib. 3. Metaph. textu 10. videlicet Omne genus est extra essentiam, & quidditatem differẽtiæ; sed ens est de essentia, & quidditate omnium rerum, & per cõsequens cuiuscunque differentiæ, ergo ens non est genus. Maior probatur: Genus vt Porphyrius ait, cap. 3. habet se ad differentiam, sicut materia ad formam, eo quod Genus per differentiam contrahitur, verbigratia: si animal includeretur in rationali, tunc per ipsum non contraheretur: contrahere enim est nouum gradum addere: & si rationale includeret animal, non adderet nouum gradum super ipsum. Minor est nota: quia quicunque gradus rerum, quomodocunque abstractus, includit Ens. Quapropter cum nulla differentia assignari possit quę contrahat rationem Entis ad Prædicamenta, sequitur quòd Ens non sit ipsorũ genus: Hinc Auerroes in lib. 5. Metaph. Com. 4. scribit, quod genera generalissima non habent genus, nisi multipliciter .i. æquiuocè dictum.

4 Præterea simplicia seipsis distinguuntur, sed Prædicamenta quatenus res; sunt entia simplicia; ergo Prædicamenta quatenus res, seipsis distinguuntur. Maior ex eo fit nota: quid si aliquid haberent quo distinguerentur, tunc essent composita, scilicet, id quod distinguitur, & id quo distinguitur. Minor est Auerrois, in lib. 8. metaph. Com. 16. vbi ait, quod genera prima sunt simplicia: cum non habeãt genera: qua de causa nos super Porphyrium diximus, genera generalissima, & vltimæ differẽtiæ censentur con-

ceptus simpliciter simplices, quia carent genere, & differentia.

§5. Præterea, Aristoteles in lib. 1. Posteriorum capite 21. distinguit quattuor genera propositionum negatiuarum hoc ordine. Primum cum Prædicatum est sub aliquo toto, idest continetur sub aliquo genere, quod de illo essentialiter prædicetur; Subiectum verò sub aliquo genere non continetur, vt si dicatur Qualitas non est Homo. Secundum, cum è contra; Subiectum est sub aliquo genere, non autem Prædicatum, vt si dicatur: Nullus homo est Qualitas. Tertium cũ vtrumque sub genere continetur, vel diuerso, vt si dicatur: homo non est albedo: nam Homo sub animali, & Albedo sub colore continetur; vel sub eodem, vt si dicatur: Homo non est equus: nam ambo sub animali continẽtur. Quartum cum neutrum eorum, scilicet, neque Prædicatum, neque Subiectum sub toto, idest sub genere cõtinetur, vt cũ vnum generalissimum de alio generalissimo negatur, vt si dicatur: Substantia non est Quantitas, & Aristoteles intẽdit tria priora genera propositionum esse mediata, & per consequens demonstrabilia: quartum autem immediatum, & prorsus indemonstrabile: quia cum careat superiori diffinitione, caret medio quo demonstretur. Ex his arguitur sic: Propositio negatiua in qua vnum Prædicamentum de alio negatur, est immediata, ergò ipsa Prædicamenta carent superiori genere, alioquin demonstrationis medio non carerent: ergò carent quoque differentijs quibus distinguantur, ergo seipsis distinguuntur. Secunda Consequentia manifestatur, quod ea quæ sub eodem vel sub diuersis generibus continentur, si distinguuntur, necesse est quod per aliquam differẽtiam distinguantur. Altera est notissima igitur.

Quattuor genera propositionũ negatiuarũ.

Obiectio.

Nec valet solutio dicẽtium Aristotelem eo in loco conceptis verbis non dicere enunciationem, qua vnum Prædicamentum de altero negatur, esse immediatam: sed dicere illam enunciationem negatiuam esse immediatam, & indemonstrabilẽ, cuius subiectum, & prædicatum non est sub aliquo toto genere: quoniam si subiectum, & prædicatum est sub aliquo genere, vt si dicatur: Nulla Substantia est similitudo; vel nulla similitudo est Substantia; vel, Nullius homo est similitudo: tunc hæ enunciationes demonstrari possunt per illud totum genus. Hęc Solutio inquã, est nihil, eo quod Philosophus distĩguit ibi quattuor genera propositionum negatiuarum, quarũ vltimum est, quando neque subiectum neque prædicatum, non continentur in aliquo genere. Verba Aristotelis sunt in seipsis apertissima; modò in vniuersa doctrina Aristotelis non est formare aliquam enunciationem negatiuam, cuius aut subie-

Solutio.

biectum, vel prædicatum sub aliquo genere non contineatur; nisi de ipsis generalissimis; vt si dicatur: Substantia non est Quantitas, sicut omnes Interpretes in illius textus explanatione exemplificāt: Quapropter, ratio ad Conclusionem adducta optimè concludit.

CONCLVSIO III.

Sit Tertia Conclusio. Prædicamenta sumpta pro rebus Prædicamentalibus, quatenus stant sub secundis intentionibus, distinguūtur proximè, & immediatè per diuersos modos prædicandi. Probatur his rationibus.

1 Aristoteles in libro 5. Metaph. textu 14. quo in loco diuidit Ens in decem genera, inquit, quod diuiditur secūdum figuras prædicationis Et illius verba sunt: Secundum se verò esse dicuntur, quæcunque significant figuras Prædicationis: Quoties enim dicitur, toties esse significat; Quoniam ergo Prædicatorū, alia, Quid est, significant; alia Quale; alia Quātum, alia Ad aliquid, &c. Super quæ verba Alexander, Auerroes, Albertus, S. Thomas, & omnes expositores, per figuras prædicationis, intelligunt ipsa Prædicamenta; Igitur in his verbis benè considerátis Aristoteles affirmat ipsa Prædicamenta distingui per diuersos modos prædicandi.

Obiectio. Obijciet quis, dicens: quod quamuis Aristoteles dicat Ens diuidi in Prædicamenta, per diuersos modos prædicandi; tamen ex eo nō affirmat, quod Ens diuidatur proximè, & immediatè per diuersos modos prædicandi, in genera.

Solutio. Sed probatur quod proximè, & immediatè diuidatur per diuersos modos prædicandi.

2 Quonium vt benè dicit S. Thomas, Ens non potest hoc modo contrahi ad aliquid determinatum, sicut genus contrahitur ad species, per differentias: nam differentia cum non participet genus, est extra generis essentiam: nihil autē potest esse extra essentiā Entis, quod ꝑ additionē ad Ens aliquam speciem Entis constituat. Nam quod est extra Ens, nihil est, & differentia esse non potest, vnde Aristoteles in lib. 3 Metaph. probauit, quod Ens genus esse non potest. Igitur cum Aristoteles diuidat Ens in genera, per diuersos modos prædicandi, necessarium est dicere, hos diuersos modos prædicādi, se habere ad instar differentiarum proximarum diuidētium ab inuicem ipsa Prædicamenta, ac præcipuè, quia Aristoteles alium modum ibi non explanat.

3 Præterea, Ens distingui in res Prædicamentales, quatenus secūdis intentionibus subalternuntur, est distingui in aliquam secundam intentionem: ergo ens proximè, & immediatè distinguitur in Prædicamenta per varios modos prædican-

dicandi; ac per consequens ipsamet Prædicamenta, per hos modos proximè, & immediatè ab inuicem distinguuntur. Antecedens est omnibus probatissimum: prima consequentia probatur: quia modi prædicandi sunt intentiones, non autem modi essendi.

4 Præterea Aristoteles in extremo capite. Anteprædicamentorum, distinguens ea quę secundum nullam complexionem dicuntur, in decem genera diuidit. Ex quo loco non malè colligunt aliqui Philosophum insinuasse ipsa Prędicamenta, ex diuersis modis prædicandi ab inuicem distingui. Sed quidquid sit de hac authoritate, concludatur Prædicamenta distingui ab inuicem, proximè, & immediatè, per diuersos modos prædicandi.

Vide Iandunũ in libro 5. Metaph. q. 13.

CONCLVSIO IIII.

1 Sit quarta Conclusio. Prædicamenta distinguuntur primò, & remotè per diuersos modos essendi. Probatur sic: Modi prædicaudi quibus haud dubiè Prædicamenta distinguuntur fundantur super modos essendi: ergo Prædicamenta distinguuntur primò, siue remotè per diuersos modos essendi Antecedēs, scilicet, quod modi prædicandi fundentur super modos essendi, ex eo innotescit, quod si prædicatio sit vera, & non fictitia, oportet, quod vel super ipsam rem, vel super modum essendi ipsius fundetur. Consequentia fit quoque nota; quod si modi prædicandi fundantur super modos essendi, & Prædicamenta distinguuntur etiam per modos prædicandi; necesse est quod primò distinguantur per modos essendi in quibus illi modi fundantur.

Sed meminisse oportet illius, quod in superiori sectione diximus; nimirum, cum modi essendi alij sint actu distincti, alij ex modo correspondendi, eo quod vna metres habet in se aliquid, ex quo intellectus plures conceptus formare potest: ideo cum dicitur Prædicamenta distingui per diuersos modos essendi; intelligitur, quod illi modi sint vel actu distincti, vel ex modo correspondendi: quia non est necesse omnia Prędicamēta realiter distingui, vt dictum est.

CONCLVSIO V.

Sit Quinta Conclusio. Prædicamenta non distinguuntur per quoscunque modos essendi, & prædicandi, sed per modos essendi in primis, & prædicandi de primis substantijs.

1 Probatur: Distinctio attributorum sumitur ex vario modo, quo sua subiecta respiciunt, & quo ad ipsa se habēt, vnde dicimus Socratem alia ratione esse Substantiam, alia Quantum, & alia Quale: Substantia .n. essentialiter inest, & essentialiter prædicatur. Quantum, ratione materiæ, &

& prædicatur in Quantum; Quale, ratione formæ, & prædicatur in Quale simpliciter. Sed primæ Substantiæ sunt prima subiecta, quibus omnia attributa, in Prædicamentis posita innituntur; vnde Aristoteles in capite de Substantia inquit, quod destructis primis, impossibile est aliquid aliorũ remanere; Igitur secundum varium modum, quo attributa insunt, & prædicantur de primis Substantijs, ab inuicem distinguuntur. Hinc S. Thomas in lib. 5. Metaph. lectione 9. & in lib. 3. Physicorum, lectione 5. huius numeri denarij Prædicamentorum sufficientiam assignauit.

Verum etiam est, quod idē S. Thomas in Tractatu de Prædicamentis, capite 1. & de Veritate, quæstione 1. art. 1. affirmat Prædicamenta distingui per varios modos essendi, iuxta quos diuersa rerum genera accipiuntur. Ex quibus locis elicitur, apud S. Thomã Prædicamenta ab inuicem distingui, non solum per varios modos prædicandi, sed etiam essendi, quod nemo ex Thomistis negat. Diffident tamen inter se, an ad mentem eiusdem S. Doctoris Prædicamenta distinguantur proximè, & immediatè per varios essendi vel prædicandi modos. Attamen, eorum vniuersalior sententia est, Prædicamentorum distinctionem proximam, & immediatam, ex modis prædicandi sumi, eo quod hi omnes sint actu distincti, non autem omnes modi essendi; sed multi seu aliqui correspondenter dumtaxat, & per hos non nisi remotè seu (vt alij dicunt) prius natura distinguuntur: & ad hos reducuntur ipsi modi prædicandi, cum res eo modo de subiecto prædicetur, quo ei inest.

Thomistarum varia opinio de proxima distinctione Prædicamentorum.

CONCLVSIO VI.

Sit Sexta Conclusio. Distinctio Prędicamentorum per diuersos modos prædicandi est Logica. Probatur sic. Illa diuisio est habenda Logica, quæ per secundas intentiones assignatur. Sed diuisio Prædicamentorum ab inuicem per varios modos prædicandi, assignatur per secundas intentiones, ergo diuisio Prædicamentorum per diuersos modos prædicandi assignata, est diuisio Logica. Maior est manifesta: quia secundæ intentiones ad Logicum spectant. Minor quoque clarescit, quia modi prædicandi sunt intentiones secundæ.

CONCLVSIO VII.

Sit Septima Conclusio, à Prædicamento Substantiæ, reliqua nouem realiter distinguuntur. Conclusio ex se ipsa est satis nota, ex eo, quod Substantia, & Accidens sunt entia realiter distincta: igitur cum reliqua nouem Prædicamenta sint Accidentia, & accidentaliter prædicentur, fit consequens, quod omnia, & singula

la à Prædicamento Substantię realiter distinguantur.

CONCLVSIO VIII.

Sit Octaua Conclusio. Priora quattuor Prædicamenta, nempè, Substantia, Quantitas, Qualitas, & Relatio, distinguuntur ab inuicem realiter: & quod Substantia à tribus reliquis realiter distinguatur, ex eo fit manifestum, quod tria reliqua sunt accidentia, & inter substantiam, & accidens est realis distinctio. Quod autem hæc tria ab inuicem realiter distinguantur, est communis Philosophorum sententia. Vnde Ammonius in capite de Actione; Auicennas, in libro 2. suæ Sufficientiæ; Albertus quoque Magnus in lib. 5. Metaphys. passim asserunt, hæc quattuor priora Prędicamenta, esse proprie Prædicamenta, eo quod ab inuicem realiter distinguantur; atque ea de causa Aristotelem pertractasse distinctè eorum genera, & species. Igitur, ex his assignatis Conclusionibus, haud difficilè fit scire, qualiter Prædicamenta ab inuicem distinguantur, quæ realiter, & quæ non. Quarum tandem Conclusionum veritatem defensam habebis lector, apud Alexandrum Alensem in lib. 5. Metaph. super textum 14. Capreolum, in lib. 1. Sentent. dist. 8. q. 2. Paulũ Soncinatem, in lib. 5. Metaph. q. 13. Iandunum, ibidem, q. 13. Iauellum, quæst. 16. Ferrariensem in lib. 3. Physicorum, quæst. 5. Dominicum Sotum, in eodem libro, quæst. 1. art. vlt. Card. Toletum, de Prædicamentis in communi, quæstione 3. ac postrema. Petrum Fonsecam, in lib. 5. Metaph. cap. 7. q. 3. sect. 2.

SECTIO Tertia.

Dubitationes aliquot aduersus singulas Conclusiones proponuntur. Aduersus primam Conclusionem.

1 Probatur quod Prædicamenta realiter ab inuicem distinguantur. Illa realiter ab inuicem distinguuntur, quæ omninò sunt impermixta, sed decem Prædicamenta sunt omninò impermixta, ergo Prædicamenta realiter ab inuicem distinguuntur. Minor est Aristotelis, in libro 1. Posteriorum, vbi ait, quod Prędicamenta sunt impermixta; & Porphyrius in capite de Specie, vocat decem genera, prima principia omnium rerum, quod non esset, nisi realiter ab inuicẽ distinguerentur.

2 Præterea, Ea quæ seclusò omni actu intellectus, sunt se ipsis primò diuersa, realiter distinguuntur: sed Prædicamenta, secluso omni actu intellectus, sunt seipsis primò diuersa, ergo Prædicamenta realiter ab inuicem distinguuntur

tur. Minor colligitur ex lib. 8. Metaph. textu 16. vbi Aristoteles inquit quod nulla causa assignari potest, qua singulum horum generũ sit vnum, & ens quoddam; vnde sumitur prima genera esse seipsis primò diuersa.

3 Præterea Plus ea differunt quæ in nullo vniuocantur, quam illa quæ in aliquo habent vniuocationem, & in quo essentialiter conueniunt: sed cælum, & terra conueniunt vniuocè in substantia, & Prędicamenta in nullo vniuocantur, ergo Prædicamenta plus differũt; quàm cælum, & terra, quæ constat realiter differre.

4 Præterea. Illa per quæ res diuersorum generum realiter distinguuntur, etiam inter se realiter distinguuntur; sed decem genera rerum sunt, per quæ res diuersorum generum realiter distinguuntur, ergo, & ipsa genera inter se realiter distinguuntur. Maior propositio notificatur per illam Maximam ex lib. 1. Post, desumptam, scilicet, propter quod vnumquodque tale, & illud magis: igitur si res diuersorum generum distinguuntur realiter per ipsa genera; multo magis ipsamet genera inter se realiter distinguuntur. Minor probatur. Si quæritur per quid homo ab equo, & à lapide distinguatur? respõdebitur quod ab equo cum sint eiusdem generis proximi, distinguitur per differentiam rationale; à lapide per suum genus, nimirum per Animal: Animal à linea per genus generalissimum, cum vnum eorum sit in genere substantiæ, & alterum in genere quantitatis.

5 Præterea Vbi est multitudo realis, ibi est distinctio realis; sed realiter sunt decẽ Prædicamenta: nam numerus denarius realem multitudinem importat, igitur Prædicamenta realiter ab inuicem distinguuntur.

6 Prædicamẽta resultant ex distinctione entis, sicut in lib. 5. Metaph. textu 14. dicitur: sed distincto ente, necessariò distinguuntur entitates: ergo Prædicamenta cum dicant distinctas entitates, essentialiter distinguuntur.

Aduersus secundam.

1 QVod Prędicamenta prę cisè sumpta, idest pro rebus Prædicamentalibus, nõ distinguantur seipsis, sic arguitur. Quæcunque conueniunt in aliquo vno genere vniuoco, non distinguuntur seipsis, sed per oppositas differentias, sicut colligitur ex libro 10. Metaph. textu 12. vbi Aristoteles assignat discrimen inter differens, & diuersum: sed entia Prædicamentalia conueniunt in vno genere vniuoco, ergo non distinguuntur seipsis, sed per oppositas differentias. Minor probatur authoritate Auerrois, in lib. 4 Metaph. Comm. 2. vbi dicit, quod in ente inueniuntur Prædicamenta essentialia, sicut inue-

niuntur

niuntur in genere quod dicitur vniuocè.

2 Præterea, Quidquid prædicatur quidditatiuè de multis, prædicatur de illis vniuocè, cum sola vniuoca dicant quid, de his quæ sub se continentur: sed ens prædicatur quidditatiuè de substantia, & de accidente, ergo prędicatur de eis vniuocè; & non prædicatione vniuoca specifica, ergo generica, & per consequens erit eorum genus. Minor probatur; quemadmodum hæc propositio, substantia est ens, est in primò modo perseitatis, quia subiectum fine prædicato non potest concipi, ita, & hæc, Quantitas est ens, est in primo modo pseitatis, eo quod subiectum absque prædicato concipi nequit.

Aduersus tertiam.

1 Arguitur, quod Prædicamenta nullo modo distinguantur per diuersos modos prædicandi: Modi prædicandi sunt tantùm duo, scilicet, in Quid, & in Quale: igitur si Prædicamenta distinguuntur per modos prædicandi, sequitur quod Prædicamenta sint duo tātùm, quod est falsum.

2 Præterea, in quolibet Prædicamēto sunt duo modi prædicandi, Abstractiuè, vt si dicatur: albedo est color: Concretiuè, vt Socrates est coloratus, ergo in quolibet Prædicamento sunt duo Prædicamenta, quod est falsum.

3 Præterea, Illi modi prædicandi, quibus Prædicamenta distinguuntur, vel sunt ab inuicem realiter distincti, vel secundum rationem tantùm; Si primo modo, ergò sequitur quod omnia Prædicamenta realiter ab inuicem distinguantur. Si secundo, ergo Prædicamenta sunt infinita, cum infinita sint ipsa entia quæ secundum rationem distinguuntur.

4 Præterea Res primæ intentionis non distinguuntur per res secundæ intentionis: sed Prædicamenta sunt res primæ intentionis, & modi prædicandi sunt res secundæ intentionis, ergo Prædicamēta per modos prędicandi non distinguuntur. Minor non indiget vlla probatione. Probatur Maior. Natura Animalis non diuersificatur ex hoc, quod intentio generis sibi conuenit, nec natura hominis ex eo quod speciei intentio sibi attribuitur: quia secundæ intentiones cum ab extrinseco rei conueniant, ipsius naturam diuersam conficere non valent.

5 Præterea Modi Prædicandi, quibus Prædicamenta distinguuntur, aut ex se ipsis sufficiunt ad Prædicamentorum distinctionem causandam; aut requiritur etiam diuersitas rerum, à quibus illi modi sumuntur; si Primum, ergo sequitur quod homo, & asinus magis distinguuntur, quàm duo Prædicamenta, quod est falsum: falsitas est nota, quia duo Præ

dicamenta distinguuntur genere, in nullo vniuoco conueniunt, sed solum in ente: homo verò, & asinus cõueniunt in genere proximo, & distinguuntur specie: Consequentia probatur ex eo, quod homo, & asinus realiter distinguuntur, Prædicamenta autem per solos modos prædicandi. Si secundum, ergo distinctio Prædicamẽtorum per diuersos modos prædicandi non est prima. Consecutio ex eo fit manifesta, quod res quæ prædicatur est prior quàm modus prædicandi; ex quo fit quod aliquid distinguit Prædicamenta, priusquam modus prædicandi.

6 Præterea Prędicamenta distinguuntur per varios modos prædicandi, ergo sequitur, quod in omni prędicatione de tertio adiacente committatur nugatio. Consequentia probatur: cum dicitur Animal est substantia, per copulam verbalem intelligitur esse; substantia quoque dicit esse, quia modus prædicandi substantiam de Animali fundatur in modo essendi substantiam: & ita bis dicitur esse.

Aduersus Quartam.

OBijcitur quod Prædicamenta non distinguantur per diuersos modos essendi.

1 Principia omnium Prædicamentorum sunt eadem, teste Aristotele in libro 12. Metaph. à textu 19 vsque ad 27. ergo Prædicamenta non distinguuntur per diuersos modos essendi, cum eorum omnium sint eadem principia.

2 Præterea, Modi essẽdi suapte natura sunt posteriores ijs entibus quorum sunt modi: ergo Prædicamenta prius natura sunt inter se distincta, quàm distinctio per modos accedat. Consequentia est nota: Antecedens probatur. Modus essendi substantiæ est esse per se, & accidentis est esse in alio: sed substantia prius natura est ens, quam sit ens per se; & accidens prius natura est ens, quam sit ens in alio: ergo modi essendi sunt posteriores ijs entibus, quorum sũt modi.

3 Præterea, eadem sunt principia distinguendi, & constituẽdi, sensitiuum etenim cum sit principium constitutiuum animalis, est etiam eiusdem distinctiuum à lapide: & rationale cum distinguat hominem ab equo, ipsum quoque constituit, vt in capite de differentia legitur: sed Prædicamenta non constituuntur per diuersos modos essendi, ergo neque per ipsos ab inuicem distinguuntur. Minor probatur: quia huiusmodi principia sunt formaliter entia, quod de modis essendi affirmari non potest.

4 Præterea, Modi prædicandi sunt tantùm duo, nimirum, in Quid, & in Quale, ergo, & modi essendi sunt tãtum duo, videlicet, per se, & in alio: ergo si Prædicamẽta distinguuntur per diuersos modos essendi,

di, Prædicamenta erunt duo tantum.

5 Præterea, hi modi essendi, aut sunt de intrinseca ratione illorum, quorum sunt modi, aut non: si non, ergo neque cõstituunt, neque distinguunt Prædicamenta, quoniam principium distinctiuum est de intrinseca ratione eius, quod distinguit. Si sic, ergo esse in alio, ita est de intrinseca ratione Quantitatis, quod per nullam potentiam ab illa separari potest, quod est falsum, vt patet de quantitate in Sacramento altaris.

6 Præterea. Si Prædicamenta distinguuntur per diuersos modos essendi, ergo sequitur quod Prędicamenta sint plura decem: sed hoc est falsum; ergo Prædicamenta non distinguuntur per diuersos modos essendi. Minor est manifesta ex assignata sufficientia. Consequentia probatur: Vnumquodque Prædicamentum habet duplex esse, nempè abstractum, & concretum: si quidem alius est modus essendi abstractorum, alius concretorum, vt humanitatis, & hominis, albedinis, & albi. Præterea alius est modus essendi actu, alius essendi potentia; alius essendi necessariò, alius contingẽter; & ita ex varijs modis essendi rerum, multa Prædicamenta constituuntur.

Aduersus Quintam.

1 Demonstratur quod Prędicamenta non distinguantur per diuersos modos essendi in, & prædicandi. De primis substantijs Auicennas, in libro 3. suæ Metaphysicæ inquit, quod si aliquod est genus, est inquantum prædicatur in quid de suis inferioribus; ergo Quãtitas, Qualitas, & reliqua Prædicamenta, sunt talia, quatenus de suis inferioribus prædicãtur; vt Quantitas de omnibus quantitatibus; & Qualitas de omnibus qualitatibus sub se positis: sed eadem sunt principia essendi, & distinguendi, ergo cum genera sint talia per prædicari in quid, de suis inferioribus: ita etiam per esse, in, & prædicari de suis inferioribus, distinguuntur. Non ergo per esse in, & prædicari de primis substantijs, vt dicebatur.

2 Præterea. Quod per se distinguit aliquid quatenus prædicabile, non distinguit vllum per se Prædicamentum vt Prædicamentum: sed modus prædicandi distinguit prædicabile, prout prædicabile, ergo per se non distinguit Prædicamentum. Minor est nota: modus n. prædicandi est proprius, & per se prædicabilis, vt prædicabilis, vnumquoque autem discriminatur per id, quod ei per se competit. Maior probatur: quia aliud est Prædicabile, aliud Prædicamentum: nam qualibet res, est aliquo modo prædicabilis, nõ autem qualibet res est Prædicamentum; cum Prædicamentum sit coordinatio multorũ prædicabilium, &c.

3 Præterea. Prædicamentum non est Prædicamentum, quia prædicetur de prima substantia; ergo neque per se dici debet distinctum Prædicamentum; quia distincto modo de ea prædicetur. Antecedens patet ex præmissa diffinitione Prædicamenti. Consecutio quoque est euidens: nam sicut homo non dicitur homo quia floreat, ita neque distinctus homo, quia distincto modo floreat. Atque hoc idem in cæteris cernere licet, semper enim totum in modo supponit totum simpliciter.

4 Præterea non sunt in primis Substantijs, neque de illis prædicantur, nisi in concreto: non .n. dicimus Socratem esse Quantitatem sed Quantum, neque esse albedinem, sed album: ergo Prædicamenta in concreto, vt Quātum, & non in abstracto, vt Quantitas erit Prædicamentum.

Aduersus sextam.

1 MAnifestatur quod Distinctio Prædicamentorū per diuersos modos prædicandi, non sit Logica. Aristoteles in lib. 5. Metaph. ex his diuersis modis prædicandi colligit distincta rerum genera: inquit .n. Secundum se ea omnia esse dicuntur quæ prædicationis figuras significant: sed absurdum est Aristotelem in principaliori scientia, qualis est Metaphysica, vti diuisione Logica, quæ est per intentiones, ergo non est dicēdum quod illa diuisio sit Logica.

2 Præterea. Quemadmodum visus non percipit per se nisi colorem, vel aliquid per attributionem ad colorem, ex eo quod color est formale obiectum visus: ita Logicus non considerat per se nisi secūdas intentiones, aut aliquid per attributionem ad ipsas, eo quod secunda intentio est formale obiectum Logicæ, iuxta illud Auicennæ; Logica est de secundis intentionibus adiunctis primis: sed Prædicamenta cum sint res, non distinguuntur per secundas intentiones; ergo distinguere Prædicamenta nullo modo ad Logicum spectat.

Aduersus septimam, & octauam.

1 PRobatur quod nulla Prędicamenta distinguantur ab inuicem realiter. Quæ sunt vnum, & idem subiecto, nō distinguuntur ab inuicem realiter. Sed omnia Prædicamenta sunt, vel esse possunt vnum subiecto; ergo non distinguuntur ab inuicem realiter. Minor sic probatur. Si in commendationem Aristotelis Prędicamentorum Authoris, dicatur hoc modo. Aristoteles maximus Philosophus, Peripateticorum Princeps, docens, fatigatus semper in scholis, sedet coronatus. tunc in eodem subiecto reperiūtur simul omnia Prædicamenta: nam per Aristotelem intelligitur Substantia, per maximum, Quantitas;

titas; per Philoſophum Qualitas; per Principem Relatio. per docens Actio, per fatigatus Paſſio, per ſemper, Quando; per in ſcholis. Vbi, per, ſedet Situs, per coronatus, Habitus. Ergo videtur, quod inter Prædicamenta nulla realis diſtinctio reperiatur.

SECTIO Quarta.

Diluuntur obiectiones aduerſus ſingulas Concluſiones propoſitæ. Solutio rationum aduerſus primam Concluſionem.

Prædicamenta ſecundũ formalẽ rationẽ sũt impermixta, non ſecundũ entitatem.

AD primam rationem aduerſus primam Concluſionem negatur Minor. & ad illius probationem respondetur, quod Prædicamenta eſſe omninò impermixta, duobus modis intelligitur, vno, ſecundum formalem rationem ipſorum, & ſic ſunt impermixta, eo quod ratio formalis vnius, puta actionis, nõ eſt ratio formalis alterius, puta paſſionis; altero modo ſecundum eſſentiam ſiue entitatem, & ſic aliqua eorum nõ ſunt impermixta: nam actio, & paſſio, ſunt vnamet res, eſtque ipſarum vnamet entitas.

Præterea cõtingit eamdem rem in diuerſis Prædicamentis reponi, vt ſcientia in Prædicamento Qualitatis, & Relationis: Secundum tamen rationem diuerſam: ſunt igitur Prædicamenta formaliter impermixta. Conſulæ Zunarã theoremate 30.

Ad Secundum, ſolutio eſt difficilis: quoniam alij aſſerũt omnia Prædicamenta, ſecluſo omni actu intellectus, eſſe ab inuicem diſtincta, non quidẽ realiter, ſicut argumentum cõtendit, ſed ex natura rei, alioquin non eſſent decem Prædicamenta in reali numero denario, ſi aliquorum diſtinctio ab operatione intellectus dependeret: nam certum eſt, motum alio modo eſſe in mouente, nempè, vt actum, quo mouens mouet: & alio in ipſa re quæ mouetur, vt actum ſcilicet, quo ipſa mouetur, & ſuperficiem concauam corporis continentis, aliter in locante, & aliter in locato eſſe, quã uis nullus intellectus vel motum, vel ſuperficiem apprehẽdat, vnde præciſa omni operatione intellectus, eadem res habere poteſt plures modos eſſendi. Ita ſentit Fonſeca, in libro 5. Metaph. cap. 7. quæſt. 3. ſect. 3.

Alij verò exiſtimant diſtinctionem quorumdam generũ ab operatione intellectus dependere, vt actionis, & paſſionis, & eorum omnium quę per diuerſas entitates non diſtinguuntur, eo quod vnius entis eſt tantum vnus modus eſſendi, ita Thomiſtæ ferè omnes dicunt, vt Herueus quolibetto 1. quæſt. 9 Iauellus, in libro 5. Metaph. quæſt. 16. Soncinas, q. 13. Ferrarienſis, in libro 3. Phyſic. quæſt. 5. & alij.

Alij penes doctrinam in notandis positam, in primis ad formam argumenti: negăt Minorem, videlicet, quod seclusa operatione intellectus, decem genera sint primò diuersa, neque Aristoteles in lib. 8. Metaph. hoc ipsum intelligit: sed solum ait, quæcunque non habent materiam intelligibilem, vt Mathematica, nec sensibilem, vt naturalia, cuiusmodi sunt substantiæ separatæ, statim vnumquodque eorum est vnum aliquid. Et de generibus subinfert: si aliquid sit quod sit forma tantum, statim est vnum, eo quod non est assignare aliquam causam, qua eorum singulum sit vnum. Sed in his verbis Aristoteles non affirmat quod essentialiter distinguantur: sed ait, quod non potest assignari aliqua causa, ob quam Actio sit vnum genus, & Passio sit vnum genus: tamen non valet, ergo Actio, & Passio distinguuntur realiter: stat enim quod à posteriori assignetur ratio, cur Actio sit Prædicamentum à Passione distinctum, scilicet ex diuerso modo essendi, qui modus essendi, non est actu distinctus, vt qui in Actione sit alius ab eo, qui in Passione est: sed tantum correspondenter, eo quod in ipsa re, verbi gratia in motu, est aliquod fundamentũ, quod sine actu intellectus correspondet Actioni, & Passioni; quod de pũcto. & de superficie quoque dictum est: tamen eorum rationes non sunt distinctæ, nisi per operationem intellectus comparantis ad diuersa.

Prædicamenta aliqua non distinguũtur sine actu intellectus.

1 Contra solutionem sic arguitur. Hæc propositio est falsa. Actio est Passio: ergo seclusa quacunque operatione intellectus ab inuicem distinguuntur. *Obiectio.*

2 Præterea, secluso omni actu itellectus, motus est Actio, & motus est Passio, ergo Actio & Passio, secluso omni actu intellectus ab inuicem distinguuntur. *Solutio.*

Ad primam harum obiectionum respondetur, quod illa propositio dupliciter considératur, vno modo identicè, & sic est verum quod Actio sit Passio, quia eadem res quæ est Actio, est Passio: alio modo formaliter, sic non est vera, quia propositio in sensu formali non solum denotat quod res significata per Prædicatum sit res significata per Subiectum, sed quod sint idem secundum eamdem rationem: sed Actio. & Passio non sunt idem secundum eãdem rationem, & propter hoc conceditur, quod sunt primò diuersa, & duo distincta generalissima: tamen non sunt duæ actu distinctæ entitates, quod esset necessariũ, ad hoc quod Prædicamenta sint primò diuersa essentialiter.

Ad secundum negatur Consequentia; non enim sequitur, Actio est, & Passio est seclusa operatione intellectus: ergo (hac ipsa seclusa) distinguuntur; enimuero secluso actu intellectus, motus est ab agente, & est in passio; tamen hæ rationes

Actio, & Passio qualiter distincta. tiones non sunt distinctæ nisi per operationem intellectus comparantis ad diuersa: & ideo sunt quidem relationes reales, sed sola ratione inter se, & à motu distinctæ. Et hæc dicitur ratio ratiocinata, propterea quod inuenit fundamentum distinctionis in re: quod sufficit vt seclusa operatione intellectus, hæc sit falsa: Actio est Passio, quia videlicet seclusa operatione intellectus, obiectiuè, & fundamentaliter est illic facere, & pati, quæ intellectus ratione distinguit. Consule de hac solutione Sotum in libro 3. Physicorum, quæstione prima, art. 2. & Card. Toletum, in quæst. 3. de Prædicamentis in communi.

Ad Tertiũ principale, conceditur quod Prædicamenta plus differunt inter se, sumendo differẽs pro esse diuersum, quàm cælum, & terra: sed differre capitur duobus modis: primo modo realiter, quo dicimus vnam rem ab altera esse diuersam: & hoc modo non omnia Prædicamenta differũt plus quã cælum, & terra, eo quod quædam illorum sunt vna entitas. Altero modo differre sumitur formaliter, eo supra dicto sensu, & hoc modo Prædicamenta plus differunt, quia distinguuntur ratione generica, in qua nullo modo conueniunt: vt cælum, & terra conueniunt in genere Substantiæ, de quibus Substantia in quid prædicatur.

Ad Quartum, Aliqui sic exponunt illam Maiorem, videlicet: Illa per quæ res diuersorum generum realiter distinguuntur: & ipsa inter se realiter, aut formaliter .i. ratione formali distinguuntur: modò non est necessarium quod omnia Prædicamenta realiter distinguantur, sed satis est, quod in ratione formali sint diuersa, quæ distinctio est maxima inter Prædicamenta: neque etiam est verum, quod res omnium Prædicamentorum realiter distinguantur, cum contingat eandem rem in diuersis Prædicamentis reponi, diuersa tamen ratione.

Ad Quintum, negatur Minor, si intelligatur quod Prædicamẽta sint decẽ realia, quo ad distinctas entitates: conceditur tamen quo ad distinctas eorum rationes formales, quarum fundamentum est in distinctis entibus realiter, vt sunt priora quattuor; aut in distinctis correspondenter: & sic sunt decem entis rationes distinctæ, & primò diuersæ, quia habent distinctas quidditatiuas rationes, ratione quarum nullum eorum de altero in sensu formali affirmatur.

Prædicamẽta quo modo decem. Alij hoc modo distinguũt Minorem, videlicet, quando dicitur quod sunt decem realia Prædicamenta: hæc propositio duplicem sensum habet: primus quod sint decem realia Prædicamenta, quia quodlibet Prædicamentum signatum est: & hic sensus est verus, quia quodlibet Prædi-

eamentum est res. Secundus sensus est, quod sint decem realia Prædicaméta, tanquam decem res, ita vt quodlibet signatum alteri comparatum sit res, & res distincta: & hic sensus est falsus, quia non sunt decem distinctę res, vt dictum est.

Ad Sextum conceditur Prędieamenta resultare ex distinctione entis: sed ens distingui in diuersa, entia intelligitur duobus modis, vel in diuersa entia actu distincta: & hoc non est verum, quia nō quodlibet Prædicamentum habet propriam entitatem actu distinctam ab entitate alterius Prædicamenti; nam Actio, & Passio sunt vna entitas. Altero modo quod sint distincta entia correspōdenter: & hoc sufficit ad Prædicamentorum distinctionem: nam talis modus correspōdendi habet fundamētum in re, vt dictum est.

Obiecta aduersus secundam Conclusionem soluuntur.

AD Primum quo obijcitur Prædicamenta sūpta pro rebus Prędicamentalibus, nō distingui seipsis, sed per oppositas differentias, negatur Minor: & ad authoritatem Auerrois respondetur, quod ille aliud non intendit, nisi qđ in ente sunt Prædicata essentialia, quamuis analogieè dicatur, id est secundum prius, & posterius. vnde hæc prædicatio est per se, Substantia est ens, Accidens est ens, quemadmodum in genere vniuoco sunt prædicata essentialia, & per se, vt si dicatur homo est Animal: tamen ex eo non intendit quod ens sit genus vniuocum ad decem genera. Consulatur eo in loco Auerroes.

Ad Secundum Sotus in Antepraedicamentis cap. 4. quæstione 1. art. 2. negat ad mentem S. Thomæ, ens prædicari quidditatiuè de contentis sub se, eo quod ens dicitur ab esse, quod in creatis à quidditate distinguitur. Alij verò ad mentem eiusdem Doctoris, affirmāt ens quidditatiuè prædicari de omnibus rebus, eo quod non esse tantùm, sed essentiam quoque significat; vnde hæc propositio est vera: essentia est ens Quamobrem minori concessa, negant maiorem, videlicet. Quidquid prædicatur quidditatiuè de multis, prædicatur de eis vniuocè: quia ad vniuocationē nō suffi cit quod prædicatum sit essentiale subiectis: sed quod illius ratio repręsentet æqualiter ea omnia de quibus dicitur, quod rationi ipsius entis non conuenit. Ita Paulus Soncinas, in lib. 4. Metaph. quæst. 4. ad quartum, & Flādrensis eodem libro, q. 2. art. 3. ad 12.

Solutio rationum aduersus tertiam Conclusionem.

AD Primum respondetur, quod modi prædicandi sunt duo in genere, nimirum, in Quid, & in Quale; sed plures *Modi prædicandi sunt duo in genere,*

res

& plures in ſpecie. res in ſpecie, ſicut etiam modi eſſendi ſunt duo in genere, & plures in ſpecie. Diſtinctio autem Prædicamentorum ſumitur ex modis eſſendi, & prædicandi pluribus in ſpecie, quorum quilibet eſt vnius rationis, ſicut ipſum Prædicamentum. Sed ſciendum eſt, quod prædicari in Quid, diſcriminat non parum à prædicari in Quale. Etenim prædicari in Quid, quia omnibus Subſtantijs competit vniuocè, hinc contingit, vt vnum tantùm Prædicamentum, ſcilicet Subſtantiæ, per ipſum cõſtituatur. Prędicari in Quale non conuenit vniuocè omnibus Accidentibus, ſed ſecundum aliam, & aliam rationem Quantitas .n. ſecundum aliam rationem dicitur de prima Subſtantia, ſcilicet, in Quale quantum, ſecundum aliã Qualitas, videlicet, in Quale ſimpliciter, ſecundum aliam Ad aliquid, nempè in Quale Ad aliquid, & ſic ſuo modo de reliquis intelligitur. Hinc fit, quod prædicari in Quale, non conſtituit vnum Prædicamentũ in genere, ſicut facit Quid, ſed in nouem modos prædicandi ſubdiuiditur, quorum quilibet eſt vnius rationis, ſicut ipſum Prædicamentum: vnde prædicari in Quale quãtum, conuenit vniuocè omnibus quantitatibus; in Quale ſimpliciter, omnibus qualitatibus; in quale Ad aliud, omnibus relationibus; & ita de alijs. Sed penes primum, & nõ penes ſecundum modum prædicandi de prima Subſtantia, Prædicamenta diſtinguuntur.

Prædicari in Quale, diuiditur in plures modos

Ad Secundum negatur conſequentia, quia Prædicamenta non diſtinguũtur per quoſuis modos prædicandi de prima Subſtantia, ſed per modos prædicandi de ea in concreto. non .n. dicimus, quod Socrates ſit Humanitas, aut Quãtitas, aut Qualitas, vel Paternitas, ſed quod eſt homo quãtus, ſapiens, pater; prędicatur tamen quolibet Prædicamentum abſtractè de ſuis inferioribus, vt ſi dicatur, quod Linea eſt Quantitas, Albedo Qualitas, Paternitas Relatio, & ita de alijs.

Ad Tertium reſpondetur, quod illi modi prædicandi sũt ab inuicem diſtincti; quia ſunt diuerſarum rationum; vnde modus quo Quantitas de prima Subſtantia prædicatur, eſt alterius rõnis ab illo quo de ea prędicatur Qualitas: ſed non ſequitur, quod omnia Prædicamenta ſint realiter diſtincta: quia vt dictum eſt, modi prædicandi fundantur in modis eſſendi, vel actu, vel fundamentaliter, & correſpõdenter diſtinctis.

Ad Quartum negatur Minor: quia Prædicamenta in hoc loco non ſumuntur pro rebus prædicamentalibus præciſè, ſed quatenus ſecundis intentionibus ſubſternuntur, quod eſt eſſe Prædicamentum ſiue generaliſſimum, & hoc modo per ſecundas intentiones diſtinguuntur. Vel dicitur, quod res diſtingui poſſunt

per

per intentiones secundas, non in esse reali, sed in esse intentionali; & ita distinguuntur sub intentione Prædicamenti.

Ad Quintum dicitur, quod diuisio in maiori propositione assignata, est insufficiens: quia neque præcisa distinctio secundum modos prædicandi absolutè sumptos sufficit: neque diuersitas rerum in quibus distincta Prædicamenta fundantur, est necessaria: sed requiritur distinctio secũdum modos prædicandi sumptos à modis essendi, qui modi, vel actu, vel correspondenter distinguantur. At quando subditur, hominem, & asinum magis distingui, quàm Prædicamenta, respondetur, hoc esse falsum: quia Prædicamenta in nulllo communi vniuoco conueniunt, homo verò, & asinus conueniunt in Animali, genere vniuoco. Vel dicitur, quod homo, & asinus magis distinguũtur distinctione reali, quo ad suppositum: sed Prædicamenta distinguuntur distinctione generica, quæ est maxima, cum negatio vnius Prædicamenti de altero, sit propositio immediata: homo verò, & asinus præter distinctionem suppositalem, habent etiam specificam; & in genere conueniunt. Consule Soncinatem ad quintum, & Iauellũ ad sextum, locis præassignatis.

Ad Sextum negatur Consequentia: quia esse significatum per copulam verbalem est ens rationis: sed esse in quo prædicatum fundatur, est ens reale, vel actu distinctum, vel saltem fundamentaliter; vnde fallacia non committitur.

Rationibus aduersus quartam Conclusionem occurritur.

QVæ verò aduersus quartam Conclusionem ferebantur rationes, sic soluũtur. *Principia Prædicamentorum qualiter eadem.*

Ad primũ, cũ dicitur, eadem esse omnium Prædicamentorum principia, vera est propositio secundum quamdam proportionem, eo quod in omni Prædicamento est aliquid simile materiç, & aliquid simile formæ, & aliquid simile priuationi. similiter propositio veritatem habet de principijs remotis, & fallit de proximis. Glossa est Auerrois in libro 12. Metaph. com. 22. nã principia proxima vniuscuiusque Prædicamenti, sunt diuersa à principijs proximis alterius; quantum teste Themistio, coordinationes Prædicamentorum sunt impermixtæ: & hæc principia remota dicuntur eadem; quia principia Substãtiæ, sunt omnium aliorum principia in genere causç materialis, vt Auerroes in lib. 1. Phys. Com. 36. dicere videtur, & ita hæc principia remota videntur alia, à modis essendi ipsorum Prædicamentorũ, quibus ipsa remotè distingui dictum est supra. De propositione consule Zimaram Theoremate 30. *Prædicamẽta sũt impermixta.*

Ad secundum negatur antecedens, nimirum, quod modi

di

di essendi suapte natura sint posteriores his entibus quorum sunt modi: sed ad intelligentiam solutionis, necessum est distinguere Prædicamenta in tres ordines, in Substantiam ex vna parte, in Quãtitatem, Qualitatem, & Ad aliquid, ex altera, in sex vltima pro reliquo ordine. Quo ad Substantiam, dicitur quod modus Substantiæ in communi sumptæ, est duplex: vnus quo ipsa inest suis inferioribus, & de quibus tanquam superius prędicatur: & hic modus essendi est ea posterior, iuxta illud dictum Aristotelis, in libro primo de anima, textu 8. Vniuersale aut nihil est, aut posterius est; & per hunc modum Substantia non distinguitur à reliquis Prædicamentis. Alter est, quem ipsa in primis Substantijs exercet; & esse ipsam Substantiam, nõ esse in alio; per quem modum ab alijs Prædicamentis distinguitur; & hic modus non est ipsa Substantia posterior, sed est illius natura, & non nisi ratione ab ea distinguitur, vt S. Thom. in Tractatu primo, de Prædicamentis, capite primo scribit, & hic modus intelligitur prior natura ipsa Substantia.

Modi essendi quo modo sũt posteriores entib. quorum sunt modi.

Quo ad tria priora Prædicamenta, quæ Substantiam intrinsecus denominant, similiter habent duplex esse, vnum quo insunt suis inferioribus, & de quibus in Quid Prædicantur, cum sint genera; & hic modus est posterior ipsis entibus. Alter est esse in alio: nam vt S. Thomas per pulchrè ibi scribit, primi modi, quibus Ens contrahitur, sunt esse per se, & esse in alio; & hic modus nõ est posterior ipsis entibus, sed secundum intellectum dicitur prior, & hic modus non distinguitur ab ipsorum naturis. Hinc S. Thomas inquit, quod Ens contrahitur per modos, non quod modus sit aliqua differentia ipsum contrahens: sed quia in ente reali cõmuniter sumpto inueniuntur aliqua entia habentia inter se diuersos modos essendi, quibus non respondet vna & eadem res, nisi fortè ipsum ens in vniuersali. Consule S. Thomã ibi.

Quo autẽ ad sex vltima Prædicamentorum genera, pariter est negandum quod modi, quibus ab inuicem, & à reliquis distinguuntur, sint illis posteriores, quamuis fortè sint posteriores illorum entitatibus absolutè sumptis: illi tamẽ modi essendi, qui sint, & quatenus distinguunt, vllo pacto sunt posteriores.

Ad Tertium negatur Minor, & ad illius probationem rursus negatur Minor; eo quòd tales modi essendi sunt idem cum suis entibus, respectu quorum ita se habẽt, ac si propriè cõstitutiua, & distinctiua principia essent. Vnde quidam dicunt, quod formaliter distinguunt, & virtualiter constituunt.

Ad Quartum iam dictũ est, quod modi essendi sunt duo in genere, & plures in specie. Sic

Modi essendi, & prædican

di sũt duo in genere & plures in specie. Sic modi prædicandi sunt duo in genere, & plures in specie. Vide solutionem ad primum contra tertiam Conclusionē; & quia illi modi essendi, quibus Prædicamenta distinguuntur, sumũtur per comparationem ad primas Substantias, cui diuerso modo insunt, ideo hi modi essēdi sunt plures specie, & ab inuicē actu vel correspondenter distincti.

Ad Quintum respondetur, quod modus essendi est de essentia eorum, quorum est modus: vnde modus essendi per se, est de essentia Substantiæ, & modus essendi in alio, est de essentia Accidentis. Hinc in libro 7. Metaph. textu 2 dicitur, Accidentis esse est inesse, & quando subiungitur, ergo esse in alio per nullam potentiam separari potest à Quantitate, quod est falsum. Respõdetur, quod Accidentis inhærentia est duplex, vna actualis, & hęc non est de conceptu quidditatiuo accidentis, alioquin per vllam potentiam posset ab eo separari, quod est falsum, cum diuina virtute detur accidens suo subiecto actu non inhærens, vt patet de quantitate in Sacramento altaris Altera aptitudinalis, & hæc est de conceptu quidditatiuo accidentis, atque ab illo omnino inseparabilis, quia accidenti quatenus accidens, semper debetur esse ĩ alio. Vnde Auerroes in libro destructionum, Disputatione sexta, ad sextum, inquit, radix namque accidentium est, quod ab alijs habeāt *Esse accidentis in alio, non actu, sed aptitudine est de illius qdditate.* sustentationem, & quidditatem. Ita sentit S Thomas in libro 4. Sent. Dist. 12. quæst. 1. artic. 1. & 3. p. quæst. 77. art. 1. Capreolus in 4. Herueus quolib. 4. quæst 9. Caietanus in tractatu de Ente, quæst. 15. Flandrensis in lib. 5. Metaph. quæst. 7 art. 3. ad quintum. Ferrariēsis in Com. super 4. librũ contra Gentiles, cap. 65. Sotus in 4. Sent. dist. 11. quæst. 1. ar. 1. Ioannes Gandauensis in lib. 7. Metaph. quæst 1. Iauellus ibidem, quæst. 1. non sum tamen oblitus Paulum Soncinatem in lib. 7. Metaph. quæst. 1. & Marcum Zimaram in Theoremate 2. ac alios oppositũ sentire: sed huius rei discussio alio loco remanet à nobis explananda: nunc sit satis penes Thomistarum claram doctrinam argumentum soluisse.

Ad Sextum negatur consequentia; & ad illius probationem, respondetur quod Prædicamenta non distinguuntur per quoscumque modos essendi in primis Substantijs: sed p eos tantum, qui certam aliquā vniuocamque entis rationem secum ferunt: cuiusmodi est modus essendi essentialiter in primis Substantijs; itemq; modus essendi in illis, vel ratione materiæ, vt Quantitas; vel ratione formæ, vt Qualitas; vel in ordine Ad aliud, vt Relatio; & penes alios modos assignatos in sufficientia Prædicamentorum, ex S. Thoma collecta. Hinc dicitur, quod modi essendi concretè, & abstractè, actu, & potentia, necessariò, *Prædicamēta per quos modos essendi in primis Substantijs distinguũtur.*

riò, & contingenter non distinguunt Prædicamenta, eo quia certam entis rationem secum non afferunt, cum in diuersis rerum generibus reperiantur, ex Fonseca, in lib. 5. c. 7. quæst. 3. sect. 3. ad tertium.

Secundò respondetur, negando quod accidens abstractum, & concretum habeant diuersos modos essendi in Substantijs: est enim vtrinsque vnus, & idem modus essendi, scilicet esse in; sed duo modi intelligendi: vnde modus essendi accidentis abstractè, & concretè non distinguūtur ex parte rei, sed ex parte solius intellectus, ex Caietano in tractatu de ente, capite septimo, particula octaua.

Ad obiectiones contra quintam Conclusionem respondetur.

AD primam qua dicebatur Prædicamenta esse Prædicamenta, quatenus de suis inferioribus, prædicātur, & non quatenus de Substantia: est communis omnium solutio, quod in quolibet Prædicamento attēdenda sunt duo: vnum, est modus prædicandi de prima substantia, alterum est modus prædicandi de suis inferioribus, v. g. Qualitas, quæ est vnum Prædicamentū, habet hęc duo, Primò prędicatur de Socrate, vt si dicatur; Sapiens secundò dicitur de suis iferioribus, vt si dicatur, Habitus est Qualitas, Naturalis potentia est Qualitas, Color est Qualitas. A priori modo sumitur ratio distinctionis Prædicamenti; etenim si Quantitas non prædicaretur de prima Substantia diuerso modo à Qualitate, tunc ratio assignari nequaquam posset, cur sint distincta Prædicamenta. Ab altero autem modo sumitur ipsum Prædicamentum intrinsecè, quia nisi in vno quoque eorum assignaretur generalissimum, subalternum, & specialissimum; non esset Prædicamentum.

Prædicamenta qualiter sunt talia per cōparationē ad Substantiam, & ad eorum inferiora.

Ex hac solutione colligitur vnum scitu dignum, nempè non esse necessarium vt Prædicamenta eo modo sint Prædicamenta, quo de prima Substantia prædicantur: est enim Prædicamentum seu generalissimum quatenus sub se continet inferiora, de quibus in Quid prædicatur: sed non cognosceretur quod vnum sit ab altero distinctum Prædicamentum, seu generalissimum, nisi diuerso modo vnum ab altero de prima Substantia prædicaretur. Hinc Alexander dixit quod nouem Prædicamenta dicuntur prædicata per se, & per accidens: prędicata per se, respectu suorum inferiorū, de quib. prædicātur in Quid; prædicata per accidens respectu primæ Substantiæ, de qua nouem figuris prædicantur. Igitur Prædicamenta cognoscuntur distincta per diuersos modos prædicandi de prima Substantia.

Nouē genera sunt prædicata per se, & per accidens.

Ad Secundum respondetur Primo ad Maiorē, quod si modus prædicandi non faciat vnum

Modus prædicādi facit

Cognosci vnũ Prædicamentum ab alio distinctum.

num Prædicamentum simpliciter ab altero distinctum, facit tamen ipsum cognosci distinctum Prædicamẽtum, quapropter diuersitas modorum prædicandi, est quoddam signum, quo vnum Prædicamentum ab altero distinctum cognoscitur. Deinde ad minorem dicitur, quod Prædicamentum non excluditur à ratione prædicabilis, siue respectu Substantiæ de quà nouem genera denominatiuè prædicantur, siue respectu inferiorũ de quibus prædicantur in Quid. Verumtamen, ob coordinationem in vnoquoque ipsorum contentam, communi nomine Prædicamentum appellatur.

Alij sic respondent, quod si Prædicamentum vt sic, non significet nisi ordinem superioris ad inferiora: nihilominus cum hoc stat, quod ipsorum vnumquodque dicit modum fluentem ab ipso; & modum fluentem ab ordine illius; exempli causa: Substantia dicit modum fluentem ab ipsa respectu primarum Substãtiarum, & modum fluentem ab ordine illius, respectu suorum inferiorum. Sic Prædicamentum Quantitatis dicit modum fluentem à Quantitate respectu primæ Substantiæ, de qua denominatiuè prædicatur; & modum fluentem ab ordine illius respectu inferiorum. Penes primum modum habet quod distinctum Prædicamentum cognoscatur; penes secundum, quod sit Prædicamẽtum: Et ita de alijs dicitur.

Ad Tertium negatur consequentia, quia vt dictum est, ex diuersis modis prædicandi, de prima Substantia cognoscitur quod sint distincta Prædicamenta. Et ad illius probationem respondetur, quod si florere esset commune omnibus hominibus, tunc vnus homo florens vt sic, non cognosceretur distinctè ab altero homine florente vt sic, nisi vterque distincto modo floreret. Nunc quia prædicari de prima Substantia, est commune omnibus Prædicamentis, non cognosceretur vnum ab altero distinctum, nisi hoc ab illo de prima substantia diuerso modo prædicaretur.

Abstractum, & cõcretum habẽt vnum modum essendi in.

Ad Quartum dictum est, quod abstractum, & concretum, cum habeant vnum modum essendi in, & solo intellectu distinctum, non diuersificant Prædicamentum: sed quia Accidens non prædicatur formaliter de Subiecto cui inest, nisi in concreto, dicendo: Socrates est albus, & de suis inferioribus in abstracto, vt si dicatur: Nigredo est color, vel Qualitas, ideo communi nomine Prędicamentum vocatur.

Soluuntur Rationes aduersus sextam Conclusionem.

QVando dicitur absurdũ esse, quod Aristoteles in reali, & principali scientia, qualem omnes fatentur esse Metaphysicam, vtatur Logica

ca diuisione. Respondetur, nullum absurdum inde oriri, quoniam Philosophus in eo loco indagat Entis diuisionem à posteriori: vnde dicere Ens diuidi secundum figuras prædicationis, non est aliud, nisi à posteriori, idest secundum nostrum modum cognoscendi assignare Entis diuisionem. Nos autem à diuersis modis prædicandi de prima Substantia, vnius ab altero distinctionem cognoscimus.

Ad Secundum iam in vna Conclusione dicitur, quod Prædicamenta in præsenti nō sumuntur vt res præcisè, sed quatenus Prædicamentali intentioni subijciuntur; & ita secundæ intentiones per secundas intentiones, scilicet, per modos prędicandi distinguuntur, penes quam considerationem ad Logicum spectant.

Obiectio. Contra, Prędicamenta sunt entia extra animam, cum Aristoteles in libro 5. Metaph. diuidat Ens extra animam: ergo habent esse reale: & ita nō ad Logicum, qui est artifex rationalis, sed ad Metaphysicum spectabit eorum diuisio.

Solutio. Respondetur huic obiectioni, quod Prædicamenta duobus modis considerantur: Primò, vt sunt partes Entis; Secundò, vt habent rationem prædicandi. Primo modo spectant ad Metaphysicum, & secundo ad Logicum attinent.

Obiectio. Contra solutionem arguitur sic: Habitus, & actus distinguuntur per obiecta, vt in libro 2. de anima dicitur. Ergò, si Prædicamenta à Metaphysico, & à Logico considerantur, cum vtriusque sit idem obiectum, videtur quod hi duo artifices quo ad hanc partem, non distinguantur; quod est falsum: quia Metaphysicus est artifex realis, & Logicus rationalis.

Solutio. Dicitur, quod obiecta duobus modis considerantur: Primò materialiter, & sic eadem res diuersarum scientiarum considerationem subit: nam vt in libro 2. Physici auditus Aristoteles dicit, naturalis, & geometra lineam contemplantur. Alio modo formaliter, & sic res eadem diuersarum sciētiarum considerationi nō subijcitur: nam Geometra speculatur lineam prout est quædā longitudo, naturalis autem eamdem contemplatur, quatenus est Physici corporis terminus. Ita prædicamenta sub diuersa formali consideratione à Metaphysico, & à Logico considerantur; à Metaphyco quatenus sunt partes entis, à Logico prout habent rationem prædicandi. Aristoteles intelligit quod habitus per obiecta formaliter considerata distinguuntur. *Res eadē à diuersis sciētis considerari potest.*

Argumenta aduersus septimam, & octauam Conclusionem diluuntur.

AD ea tandem, quę aduersus septimam, & octauam Conclusionem obijciebātur, respondetur vna & eadem solutione; Quod si omnia Prædica-

Prædicamenta diuerso modo insunt & prædicãtur de 1. Substãtia.

dicamenta simul insint, atque de vna prima Substantia prædicentur: nihil tamen obest, quin diuersum modum essendi in, & prædicandi de ea vnumquodq; ipsorum habeat: dum quædam consequuntur materiam, vt Quantitas, quædam formã, vt Qualitas, quædam in ordine Ad aliud; vt Relatio; & hæc tria à Substantia, & ab inuicem essentialiter distinguuntur. Cætera autem Prædicãtur de prima Substantia extrinsecus, atque inter se formaliter distinguuntur, penes diuersum modum essendi in, & prædicandi, quem habent de primis Substantijs. Et si eorum aliqua à primis quattuor secundum essentiam non distinguantur, tamen iuxta doctrinam traditam, & bene intellectam, in tota hac disputatione, ab eisdem formaliter distinguuntur, & hæc dicta sufficiant.

DISPVTATIO Octaua.

An Actio, & Passio sint distincta Prædicamenta.

SECTIO Prima.

Actio & Passio apud Scotum realiter distinguuntur.

QVod Actio & Passio sint duo distincta Prædicamenta, inter Aristotelis Interpretes nemo est qui dubitet. Tota tamen difficultas in eo consistit, quomodo distinguãtur, realiter, an formaliter. In quo quidem modo ipsi expositores haud modicum ab inuicem dissentiunt, etsi ex hisquę in superiori Disputatione diximus, & in sequenti dicturi sumus, facile colligatur, Actionem & Passionem, non solum esse distincta Prædicamenta, sed etiam qualiter ab inuicem distinguantur, tamen ad completiorem doctrinam, hoc in loco paucis verbis explanabimus.

Scotus in libro 4. Sent. dist. 13. quæst. 1. & in quol. 11. cuius doctrinam omnes illius Discipuli sequuntur, ac speciatim Antonius Andreas, in libro 9. Metaph. quæst. 4. ac tandem vel solus inter Thomistas Dominicus Flandrensis in lib. 5. Metaph. quæst. 22. art. 3. totis viribus defẽdit. Duo dicit, vnum quod Actio subiectiuè est in agente: ex quo asserto sequitur aliud necessario, nimirum, quod Actio & Passio realiter distinguantur, ita, vt vnius essentia non sit alterius essentia, sed sint duæ distinctæ essentiæ. Nos autem in præsenti primum Scoti assertum, scilicet, an Actio sit in agente, alibi discutiẽdum relinquentes, circa secundum demorabimur.

Opinio Scoti de distinctione Actionis et Passionis.

Verumtamen vt Scoti positio percipiatur, sciendũ quod apud ipsum duplex est respectus, vnus quem ipse vocat intrin-

Respectus duplex apud Scot.

trinsecus aduenientem ; alter, quem extrinsecus accedentem appellat. Prior est ille, qui positis extremis necessario ponitur, vt Paternitas, quę posito patre, & filio necessariò consequitur; & hic respectus est de genere Relationis. Posterior verò est ille, qui nō ponitur positis extremis, sed quidpiam aliud requiritur, v. g. posito igne, & combustibili, non statim sequitur relatio ad patiens, nisi inter ea fiat approximatio. Similiter posito hom ne, & veste, non illico cōsurgit respectus ipsius habitus, nisi vnius ad alterum fiat applicatio.

Actio duplex apud Scotum.

Secūdò, distinguit de Actione, dicens, quod Actio est duplex, vna quæ nihil aliud est, nisi quidā respectus quo agens refertur ad patiens, & est respectus extrinsecus adueniēs, & hæc est actio Prædicamentalis: alia est actio, quæ dicitur actio, acta, & hæc est idem cum passione, & est effectus primæ actionis.

Tertiò dicit, quod prima actio, quæ est Prædicamentalis, est in ipso agente: actio quæ est acta, est in ipso patiēte: & quando Aristoteles in libro 3. Physicorum, asserit Actionem, & Passionem esse vnum motū, loquitur de actione acta, & non de illa quæ est respectus. His positis, tunc ex Scotistica schola multis rationibus probatur, Actionem à Passione realiter esse distinctam.

1 Actio subiectiuè est in agente, & Passio in patiente, ergo non sunt vna res. Consequentia ex eo manifestatur, quod sit impossibile vnum numero accidens in diuersis subiectis reperiri. Antecedens multis modis manifestatur: tùm Primò, quia vnumquodque denominatur formaliter tale, ab eo quod subiectiuè, & intrinsecè est in ipso, vt corpus ab albedine quæ est in ipso, denominatur album. Tùm Secundò, quia perfectio est in eo cuius est perfectio, ergo cum actio sit agentis perfectio, erit in ipso. Tùm Tertiò, quia Aristoteles in libro de Somno, & Vigilia inquit: Cuius est potentia, eius est actio; igitur, cum potentia actiua sit subiectiuè in agente, in eo etiam erit actio, ergo Actio, & Passio realiter distinguuntur.

2 Præterea, Si Actio, & Passio sunt vnamet res, quæritur, quomodo sint duo distincta Prædicamēta. Si dicatur, quod ratione distinguuntur. Contra; Seclusa quacunque operatione intellectus, motus est actio, & motus est passio, ergo Actio, & Passio seclusa operatione intellectus distinguūtur.

3 Præterea, Quæcumque sūt vnum subiecto, & duo quidditate, non sunt idem realiter, quia distinctę quidditates realem distinctionem arguunt: sed Actio, & Passio secundum Auerroem in lib. 3. Physicorū Com. 21. sunt vnum subiecto, & duo quidditate, ergo Actio, & Passio distinguuntur realiter.

4 Præterea, Ea omnia quæ differunt genere, differunt numero, ficut in lib. 5. Metaph. textu 12 fcribitur; fed Actio, & Paffio differunt genere, ergo differunt numero, ac proinde non funt idem realiter. Minor probatur ex eo, quod diftincta Prædicamenta conftituunt.

5 Præterea, Si Actio, & Paffio funt vnus motus, tunc quattuor inconuenientia fequerentur. Primum; Idem motus erit actus duorum, cum Actio fit actus agentis, & Paffio patientis; Secundum hæc, prædicatio erit vera, actio eft paffio, cum fint realiter idem. Tertium, Si Actio eft Paffio, ergo agere eft pati, & docere eft doceri. Quartum, Si agere eft pati, ergo omnis docens adifcit.

6 Præterea, Quæcumque vni, & eidem funt eadem, inter fe funt eadem; fed Actio, & Paffio per alteram pofitionem funt idem motui, ergo funt idem inter fe, ergo verum erit dicere, Actionem effe Paffionem, & ita non erunt duo diftincta Prædicamenta.

7 Præterea. Si Actio, & Paffio nõ diftinguuntur realiter, ergo fequitur, quod duo contradictoria fint fimul vera, fed confequens eft impoffibile, ergò, &c. Confequentia probatur. Hæc propofitio eft vera, Actio eft Paffio, quia realiter non diftinguuntur: & illius cõtradictoria quę eft hęc: Nulla Actio eft Paffio, eft vera: quia eft propofitio immediata, igitur concludere oporret, Actionem, & Paffionem ab inuicem realiter diftingui.

SECTIO

Secunda.

Actionem, & Paffionem realiter non diftingui, explanatur.

DE Relationibus extrinfecus aduenientibus, quas Scotus adinuenit, & inter eas Actionem, & Paffionem affignat, non eft noftræ intentionis nunc differere, fed in fequenti Difputatione demonftrabitur, huiufmodi Relationes in doctrina Ariftotelica non reperiri. Similiter an Actio fit in agente, vel in patiente, modo non difcutietur, fed quod ab inuicem realiter non diftinguantur ex Peripatetica officina aperietur. *Altera opinio de Actione, & Paffione.*

1 Quod autem Actio, & Paffio fint vnus, & idem motus, manifeftatur primò ex verbis Philofophi, in libro 3. Phyfici auditus, textu 18. vbi ait: Idem eft actus motiui, & mobilis: fed Actio eft actus motiui, & Paffio eft actus mobilis, vt habetur in textu 19. ergo Actio, & Paffio funt vnus actus. Imo in textu 22. concludit, fola ratione diftingui.

2 Præterea. Idem Philofophus in textu 20. eiufdem 3. libri, refpondens cuidam inconuenienti propofito, inquit, nullum inconueniens effe, fi idem

idem actus sit duorum, nempè, agentis, & patientis: nam agentis est tanquam à quo, patientis tanquam in quo; sicut doctio, est actus docentis; verum nõ est inquit, decisus, sed est in ipso docente; ergo doctio cum sit actus à docente procedens, & in patiente recepta, sequitur quod actio, & passio sint realiter vnamet res.

3 Præterea. In libro 9. Metaph. textu 16. Aristoteles habet hęc verba. Quorumcunque præter actionem est aliud quod fit, horum actio in eo est quod fit, vt ædificatio in eo quod ædificatur, & contextio in eo quod contexitur; similiter etiam de alijs, & omninò motus in mobili.

4 Confirmatur ab eodẽ Aristotele, in libro 2. de Anima textu 139. vbi ita scribit. Si igitur motus est Actio & Passio, & est in eo quod mouetur, & patitur, actiui enim & motiui actus in patiente fit, vnde non est necesse mouens moueri. Et in sequenti textu ait: Sicut .n. Actio & Passio in patiẽte est, non in agente, sic & ipsius sensibilis actus in ipso sensitiuo existit. Igitur ex his authoritatibus liquidò patet, Actionẽ in solo patiente esse, & cum Passione eamdem rem.

Euasio. Respondet Scotus, illiusque asseclæ, quod duplex est Actio: quædam, quæ non est aliud nisi quidã respectus, quo agens refertur ad patiens, & est respectus extrinsecus adueniens; & hæc est Actio Prædicamentalis, quæ in agente reperitur.

Alia est Actio acta, quę reperitur in patiente, & hæc est vnus actus, & vnamet res cum Passione, & de hac Actione acta Aristoteles loquitur quãdo dicit, quod Actio & Passio sunt vnus motus.

Contra hanc responsionem arguitur, & probatur, quod quãdo Aristoteles dicit Actionem & Passionem esse vnum motum, non loquatur de Actione acta, sed de actione Prędicamentali. Supponatur in præsenti Diffinitio Actionis Prædicamentalis, posita ab Authore Sex Principiorum, scilicet, Actio est secundum quam in id quod subijcitur, agere dicimur; vt secans quis, in eo quod secat, secans dicitur. *Impugnatio*. Ex hac diffinitione habetur id, quo aliquis denominatur agens, esse Actionem Prædicamentalem: tunc ex processu Philosophi arguitur, quod intendit Actionem Prædicamentalem esse illum actum qui est motus.

Etenim, volens ostendere, quomodo sit idem actus motiui & mobilis; Primò ostendit, quod est aliquis actus motiui, & aliquis actus mobilis, hac ratione: Motiuum est aliquando mouens in potentia, aliquando in actu: ergò, oportet esse quemdam actum motiui, quo sit actu mouens.

Secundò ostendit, quod ille actus motiui & mobilis sit vnus, sic. Ille actus quo mouens dicitur actu mouere, est Actio

Prædicamentalis, tum per suppositum factum, tum per Scoti sententiam: sed Aristoteles dicit illum actum quo mouēs actu mouet, esse eumdem actū cum actu mobilis, qui est motus, ergò intendit, quod Actio Prædicamentalis est vnus & idem motus cum Passione.

2 Præterea. Aristoteles dubitans de illo actu quomodo sit vnus cum actu mobilis, concludit in textu 22. esse vnum motum, ratione tamen diuersum: ergò, non de Actione acta, sed de Prædicamentali loquitur, quando dicit Actionē & Passionem esse vnum motū. Hanc eamdem intelligentiam verborum Aristotelis habent omnes illius Interpretes Græci & Latini, atque vnanimes, (Scotistica schola excepta) concludunt, Actionem & Passionem esse reipsa vnum motum, solaque ratione ab inuicem distingui.

SECTIO

Tertia.

Solutio rationum pro sententia Scoti.

AD primum, negatur Antecedens, quo ad illam partem scilicet, quod Actio sit in agente, & ad illam respōdetur, quod denominatio fit duobus modis, vno modo ab intrinseco, vt Socrates dicitur albus ab albedine, quæ subiectiuè ipsi inest. Altero modo ab extrinseco, vt esse vestitum, à veste, quæ non inest, sed adiacet circa hominem vestitum. Sic agens denominatur ab actione non quia sit in ipso, sed quia sit ab ipso. Vnde Aristoteles in textu 22. ostēdens quomodo vnus actus sit idem, & quomodo non, ait: nam huius in hoc, & huius ab hoc actum esse, ratione diuersum est.

Altero modo denominatur ab extrinseca denominatione.

Ad aliud respondetur, Actionem non esse intrinsecam perfectionem agentis, sed esse quid extrinsecum, extrinsecè ipsum denominans, atque ad instar formæ se habens. Et satis est in agente esse actiuam virtutem, à qua actio originatur.

Ad aliud dicitur, quod sensus illius propositionis: Cuius est potentia, eius est actus, nō est hic, videlicet, vt in quo est potentia, in eodem subiectiuè sit actus; sed hic est sensus, vt cui conuenit posse agere, eidem conuenit agere: non .n. est alia res quæ potest agere, & alia quæ agit, sed eadem.

Cuius est potentia eius est actus quo modo intelligatur

Ad Secūdum respondetur, quod Actio, & Passio distinguūtur ratione; & ad formam argumenti negatur consequētia: non .n. sequitur, seclusa operatione intellectus, Actio est, & Passio est; ergò, Actio, & Passio distinguuntur seclusa operatione intellectus. Enimuerò, seclusa operatione intellectus, motus est ab agente, & est in passo: non tamen istæ rationes sunt distinctæ, nisi per comparationem intelle-

tellectus comparantis ad diuersa: & ideo sunt quidem relationes reales, sed sola ratione inter se, & à motu distinctæ. Et hęc dicitur ratio ratiocinata, propterea, quod inuenitur fundamentum distinctionis in re; & hoc sufficit, vt seclusa operatione intellectus, hæc propositio sit falsa: Actio est Passio; quia scilicet, seclusa operatione intellectus, obiectiuè, & fundamentaliter est illic agere, & pati. Vide Sotum in libro 3. Physicorum, quæst. 1. art. 2.

Alij respondent, quod aliqua distingui realiter contingit duobus modis, aut re existentiæ, aut re Prædicamenti; Ea realiter distinguuntur re existentiæ, quęcunque separatim existere, non implicat cōtradictionem, vt album, & dulce. Ea distinguuntur realiter re Prædicamenti, quæ ponuntur in diuersis Prædicamentis, vt risibile, & homo. Vel sunt diuersa Prædicamenta: modo Actio, & Passio distinguuntur realiter re Prædicamenti, quia sunt diuersa Prędicamenta, non autem realiter re existentiæ, quia sunt vnus motus. ex Nipho in lib. 3. Physicorum, in quæstione de Actione, & Passione.

Actio, & Passio nō distinguūtur re existentia, se dc re Prædicamenti.

Quidditas sumitur duob. modis.

Ad Tertium negatur Maior, simulque respondetur, quod Quidditas duobus modis sumitur; Vno pro essentia, siue entitate rei; Altero pro diffinitione; tunc dicitur, quod quando aliqua sunt vnum Subiecto, & duo Quidditate, idest Essentia & Entitate, vt albedo, & dulcedo in lacte, realiter distinguuntur. Deinde, negatur Minor, videlicet, quod Actio, & Passio sint duo quidditate .i. essentia, & entitate. Ad authoritatem Auerrois respondetur, quod ipse pro Quidditate non intelligit essētiam, sed rationem formalem, siue diffinitionem. Ponantur verba Auerrois, quæ sunt hæc. Vniuersaliter Actio, & Passio significant idem, non sicut tunica, & vestis significant idem secundum quidditatem : sed intelligimus, & dicimus, quod Actio, & Passio sunt idem secundum Subiectum, & duo secundum Diffinitionem.

Ad Quartū negatur Maior, accipiendo per differentiā numeralem, differentiam qua aliquæ res sunt totaliter diuersæ; si autem dicantur differre numero, quia important diuersas res in obliquo, sic conceditur Maior, sed non sequitur, quin Actio, & Passio dicant eundem motum. Secundò respondetur, quod licet ea quæ differunt genere, differāt numero illius generis, non tamen oportet quod differant numero simpliciter, quia eadem res potest esse in diuersis generalibus. Tertio dicitur, quod Maior est vera, quando ea quæ differunt genere, sunt distinctæ entitates: modo, Actio, & Passio sunt distincta genera quo ad formalem rationem, non quo ad entitatē: quia sunt vna entitas, & vna met res.

Actus idē quomodo sit duorū.

Ad Quintum quod quattuor inconuenientia inferebat ad primam dicitur, nullum esse inconueniens, quod idem actus secundum diuersam rationem formalem sit duorum nam idem motus vt est ab hoc est agentis, vt autem in hoc, est ipsius patientis. Esse huius ab hoc, & huius in hoc, diuersam rationem formalem constituit. Similiter ad secundum dicitur, quod si Actio, & Passio essent idem secundū rationes formales, sequeretur quod agere esset pati, & docens disceret, & Actio esset Passio. Sed quia eorum rationes formales, siue diffinitiones sunt distinctæ, ideo nullum inconuenientium sequitur: Tamen hæc propositio est vera; illa res quæ est Actio, est illa met res quæ est Passio, quia secundum rem sunt vnus, & idem motus.

Quæ sunt eadem vni tertio, quomodo inter se sint idē.

Ad Sextum Respondetur, quod illa Maior habet veritatem in his quæ sunt idem alicui tertio, re, & ratione: non autem si sint idem solum secundum rem, distincta autem secundum rationem, sicut est de Actione, & Passione respectu motus. Secundo respondetur, quod illa Maior propositio sic potest exponi, quæcunque vni, & eidem sunt eadem, inter se sunt eadem, vel saltem id, quod est eidem vni illorum, est reliquum: vnde nō sequitur, quod Actio sit Passio, sed quod aliquid idem Actioni est Passio: motus enim qui est idem Actioni, est etiam Passio. Tertiò dicitur, quod illa propositio sic intelligitur, Quæcunque vni, & eidem sūt eadem, inter se sunt eadem, quantum ad illud, in quo sunt eadem illi tertio. Vnde, cum Actio, & Passio sint idem motui, quantum ad suum materiale, sequitur, quod Actio, & Passio sint idem inter se, quantum ad id, quod est materiale in Actione, & Passione. Vnde illa propositio, Actio est Passio, non est formaliter vera.

Ad Septimum negatur Consequentia. Quia hæc propositio: Actio est Passio, est vera identicè, quia eadem res quæ est Actio, est Passio. & Illa: Nulla Actio est Passio, est vera formaliter, eo quod ratio formalis vnius, distinguitur à formali ratione alterius, vt dictum est.

SECTIO

Quarta.

Conclusiones ad resolutionem principalis quæsiti explanantur.

Actio, & Passio sumitur multis modis.

Actio trib. modis sumitur. Primo amplissimè, pro omni Actione siue immanente siue transeunte; siue Physica, siue non: & sic nomen Actionis competit Naturæ, Animæ, Menti, Intelligentijs, & Deo. Secundo strictissimè, pro Actione tantum, quæ fit secundum qualitates, quæ dicitur Altera-

Alteratio: etenim inter Accidentia sola Qualitas propriè est actiua: quo modo Aristoteles in libro 1. de Generatione, textu 45. sumit nomen Actionis, cum scribit Motum latius patere, quàm Actionē, quoniam Actio dicitur tantummodo de Alteratione, quę fit in Qualitatibus, Motus verò de hoc, & de alijs motibus. Tertio, sumitur Actio ea ratione qua reciprocatur cū motu Physico, seu vt alij dicunt, quę verè est cum motu Physico, & cum transmutatione subiecti: & hoc tertio modo sumitur in præsenti disputatione. Similiter, Passio quamuis multis modis sumi possit, in præsenti tamen sumitur vt causatur, & infertur ex Actione fluenti ab agēte; & ab Authore Sex Principiorum sic diffiniuntur.

Actionis, & Passionis diffinitio.

Actio est secundum quam, in id, quod subijcitur agere dicitur .i. Actio est quædam forma accidentalis, secundum quam denominatur agere in subiectam materiam.

Passio est effectus illatioque Actionis, secūdum quam hæc patiuntur. His dictis.

CONCLVSIO I.

Sit prima Conclusio. Actio, & Passio Physica, sunt idē realiter, & sola formali ratione ab inuicem distinguuntur. Quæ Conclusio est satis manifesta ex authoritatibus Aristotelis supra positis, & ex solutionibus ad rationes Scoti habitis: ideo de ea nihil est quod amplius ad nostrum institutum sit dicendum. Vnanimes consentiunt reliqui Aristotelis expositores, vt dictum est.

CONCLVSIO II.

Actio, & Passio nō sunt Relationes

1 Sit secunda Conclusio Actio, & Passio formaliter sumptæ, non sunt Relationes; seu vt alij dicunt, non supponunt in recto pro relationibus: sed pro ipso motu. Probatur primò authoritate Aristotelis in libro 3. Physicorum textu 22. vbi expresse dicit, quod tàm actio quàm passio est motus. Ex quo colligitur hāc propositionem esse essentialem: Actio est motus; Passio est motus.

2 Præterea, Actio est prior Relatione, cum huiusmodi relatio consequatur ad actionem, sicut Aristoteles in libro 5. Metaph. textu 20. scribit, igitur actio formaliter sumpta non dicit Relationem.

3 Præterea, Talis respectus est de genere relationis secundum suam rationem formalē: ergo actio non est formaliter talis respectus. Consequentia tenet: quia formales rationes Prædicamentorum sunt impermixtæ, sicut Aristoteles in libro 1. Posteriorum scribit; quod si actio esset formaliter relatio, tunc eorum rationes formales ad inuicem permiscerentur.

Nec valet Solutio Scoti distinguentis de duplici relatione intrinsecus, & extrinsecus adueniente; & quod actio est

relatio extrinsecus adueniens? nam huiusmodi relationes extrinsecus aduenientes, nō dantur, quemadmodum in sequenti Disputatione videbitur.

CONCLVSIO III.

In obliquo connotant relationes.

Sit tertia Conclusio. Actio, & Passio in obliquo, connotant relationes agentis ad patiens, & è contra, quas tamen relationes non significāt. Hęc Conclusio latius explicabitur in sequenti Disputatione, de sex vltimis Prædicamentis.

1 Nunc verò breuiter probatur sic. Motus .n. non est Actio, nisi cum respectu motiui, & non est Passio nisi cum respectu ad motiuum: quod patet ex verbis Philosophi, qui in textu 20. ait: Neque vnū duobus nihil prohibet eumdem esse actum, non sicut esse idem: & in textu 23. loquens de Actione, & Passione, inquit. Quod .n. huius in hoc, & qđ huius ab hoc actum esse; ratione alterum est. Confirmatur authoritate Auerrois in Com. 18. dicentis, quod actio inter motorem, & motum est eadē: sed in respectu alterius dicitur mouere, & in respectu reliqui dicitur moueri, ex quibus locis patet, huiusmodi respectus esse distinctos, tum quia ad inuicem opponuntur: tum quia in distinctis subiectis reperiuntur: nam respectus quo agens refertur ad patiens, est in ipso agente, & ille quo patiens ad agens refertur est in ipso patiente: quomodo autem huiusmodi respectus consequantur, dicetur infra ad finem sequentis Disputationis: in præsenti verò satis sit scire, quod ad Actionem, & Passionem Physicam consequitur quædam relatio agentis ad passum, & è contra, quæ etiam iisdem nominibus significari solent: & vt quidam dicunt, non tàm Actio, & Passio dici deberent, quàm relatio Actionis, & Passionis: nam certum est inter hæc oriri respectus, & relationes seù habitudines quasdam inter se, cum non eodem modo se habeāt, sicut dictum est.

CONCLVSIO IIII.

1 Sit quarta Conclusio. Actio, & Passio sunt duo distincta Prædicamenta. Probatur his rationibus. Illa sunt diuersa Prædicamenta, quorū quodlibet habet sub se distincta secundum quidditates, & modum vnum essendi communem, & vniuocum, non habentem aliquem modum communiorem, priorem, & vniuocum: Sed Actio, & Passio sunt huiusmodi, ergo Actio, & Passio sunt distincta Prædicamenta. Maior propositio ex his fit nota, quia ad hoc quod aliquod sit generalissimum, tres conditiones requiruntur, quarum Prima est, quod Genus contineat sub se plures Species, quas patet ex libro 2. Poster. esse distinctas secundum quidditates, & essentias proprias.

Vide Iandunū in li. 3. Physic. q. 5.

prias. Altera, quod illud Genus habeat vnum modum essendi communem, & vniuocum in omnibus illis Speciebus, alioquin non esset vnius generalis rationis ad omnia illa. Tertia, quod ille modus essendi, non habeat alium modum essendi communiorem, & priorem: quia generalissimum est illud supra quod non est aliud superueniens Genus, vt Porphyrius scribit. Minor quo ad singulas partes probatur. Actio etenim continet diuersas actiones specie differentes, quales sunt actiones animæ, & corporis: & actio corporis est communis multis actionibus quidditate differentibus, vt calefacere, infrigidare, secare, vrere, & sic de alijs. Simili modo Passio se habet. Item Actio habet vnum, modum communem omnibus actionibus, nempè, esse illud à quo Substantia denominatur agens, & Passio habet vnum modum communem omnibus passionibus, nimirum, esse illud, à quo Substantia denominatur patiens. Præterea, modus essendi Actionis, & Passionis non reducitur ad aliquem superiorem modum, vt vnicuique intelligenti est manifestum. ergo Actio, & Passio sunt distincta Prędicamenta.

Si quis petat, qualiter ab inuicem distinguantur? Respondetur, quod cum Prædicamenta distinguantur ab inuicem per diuersos modos essendi in, & Prædicandi de prima Substantia, sicut dictum est; propterea Actio, & Passio distinguuntur primò, siuè remotè per varios modos essendi, non actu distinctos, (quia cum sint vna sola entitas, vnus actus, & vnus motus, iuxta Thomisticam doctrinam habent vnum modum essendi;) sed correspondenter, eo quod in ipsa re, videlicet in motu, est aliquod fundamentū correspondens Actioni, & Passioni, ita, vt ibidem sit vera Actio, & vera Passio, verè agere, & pati, & sola ratione distinguuntur, eo videlicet modo, in superiori, & in præsenti Disputatione explanato. Proximè autem distinguuntur per varios modos prædicandi: nam motus conceptus cum respectu originis agentis ad ipsum, denominat agens, & sic est Prædicamentum Actionis: secūdum quod recipitur in patiente cū respectu ad agens, sic denominat patiens, & est Prædicamentum Passionis. Agens denominat denominatione intrinseca, cum sit actus huius ab hoc, & Patiens denominat denominatione intrinseca, cū sit actus huius in hoc. De quo modo sepè dictum est in superioribus Disputationibus, & in sufficientia numeri Prædicamentorum ex S. Thoma desumpta.

Actio, & Passio quomodo distinguātur.

SE-

SECTIO Quinta.

Probatur Actionem, & Passionem non esse distincta Prædicamenta.

QVod Actio, & Passio non sint distincta Prædicamẽta, posset quis his, & similibus rationibus probare.

1 Primo Actio, & Passio sũt vnus numero motus; ergo nõ sunt distincta Prædicamenta. Consequentia innotescit ex eo, quod vna metres non potest duo Prædicamenta constituere.

2 Præterea, Actio, & Passio dicunt motum in recto, & relationem in obliquo, vt determinatum est. sed motus est in Prædicamẽto termini motus, scilicet in Substantia, Quantitate, Qualitate, & Vbi: Relatio autem in Prædicamento Ad aliquid: ergo Actio, & Passio non sunt duo Prædicamenta ab alijs distincta.

3 Præterea Contraria sunt eiusdem generis, vt dicitur in lib. 10. Metaph. sed Actio, & Passio sunt contraria, ergo sunt eiusdem generis. non ergo sunt duo Prædicamenta. Minor probatur per Aristotelem in lib. 1. de Generatione, vbi ait, quod Actio, & Passio non fiunt nisi ratione contrarietatis.

4 Præterea, Generalissima non habent supra se aliud genus in quo conueniant, sed Actio, & Passio conueniunt in motu tanquam in vno simplici Genere, ergò, Actio, & Passio non erunt duo generalissima.

5 Præterea, In vnoquoque Genere est vnum primũ quod est metrum, & mensura omniũ existentium in illo Genere, sicut Phylosophus dicit in libro decimo Metaphysices, textu 22. sed in Actionibus, & in Passionibus non est vna prima Actio vel Passio, quæ sit metrũ, & mensura omnium aliarum existentium in illo Genere, ergo Actio, & Passio non sunt Genera.

6 Præterea Omnis forma Prædicamentalis dat aliquod esse illi, cuius est forma, vt Quantitas dat esse quantum, Qualitas esse quale, Relatio esse ad aliud; sed Actio non dat esse ipsi agenti: quia insinuatum est, ipsam non esse subiectiuè in agente; ergò, Actio nõ est forma Prædicamentalis.

SECTIO Sexta.

Rationum propositarum Solutio.

AD primum negatur Consequentia. Quia Actio & Passio duobus modis considerantur. Vno secundum rem, sic sunt vnus motus: nam illamet res quæ est Actio, est etiã Passio, & sunt vnus motus. *Actio, & Passio duob. modis considerantur*

Altero

Altero modo secundũ proprias rationes formales, sic sunt distincta Prædicamenta, & per consequens primo diuersa. Solutio elicitur, imò est Aristotelis, in lib. 3. Physicorum, text. 22. ex quo elicitur, quod Aristoteles non posuit omnia Prædicamenta realiter distincta, vt multi putant, sed aliqua distingui tantum secundum rationes formales: nam Actio est motus, vt exit ab agente; & Passio est idem motus, vt recipitur in passo: vnde Philosophus ibi ait: nam huius in hoc, & huius ab hoc actum esse, ratione diuersum est.

Ad secundum primo loco respondetur, quod si Actio & Passio connotent illos respectus, tamen illi respectus non sunt essentialiter Actio & Passio: ob id non oportet quod in Prædicamento Relationis sint.

Secundò, respondetur ex doctrina Auerrois, in textu 4. & S. Thomæ in lect. 2. super librum 3 Physicorum: quod motus dicit duo, videlicet formam, eamque in fieri, quæ nõdum ad terminum peruenit. Et hoc modo non habet peculiare Prædicamentum, sed reductiuè ponitur in Prædicamento illius formæ: vt cum aqua, quæ calefit, attingit verbi gratia, ad calorem vt quattuor, sicut calor vt quattuor est in Prædicamento Qualitatis, tanquam quid imperfectũ, quòd non facit perfectè calidum: ita calefactio materialiter est in eodẽ Prædicamento.

Motus dicit duo etiam & formam.

Alio modo accipitur formaliter, vt dicit viam, & continuam acquisitionem eiusdẽ formæ: & hoc modo habet peculiare Prædicamentum: nam si consideretur vt procedens à causa efficiente, est in Prædicamento Actionis: si autem cõsideretur, vt recipitur in passo, quod tali forma mouetur, est in Prædicamẽto Passionis. Hæc Solutio nũc sustineatur, & difficultates dimittãtur quæ de motu & illius termino fieri solent.

Ad Tertium est communis Solutio, quod Actio, & Passio duobus modis considerantur. Vno modo formaliter, & sic non contrariantur, sed sũt duo diuersa Genera, vt dictũ est.

Alio modo secundum formas, à quibus Actio & Passio procedit, quæ quidem formæ sunt sibi inuicem contrariæ, vt caliditas, & frigiditas, humiditas, & siccitas: & ratione contrariarum qualitatum, Actio & Passio contrariantur.

Ad Quartum non desunt aliqui recẽtiores, qui dicant motum esse simplex Genus vniuocum ad Actionem, & Passionẽ Prædicamentalem, ac propter ea negant hanc propositionẽ esse immediatam: Actio non est Passio, eo quod per diffinitionem subiecti probari possit: dicuntque ea esse Generalissima, non simplicia, sed coniugata non habentia coniugatum Genus superueniens. Sed quidquid sit de hac Solutione, ad formam tamen argumẽti

ti negatur Minor, scilicet, qđ motus sit simplex eorum Genus: alioquin non video quomodo sint duo Generalissima, quæ superueniens Genus non habent, vt dicit Porphyrius, qui neque de simplici, neque de coniugato Genere mentionem fecit: Sed absolutè negat ea non habere superueniens Genus. Et quando dicitur, Actionem & Passionem conuenire in motu, non est intelligẽdum quod conueniant in motu tanquam in Genere, sed ad hunc sensum dicuntur conuenire, quia natura prorsus in illis est eadem secundum rem, quia sunt vnus motus, & sola ratione distinguuntur; qui modus dicendi his similibus in, est communis.

Actio, & Passio quomodo in motu cõueniãt.

Ad Quintum negatur Minor, quoniam datur prima actio primi motoris Physici, quæ Actio est prima ordine dignitatis, & quodammodo omnium aliorum mensura. Similiter, datur Passio primi mobilis, quæ sit omnium aliarum passionum quodammodo metrum & mensura, quare, &c.

Ad Sextum respondetur, satis esse Actionem denominare ipsum agens extrinseca denominatione, vt sæpius dictum fuit; & satis sit dictum de præsenti Disputatione.

DISPVTATIO Nona.

An Sex vltima Prædicamenta significent aliquid absolutum, vel respectiuum.

SECTIO Prima.

Opinio Scoti, affirmantis Sex vltima Prædicamenta esse Relationes extrinsecus aduenientes proponitur.

SCotus in lib. 3. Sententiarum quæst. 1. primæ Distinctionis, & in libro 4. Dist. 13. quæst. 1. & Quodl. 11. art. 4. cum affirmet Sex vltima Prædicamenta significare Relationem, distinguit de duplici Relatione, dicens, quod Relatio est duplex; Vna quæ dicitur intrinsecus aduenies; & Altera extrinsecus accedens. Prior est illa, quæ necessariò consequitur rem, positis in actu fundamento, & termino, ita, vt non stet, hæc duo esse, quin sit Relatio: exempli gratia, ponatur nunc vnum corpus album, ac deinde fit aliud corpus qđ dealbetur, & fiat album, statim fac necessariò inter hæc duo alba consurgit similitudo, quæ est quædam Relatio. Si-

Relatio intrinseca, & extrinseca quomodo

Similiter, posito corpore tantæ quantitatis, si aliud ponatur eiusdem quantitatis, statim inter ea consurgit æqualitas, quæ est Relatio. Item assignatis patre & filio, subito consurgit Relatio. Has relationes Scotus vocat intrinsecas, eo quòd consurgunt ex natura fundamenti & termini in actu positorum, atque relatiua subiecta intrinsecè denominant, suntque Relationes de Prædicamento Ad aliquid, ab Aristotele assignato.

Relatio extrinsecus aduenniens est illa, quæ positis fundamento, & termino etiam in actu, non statim necessariò cõsequitur: sed stat, ambo simul esse, & tamen Relationem inter ea adhuc non consurgere. Dicitur extrinsecus aduenies, non quia non sit aliquo modo in eo quod refertur, sed ex eo, quod necessariò non sequitur fundamentum, & terminum, sed per motum acquiritur. Plura exempla tum à Scoto, cum à Discipulis, de huiusmodi Relationibus assignantur.

1 Primum exemplum est de vnione: verbi gratia, dentur materia, & forma lapidis, quæ in rerum natura sint, non tamen vnitæ. deinde ad inuicem vniantur, tunc illa vnio non consequitur necessariò fundamentum, puta, Quantitatem aut Qualitatem, neque terminum: quia sint ambo extrema esse, tamen non esse vnionem. Idem asserit de vnione Humanitatis ad Verbum; stat enim inquit, ambo extrema esse, videlicet Humanitatem & Verbum, & tamen quod vnio non sit.

2 Secundum exemplum est de Actione, & Passione: ponãtur ignis & lignum in rerum natura, non illicò eis inest respectus agentis ad passum, sed est necessarium quod approximẽtur, & vnum in aliud agat; ideò Relatio quæ tunc inter agens & patiens consurgit, dicitur aduueniens extrinsecus, & per illum motum acquiritur.

3 Tertium exemplum est de Vbi; stat namque quod sit locus, & quod sit mobile, tamen inter ea nulla est Relatio, donec per motum sit acquisitũ.

4 Quartum addunt Discipuli, de propinquitate: stat enim me esse, & columnam esse, cui ego sum propinquus, tamen si hinc abeam non erit propinquitas. Assignata hac distinctione de duplici Relatione, ponit hanc Conclusionem.

CONCLVSIO.

1 Sex vltima Prædicamenta significant Relationes extrinsecus aduenientes. Probat eam his medijs. Prædicamenta illa sunt Relationes, & non intrinsecus aduenientes, ergò sunt extrinsecus accedẽtes. Maior probatur. Vbi verbi gratia, non est locatum, neque ipse locus, sed est esse in loco, puta in Gymnasio, vel in foro: sed esse in loco, prȩter locũ, & locatum, nihil addit, nisi

nisi Relationem loci ad locatum, ergo Vbi, est Relatio: Minor ex eo fit manifesta: quod si esset Relatio intrinsecus aduenions, tunc ad quartum Prædicamentum attineret.

2 Confirmatur ex diffinitione, stat enim Socratem esse, & hunc locum esse, tamen non illico est talis Relatio, vt si Socrates, sit in alio loco.

3 Præterea, Vbi est circumscriptio, est Relatio, ergò Vbi est Relatio: Minor est nota. Maior ex ipsius diffinitione manifestatur, dicitur enim qđ Vbi, est circumscriptio, ex loci circumscriptione procedens.

4 Præterea, Omnis ordo est Relatio, sed Situs est quidam ordo, ergo Situs est Relatio. Maior non indiget probatione; Minor ex diffinitione Situs fit manifesta.

5 Præterea, Idem affirmat de Habitu, videlicet esse vestitum est Relatio vestiri ad vestem; Prædicamentum Actionis est Relatio agentis ad passum, quia agens agendo non habet aliquid noui nisi relationem ad patiens, & passio est Relatio patientis ad agens: igitur hæc Prædicamenta sunt Relationes.

6 Præterea Adiacentia est Relatio, sed Quando est adiacentia temporis, ergo Quando, est Relatio; Maior fit manifesta ex eo, quod adiacentia dicitur ad aliud, cum nulla res sibiipsi adiaceat. Minor probatur ex diffinitione ipsius Quando: nã Author sex Principiorum diffinit ipsum sic. Quando, est illud, quod ex adiacentia temporis derelinquitur: sed constat id quod ex adiacentia relinquitur, non esse quid absolutum, cum absolutum non sit ipsa Relatione posterius, ergò, est quid respectiuum. His igitur medijs probat sex vltima Prædicamenta esse relationes: & cum nõ sint ex genere eorum, quæ necessariò cõsequuntur positis fundamento, & termino, quæ sũt Relationes intrinsecus aduenientes, efficitur vt optimè nuncupentur Relationes extrinsecus accedentes, de quorum genere sũt sex vltima Prædicamenta.

SECTIO
Secunda.

Non dantur huiusmodi Relationes extrinsecus aduenientes; neque aliud Relationum genus reperitur ab eo, quod Aristoteles assignat.

Positio Scoti de Relationibus extrinsecus aduenientibus, quod non sit probabilis, neque apud Peripateticos receptibilis, ex eo fit omnibus manifestum, quod neque Aristoteles, neque aliquis Interpretum, vt Auicennas, Auerroes, Magnus Albertus, nec tandem Philosophorum quisquam qui de Relationibus copiosè

piosè dixerunt, & scripserũt, harum Relationũ à Scoto positarum meminerunt. Imò harum Relationũ distinctio numquam amplius audita est; sed vt Dominicus à Soto in libro 4.Sent. dist. 1. quæst. 4. art. 2. scribit, est mera Scoti inuentio; & forsan vt Petrus Fonseca in libro 5. Metaph.capite 11. quæst 7. sect. 2. dicit, videtur sola euadendi argumenti causa à Scoto conficta: quod & Benedictus Pererius in libro 13. cap. 7. de affectionibus rerum naturalium antè insinuarat. Sed quidquid de hac re sit, ostendatur modo harũ Relationũm distinctionem, nequaquam admittendam esse.

1 Aristoteles in libro 5. Metaph textu 28. arbitratur se sufficienter, & perabundè diuisisse vniuersas Relationes in tria membra, dum inquit: Omnis Relatio aut consequitur Quãtitatem, aut Qualitatem, aut Actionem. Ex quo loco apparet, quod Relationum extrinsecus aduenientium non solùm non meminerit, sed cognoscitur etiam quod omnis Relatio consequitur aliquod intrinsecum fundamentum.

Euasio. Nec tenet quorumdam Scotistarum solutio, dicentium, Relationem non dici intrinsecus aduenientem, quia fundamentum sit alicui relato intrinsecum, sed quia necessariò sequitur positis extremis: sunt

Solutio. autem aliquæ quæ non ita se habent. Etenim Scotus in præfatis locis fatetur, Relationem intrinsecus aduenientẽ sic nominari, aut quia necessariò cõsequitur fundamentum intrinsecum; puta Quantitatẽ (quã sequitur æqualitas.) Qualitatem, (quam sequitur similitudo, &c.) aut quia necessariò consequitur, fundamento, & termino in actu positis. Si igitur Scotus fatetur huiusmodi Relationem consequi fundamentum intrinsecum, cui igitur hoc fundamentum inest, verbi gratia Quãtitas, & Qualitas nisi ipsi subiecto relato, & ab ipsa Relatione intrinsecè denominato: Dicere autem esse aliquas Relationes, quæ non ita se habent, est dicere, Aristotelem non sufficienter vniuersas Relationes in tria membra diuisisse.

2 Præterea, Quando Scotus ait Relationẽ extrinsecus aduenientem non sequi necessariò positis fundamento, & termino: aut intelligit de fundamento, & termino proximis, aut de remotis: non de remotis, quia idem contingit etiam de Relationibus intrinsecus aduenientibus: nam fundamẽtum, & terminus remoti æqualitatis, & similitudinis sunt subiecta, denominata æqualia; & similia, vt duo ligna, duo homines: fundamentum verò propinquum, & terminus: vel quædam vnitas, vt infra dicetur, sunt rationes fundandi, & terminandi, vt Quantitas in æqualitate, & in similitudine Qualitas, verbi gratia albedo quæ est in hoc homine, & quæ est in alio: sed manifestum est, quod stat, esse hunc hominem,

& alium, & non esse similes, ergo non intelligit de fundamento, & termino remotis; si verò intelligat de fundamento, & termino proximis, certè nulla est Relatio, quæ non statim necessariò sequatur positis fundamento, & termino proximis; atque adeo nulla est Relatio quæ non sit intrinsecus adueniens.

Euasio. Respondent Scotistæ, Præceptorem Scotũ loqui de fundamento proximo; & friuolam esse improbationem; quia fundamentum Relationis agentis ad passum, non est approximatio vel remotio; hæc enim est conditio fundamenti, & non fundamentum.

Vide Scotũ in lib. 5. Phys. q. 2. & in cap. Ad aliquid q. 1. & in 4. Sent. d. 1. q. 4. art. 2. Hæc Solutio in duobus aberrat; in vno, quod ait Scotum intelligere de fundamento proximo: nam vt Thomistæ dicunt, opinio Scoti in hoc consistit, quod censuit multas esse relationes, quæ præter subiectum quod denominãt, nullum habeant fundamentũ proximum, cuiusmodi sunt hæ quas extrinsecus aduenientes vocat: ac propterea voluit ad illas esse motum, atque per motum acquiri. In altero, quod in ratione ab ipsis relata assignant fundamentum proximum actionis esse approximationem agẽtis ad passum, quasi Thomistæ sic dicant, cum hi tamen asserant fundamentum relationis Actionis esse ipsum agere, & fundamentum proximum relationis Passionis sit ipsum pati, ipsa verò approximatio est conditio, sine qua non: de qua dicetur suo loco, posita autem Actione, & Passione, non stat qu n sequatur Relatio, qua agens denominatur Agens, & altera qua passum denominatur patiens.

3 Præterea, Totum esse Relationis extrinsecus aduenientis, aut est ad aliud se habere, aut non: si non est ad aliud se habere, ergo non est Relatio magis quàm sit aliqua Qualitas, verbi gratia albedo, quia omnis Relatio formaliter sumpta, hoc ipsum quod est, est Ad aliud se habere: si sic, sequitur igitur, quod sit species Relationis quarti Prædicamẽti; ea etenim diffinitio complectitur omnes Relationes, quæ sunt veræ Relationes.

4 Præterea Relationem esse intrinsecus vel extrinsecus aduenientem, non variat Prædicamenti rationem; igitur si sex vltima Prædicamenta sunt Relationes extrinsecus aduenientes, nihilominus ad Prædicamentum Relationis spectant, ergo sunt illius Generis. Consequentia est nota, & Antecedens probatur à simili. Nam in Prædicamento Qualitatis æquè ponuntur qualitates omnes, quæ ab intrinseco proueniunt, vt naturalis potentia, & passiones, & quæ ab extrinseco, & rationẽ Prædicamenti non variant. Similiter omnes Relationes, etiam ab extrinseco aduenientes, rationem Prædicamenti non variabunt.

5 Præterea, Per Relationem extrinsecus aduenientem, vel

Au-

Author intelligit eas Relationes, quas nos vocamus Relationes secundum dici, aut Relationes secundum esse; non enim quis imaginari potest alium Relationum ordinem: si intelligat Relationes secũdum dici, ergo exempla ab eo posita nõ sunt ad rem: quia vnio Formæ ad Materiam, aut Accidentis ad Subiectum, sunt Relationes secundum rem, quod ex eo patet: quia tota quidditas huius quod est vniri, est esse ad aliud; similiter esse vnitum, est ad aliud esse. Si verò intelligat Relationes secundum esse, ergò reponuntur in Genere Ad aliquid assignato ab Aristotele: quia (vt iam dictum est) quod Accidẽs proueniat ab extrinseco, vel ab intrinseco, non variat rationem, & formam Prædicamenti: Sanitas enim siue sit à natura, siue ab arte, reponitur semper in prima specie Qualitatis: & forma siue naturalis, siue artificialis, semper in 4. specie assignatur.

Euasio. Ad hoc respondent Scotistæ, quod huiusmodi Relationes extrinsecus aduenientes, siuè sint Relationes secundum esse, siue secundum dici, parum ad rem Scoti refert: quia secundum ipsum, sex vltima Prædicamenta seiunguntur à tertio, eo quod ad hoc spectãt Relationes intrinsecus aduenientes & sex vltima sunt Relationes extrinsecus accedentes.

Sed hæc Solutio, quid aliud sonat, nisi, ac si dicatur: Sic Magister dicit: quod magistri assertum, quàm sit falsum, iam demonstratum est, tum, quia Aristoteles communi Peripateticorum consensu, existimauit in lib. 5. Metaph. textu 20. se sufficienter diuisisse omne genus Relationis in tria: tum quia omnes Relationes siue intrinsecus, siue extrinsecus aduenientes, eiusdem generis Prædicamentalis esse debent; nec vlla ratio assignatur, cur illæ quæ extrinsecus aduenĩũt, aliud Relationis genus conficiant ab eo, quod Aristoteles Philosophorum Princeps superabundè assignauit.

6 Præterea, Relatio extrinsecus adueniens per Scotum, est illa, quæ positis fundamento, & terminis, non statim neque necessariò cõsequitur: sed posita re temporali, & tempore, illicò & necessariò consequitur eam Relatio, ad tempus, quæ Relatio ab ipso dicitur Quando: ergo Prædicamentũ, Quando, non est Relatio extrinsecus aduenĩẽs. Maior innotescit ex assignatione facta ab Authore ipsius Relationis extrinsecus aduenientis. Minor probatur. Supponatur ad mentem Aristotelis in libro 4. Physicorum textu 90. quod tẽpus sit tantum vnum, quemadmodum vnus tantum est primus motus. tunc arguitur. Res temporalis necessariò est in tempore, sed tempus est tantũ vnum, ergo nõ datur tempus, ad quod res temporalis relationem non habeat.

Scotistæ multis modis ref-

pondent: Primò, negãdo quod tempus sit vnum omnium tem poralium; quia Aristoteles in lib. 4. Physicorum textu 130. ait tempus esse vbique, quia vbique est motus. Et in textu 132. scribit, quod tempus est numerus cuiusuis motus. Qđ si dicatur tempus esse passionẽ primi motus, id aperte est con tra Aristotelem, qui in diffinitione temporis, non dicit tem pus esse numerum primi motus, sed motus vniuersim. Tan dem distinguunt de duplici re spectu rei temporariæ ad tempus. Alter quia sit comes tem poris quando tempus est; Alter quia mensuretur ipso tem pore, quo pacto Minor sumptio rationis, est omnino falsa, & Scoti dogma est intelligendum.

Responderi tamen potest, quod si Philosophi ab inuicẽ discriminent de vnitate temporis, nihilominus quod omnium rerum temporalium sit vnum tempus, prima, certa & regularis mensura in circulatione cæli, sententia est expressa Aristotelis, in eodem lib. 4. textu 133. reliqua autem esse tempora partialia à primo tẽ pore mẽsurata. Vnde quidam bene distinguunt, tempus bifariam considerari: primo materialiter, & sic sunt multa tẽ pora, quia etiam motus materialiter; Et formaliter, & sic omnium temporalium est vnũ tempus. Cum verò dicitur rẽ temporariam esse in tempore, intelligitur de tempore formaliter accepto: nam tẽpus hoc modo sumptum, dicitur mensura rerum temporalium, & quia rem temporariam esse necessario in temporariam esse, non solum est esse cum tempus est, (nam Deus etiam sic coexistit tempori, similiter & Angeli, quia sunt quãdo tempus est:) sed mensurari ab illo, superari & pati ab illo; ideo verissima est illa Minor propositio, quod posita re temporali & tempore, statim necessariò cõ sequitur eam Relatio ad tempus.

Vide Pererium, lib. 12. c. 4. & Fonsecam in lib. 5. Metaph. c. 15. q. 10.

7 Præterea, Relationes intrinsecus aduenientes constituunt vnum Prædicamentum tantum, quod neque Scotus negat: Cur igitur Relationes extrinsecus aduenientes non constituunt vnum solum Prædicamentum? non enim maior ratio est de his, quàm de illlis.

8 Præterea, Si Relationes extrinsecus aduenientis Agen tis ad Patiens, & Patientis ad Agens conficiunt duo Prædicamenta diuersa à Prædicamento Ad aliquid, assignato ab Aristotele, cur etiam Rela tio locati ad locum, & loci ad locatum, temporis ad rem tẽ poralem, & rei temporalis ad tempus, habitus ad rem habitam, & rei habitæ ad habitũ, situs ad rem sitam, & rei sitæ ad situm, non constituunt duo Prædicamenta? etenim apud Scotum, hæc sunt Relationes extrinsecus aduenientes, sicut Relatio agentis ad patiens.

Sed vt Scotisticæ positionis defectus percipiatur, notandũ est, Relationem habere semper

per in suo subiecto quod denominat, aliquod fundamentum, sicut Aristoteles in lib. 5. Metaph. textu 20. ostendit, quando dicit omnem relationem consequi, aut Quantitatem, aut Qualitatē, aut Actionem, verbi gratia, Similitudo quæ est vnius oui ad aliud ouum, vel in albore, vel in figura fundatur: vnde illa duo oua quæ sunt Relationum subiecta, dicuntur similia.

Præterea, æqualitas quæ est inter duo ligna, in Quantitate proximè fundatur, ex qua illa duo ligna dicuntur æqualia. Similiter, fundamentum proximum paternitatis, & filiationis, est vel potentia generandi, vel vt alijs placet actu genuisse, ex quo subiecta denominantur pater & filius. Quocirca supposito illo fundamento, consurgit illicò Relatio in subiecto, si terminus correlatiuus existat, vt cum Socrates incipit albescere fit similis alijs albis, sic dum nigrescit, fit similis nigris: ex quo fit, quod cum esse Relationis non sit esse in se, sed esse Ad aliud, ipsa Relatio propriè non producitur per aliquem motum, sed simul cum suo fundamento nascitur.

Vide Fonsecā lib. 5. Metaph. c. 15. q. 1. sect. 3.

Præterea sciendum, quod in Relationibus præter subiectum denominatum, & fundamentum, reperitur quoque ratio fundandi, quæ sæpè fundamentum proximum appellatur, & est conditio quædam sine qua Relatio non sequitur fundamentum: verbi gratia, Vnitas Quantitatis est ratio fundandi relationem æqualitatis, & vnitas Qualitatis est ratio fundandi similitudinem: quia nisi Quantitates sint vnū secundum speciem alicuius certæ dimentionis, & Qualitates vnum secundum perfectionem gradualem, aut saltē specificam, (si similitudo sit imperfecta) nec Quantitates erunt ęquales inter se, nec Qualitates similes.

At Scotus existimauit esse aliquas Relationes, quæ præter subiectum quod denominant, nullum habeant proximum fundamentum quod acquiratur per motum, ita vt Relatio consequatur: & ob hanc causam censuit quod huiusmodi relationes acquirantur per motum factum in ipso subiecto denominato, ex eo qđ carent proximo fundamento, ex quo Relatio consequatur; Vnde illius positio in duobus deficit, in vno, quod existimauit aliquas Relationes non habere proximum fundamentū, quod est falsum, vt colligitur ex Aristotele, in li. 5. Metaph. textu 20. vbi ait omnem Relationem consequi aut Quantitatem, aut Qualitatem, aut Actionem, & nullam assignat distinctionem Relationum intrinsecus vel extrinsecus aduenientium. In altero, quod putat ad Relationem esse motum, quod est contra Aristotelem, in libro 5. Physicorum textu 10. & in lib. 11. Metaph. cap 10. vbi probat ad Relationem non esse motum, duabus

Ad Relationē non est motus

de causis: Vna, quia aliquid potest fieri simile sine sui mutatione, in eo enim quod Socrates fit albus, tunc Plato sine sui mutatione, efficitur similis illi. Altera, quia ad positionẽ fundamenti, & termini, coexistentiam cõsequitur Relatio, vt per hoc quod Socrates canescit, sine nouo motu fit similis alijs canis.

Nec satisfacit Scotus, cum inquit, quod Aristoteles non negat per se motum ad Relationem, sed ad Relationem dumtaxat intrinsecus aduenientem: Etenim, Aristoteles sine distinctione Relationis intrinsecus aut extrinsecus aduenientis, id vniuersim affirmat. Quare reprehensione dignum se redderet tantus Philosophus, quod ostenderit ad Relationem vniuersim non esse per se motum, & tam necessariam distinctionem missam fecerit, quod nemo sapiens de tanto Philosopho dicere audebit.

Præterea, cum Aristoteles in eodem libro 5. Physici auditus, fateatur expressè, per motum localẽ acquiri Vbi, quemadmodum per augmentationem acquiritur Quantitas, & per alterationem Qualitas: atque Vbi, secundum Scotum sit Relatio extrinsecus adueniẽs, eo quod in suo exemplo stat esse mobile, & locum, & Relationem non consurgere, sed per motum immediatè acquiri: mirum est, quomodo idem Philosophus ibidem non ostenderit ad cæteras Relationes extrinsecas, vt puta, ad Quando, & Habitum, non esse per se motum. Quod si quis dixerit, per hanc vnam scilicet Vbi, posse intelligi reliquas pari ratione dicetur, potuisse Philosophum per vnum genus earum, intrinsecus videlicet aduenientium, intelligere aliud genus, scilicet extrinsecus aduenientium, nõ esse motum; vel vnius assignare exemplum in libro 3. Physicorum, nullius tamen assignat.

Si quis objiciat, quod Simplicius in Prædicamentis, affirmat Porphyrium, & Iamblicum antiquos Peripateticos sensisse, Vbi, & Quando connotare Relationem, non quamlibet, sed extrinsecus aduenientem; Vnde idem Simplicius in capite Relatiuorũ, vocat sex Prædicamenta aduentitias Relationes; ergò, hæc diuisio est antiquissima, & non Scoti figmentum, vt Thomistæ dicunt.

Imo Porphyrius in Commentarijs in capite de ijs quæ sunt Ad aliquid, sect. 17. ad calcem, habet hæc verba: Illud proculdubio, quod subiectis rebus insint ea quæ sunt Ad aliquid, neque ita vt Substantiam eorum expleant, neque sicut alia Accidentia, quæ in ipsis subiectis rebus innascuntur, vt Perpessio vel Actio; sed quiddam sint, quod extrinsecus ipsis adueniat, vnde fit, vt nihil etiam patientibus ipsis subiectis, & accedant, & recedant.

Respondetur, Intentionem Sim- *Explicã-*

tio intelligētia verborū Simplicij, & Porphyrij de Relationib. extrinsecis.

Simplicij eo in loco non voluisse, quod Prędicaméta Vbi, & Quando significent relationes extrinsecus aduenićtes eo modo, quo Scotus eas assignat: sed quia quamdam extrinsecam denominationē habent ad ipsam rem denominatam, ob id aduentitiam relationem eā dixit Simplicius.

Verba Porphyrij sicut in litera iacent in hoc loco ponuntur: ex quibus quidpiam aliud non colligitur, nisi discrimen quoddam inter accidentia absoluta, & relatiua; quod in hoc consistit, videlicet, Accidentia absoluta nullo indigēt termino extrinseco, ita vt per ipsum substantiam expetant, idest diffinitionem expleant; Relatiua autem indigent aliquo extrinsecus posito .i. termino correlatiuo, ad hoc, quod diffiniantur, eo quod vnum relatiuorum sine suo correlatiuo non diffinitur.

Præterea Porphyrius quando dicit, Vnde fit vt nihil etiā patientibus ipsis subiectis, accedant, & recedant; cum hæc verba continuentur ad superiora, non potest loqui de relationibus extrinsecus aduenientibus, de quibus Scotus intendit, quia huiusmodi relationes non accedunt vel recedūt, nihil ipsis subiectis patientibus, cum per motum acquirantur: sed in illis verbis ostendit naturam relationum esse vt consequantur suum fundamentum, sine aliqua mutatione sui subiecti; in eo .n. quod Socrates fit albus, efficitur Plato sine sui mutatione similis illi, vt supradictum est ex Aristotele in lib. 5. Physicorum, quod est proprium relationū intrinsecus aduenientium, vt omnibus patet.

Concludatur igitur ad mentem Aristotelis, & Peripateticorum, nullas reperiri relationes extrinsecus aduenientes vt Scotus imaginatur; & per cōsequens sex vltima Prędicamenta non esse relationes extrinsecas, vt infra dicetur. Has autem relationes extrinsecus aduenientes non dari, neque ex contextu Aristotelis vlla ratione elici posse, consule tu lector infrascriptos celebres, Aristotelis Peripateticos Interpretes, Ioannem Capreolum, in libro 4. Sententiarum dist. 1. quæst. 1. Thomam Caietanum, in Commentarijs super tertiam partem Summæ S. Tho. quęst. 63. art. 2. Paulum Soncinatem in lib. 5. Metaph. quęst. 39. Franciscum Ferrariensem, in libro 3. Phys. quæst. 4. Dominicum à Soto, in libro 4. Sent. dist. 1. quæst. 4. art. 2. & in libro 5. Physicorum quæst. 2. art 2. & in Prædicamentis, in capite de Ad aliquid quæst. 1. & in Tractatu de sex Prædicamentis. Petrum Fonsecam in libro 5 Metaph cap. 15. quæst. 7. sect. 2. & tandem Robertum Bellarminum in Tomo 3. Controuersiarum libro 2. capite 19. propositione secunda. Benedictum Pererium lib. 13 cap. 7. de rebus naturalibus. Et de his satis.

Relationes extrī̄secæ non dantur.

SECTIO Tertia.

Exemplorum Scoti, eiusque rationum Solutio.

NOn satis est ostendisse Relationes extrinsecus aduenientes quas subtilissimus Scotus adinuenit Peripateticorum auribus nequaquã probatas iri; nisi exempla, & rationes quibus earum Author eas defendit, solutionibus Peripateticis abijciantur. Igitur ad hoc vnum tendit nunc nostra intentio, nimirum, ostendere neque exempla neque rationes Scoti, assectarumque id concludere, quod ipsi sunt arbitrati, vnde.

Ad primum quod ponitur de vnione: Respondetur quod fundamentum, & terminus vnionis est duplex: vnum remotum vt materia, & forma, quæ duo extrema si sint ab inuicem separata, sicut de Anima rationali, & corpore contingit; quod de materia, & forma lapidis nunc admittatur, tunc conceditur posse hæc extrema esse quando vnionis relatio inter ea non sit, fundamentum proximum, & terminus est vnitas suppositi humani vel lapidei, quod ipsa extrema constituunt: qua vnitate posita, illicò, & necessario relatio consurgit: nam per illam vnionem, siue mutationem seu generationem qua forma vnitur materiæ non primò producitur vnio, neque terminat ad vnionem quæ est relatio, (vt Scotus imaginatur) sed producitur substantia siue suppositum substantiæ, & ad ipsum primò terminat, aliàs non esset generatio; igitur cum fundamentum proximum, & terminus vnionis sit totum illud quod ex tali vnione primò resultat vel producitur, statim ad eam vnitatem, quam extrema faciunt tanquam ad fundamentum proximum consequitur relatio vnius partis ad aliam.

Sed ne quis in æquiuocatione huius nominis vnio, decipiatur; sciendum quod hoc nomen vnio est æquiuocum; nam vnio aliquando sumitur pro motu siue mutatione qua alterum alteri vnitur; interdũ pro relatione qua res dicitur vnita; si primo modo sumatur, tunc vnio præcedit natura ipsam informationem, qua forma materiam informat, seu Accidens subiectum; & huius vnionis terminus per se primus est ipsum compositum, quod ex his partibus vnitis producitur, vt homo, lapis, album. At si altero modo sumitur, nẽpè pro relatione qua res dicitur vnita, tunc vnio est natura posterior informatione, & ad eam vnitatem quam partes cõstituunt, consequitur, & consurgit, eo .n quod per informationem fit homo, vel lapis, consequitur relatio vnionis partium: & qđ de vnione substantiali dicitur, etiam de vnione *Vnionis nomẽ Aequiuocũ.*

ne

ne accidẽtis ad subiectum intelligitur; etenim quando per motum alterationis producitur albedo in subiecto, id qd primò per se acquiritur non est relatio vnionis accidentis ad subiectum, neque motus terminatur ad hanc relationem; sed id quod primò acquiritur est albedo; & ad eum tanquam ad terminum per se primò acquisitum terminatur motus alterationis; ad quam tandem albedinem tanquam ad fundamentum proximum consurgit relatio vnionis qua accidens dicitur vnitum; ex eo enim quod Corpus est album, consequitur relatio vnionis accidentis. Tandem ad illud quod Scotus tangit de vnione humanitatis ad Verbum; Respondetur quod Verbum, & humanitas sunt fundamentum, & terminus remota vnionis, proxima verò est vnitas suppositi Diuini, & humanitatis, idest Christum esse Deum, & hominem: nam si actio vel vnio qua humanitas Verbo vnitur; ad solam vnionem quæ est relatio terminaretur, tunc vnio esset accidentalis, cum terminus esset accidens; igitur terminus illius vnionis est Christum esse hominem; ad quam tandem vnitatem consequitur relatio qua humanitas dicitur vnita. ex eo etenim quod Christus est homo, statim, & necessario consurgit relatio vnionis humanitatis ad Verbum. Ex his igitur dictis fit notum nunquam poni fundamentum, & terminum proximum relationis, quin ipsa relatio statim, & necessario consequatur: vnde fit consequens quod quæcunque vnio sit relatio intrinsecus adueniens. Sed quia Scotus existimauit non in omni relatione requiri necessario fundamentum, & terminum proximũ, sed remota tantum idest subiecta denominata sufficere, ideo dixit ad eas esse motum, & relationes extrinsecas vocauit.

Vide Scotũ in lib. 5. Phy. q. 2. ar. 2.

Ad secundum exemplum pariter respondetur, quod relationes actionis, & passionis sunt intrinsecus aduenientes. quemadmodum .n. relationes actiui, & passiui habent proximum fundamentum potentiam actiuam, & passiuam, vt in lib. 5. Metaph. textu 20. dicitur, quas non stat esse quin sit relatio, ita proximum fundamentum relationis agentis, & patientis est ipsum agere, & pati, vnde non stat esse proximum fundamentum, & terminum, quin relatio consequatur: quare motus non est per se ad tales relationes, sed ad qualitatem vnde resultant, ideo Caietanus inquit, quod Scotus fallitur, attribuendo subiectis id, quod fundamenti est proprium. Ignis siquidem, & aqua non sunt fundamenta Actionis, & Passionis, sed subiecta. Hinc fit manifestum, quod Actio non est Relatio, sed quid absolutum, cum sit idem quod motus: vnde Toletus in capite de Actione, quæstione 1. scribit, quod hoc assertum, videlicet, Actio est

Error Scoti.

Relatio, est intolerabile; & indignum Peripatetico Philosopho, cùm Aristoteles in libro 3. Physicorũ si doceat Actionem, & Passionem esse motum

Ad Tertium exemplum, stat quod sit locus; & quod sit mobile, & quod inter ipsa nulla sit relatio, donec locus p motum localem acquiratur. Sed negatur quod motus localis sit per se primo ad relationem qua locabile acquirit locum, sed per se primo est ad locũ, imo ex hoc dicitur localis, quod per se primò sit ad locũ; & quia acquirere locum, & esse in loco, non sunt duo, & esse in loco est Vbi, ideo Aristoteles pro eodem ducit, quod motus localis sit ad locum, & ad Vbi: Igitur Vbi non est relatio, sed est esse in loco, siue habere locum, vt quandam formã extrinsecam, ad cuius circumpositionem duplex consequitur relatio, vna locati ad locum, altera eiusdem loci ad locatum; quamobrem per motum non acquiritur relatio, sed forma extrinseca, quæ est locus; Verum tamen est, quod Socratem esse hic aut ibi, explicari non potest, nisi per respectum ad aliquam partẽ mundi; tamen esse hic vel ibi, non est respectus.

Motus localis non est ad relationẽ, sed ad locum.

Ad Quartum de relatione dextri, & sinistri in columna respectu hominis: respondetur quod fundamentum illius relationis non est homo, vel columna, sed Vbi, & Situs in quo homo stat, qui quidem situs vel vbi acquiritur per motum, & in quo si homo ponatur, tūc columna sit ei dextra vel sinistra, quod si homo inde abeat columna erit neutra, videlicet neque dextra, neque sinistra: Igitur quia posito proximo fundamento propinquitatis, quod est esse in hoc Vbi vel Situ, illico & necessario consurgit relatio inter hominem, & columnam: & ita propinquitas est relatio non extrinsecus, sed intrinsecus aduenienś. Hinc Dominicus Soto, in libro 4 Sent. scribit, quod si in huiusmodi relationibus attendatur semper ad fundamentum, nulla vnquam reperietur relatio extrinsecus aduenieńs.

Ad rationes, ad primam negatur Maior, nempe quod ea Prædicamenta sint relationes extrinsecus aduenientes: nam si ipsum esse in loco non sit locus, neque res locata, tamen non est relatio locati ad locũ per motum acquisita, sed est habere ipsum locum, vt quãdam formam extrinsecam, ad cuius circumpositionem consequitur duplex relatio, vna locati ad locum, altera loci ad locatum: atque illa sola forma est, quæ in motu locali per se acquiritur & non relatio, ad quam Aristoteles docet non esse per se motum. Quando argumentum subdit quod esse in loco, præter locum, & locatum nihil addit nisi relationem loci ad locatum, conceditur; tamen inde non sequitur quod Vbi, aut esse in loco sit

sit relatio: sed sequitur tantũ, quod esse in loco, quod est Vbi, non exprimitur nisi per respectum ad locum.

Ad confirmationem conceditur, quod stat esse hunc locum, & esse Socratem, tamen non illico consurgit relatio si Socrates sit in alio loco. Sed si per motum acquirat illum locum, subitò ad hunc acquisitum locum consurgit relatio.

Vide Fonsecam in lib. 5. Metaph. c. 15. q. 7. sect. 5. ad vltimũ.

Ad Tertium, quo dicitur Vbi esse circumscriptionem, quæ est quædam relatio, vt Author sex principiorum scribit. Respondetur non esse standum in his omnibus quæ ipse reliquit scripta de sex principijs: Verumtamen id quod dicit Vbi prouenire ex circumscriptione loci, in hoc sensu sumi potest. Vbi est circumscriptio, idest forma quædam adiacens ipsi locato, extrinsecè illud denominans, idem de Quando dicitur.

Ad Quartum de Situ, negatur quod motus sit primò ad illum ordinem qui est Relatio: nam cũ qui sedet, surgit, aut qui stabat, sedet, motus est per se primò ad nouum locum secundum partes: nam Situs dicit ordinem partium inter se non absolutè, sed respectu loci, quare Situs est acquisitio noui loci secundum partes, ex qua deinde consurgit relatio partium situatarũ ad partes loci.

Ad Quintum, Similiter negatur, quod esse vestitum sit relatio vestiti ad vestem: nam esse vestitum, non est aliud, quàm habere vestem hoc aut illo modo adiacentem circa corpus: & hoc non dicit aliquam relationem, sed quid absolutum extrinsecus denominans ad quod tamen consequitur relatio vestiti ad vestẽ.

1 Contra hanc solutionem dupliciter dubitatur. Primò, de ea Actione, qua quis se vestit: quia primus terminus per se, est vestitum esse, sed vestitum esse dicit relationem vestiti ad vestem, ergo habitus ad quem spectat vestitum esse, est quædam relatio.

2 Præterea, Id quod magis vrget, est authoritas Aristotelis in lib. 5. Metaph. textu 25. vbi dicit, quod habitus, seu habere vestem, est quid medium inter eum qui habet vestem, & vestem quæ habetur, perinde, vt motus, siue moueri, est medium inter id quod agit, & id quod patitur, sed non apparet quod hoc medium sit, nisi respectus, non enim est realiter Actio, aut Passio, nisi fortè secundum modum significandi, ergo Habitus est Relatio.

Ad Primum, conceditur, quod terminus illius motus quo quis se vestit, est vestitũ esse: attamen, negatur quod hoc sit acquirere immediatè relationem, sed est acquirere vestem taliter adiacentem circa corpus, sed verũ est, quod illud non exprimitur nisi per relationem.

Ad Secundum respõdetur, ea ratione dictum esse ab Aristotele habitum esse medium inter vestitum & vestem, perinde

inde ac motus est medium inter agens, & patiens: quia sicut agens, & patiens denominatur à motu, ita à circumpositione vestis, homo dicitur habere vestem, & vestis haberi, ex hoc tamen non sequitur illud medium esse respectum, vt argumentum contendebat.

Ad Sextum, negatur quod Quando, dicat adiacentiam temporis: sed significat esse in aliqua parte temporis; quia cum sit quædam intrinseca pars temporis, se habet ad rẽ temporalem vt quædam mensura extrinsecus denominans: & ex eo quod res quæ est in tempore, habet quemdam ordinem ad illam partem temporis à qua mensuratur, & denominatur, consurgit relatio, vt de alijs dictum est.

SECTIO Quarta.

Sex vltima Prædicamenta nõ sunt quædam absoluta simul cum respectibus: neque dicunt purum respectum, neq; simpliciter quid absolutum, neque relationes in alijs relationibus fundatas, significant.

QVidam considerantes ea quæ in tribus Prædicamentis reponuntur esse quædam absoluta, vt Substantia, Quantitas, Qualitas, eo quod eorum esse, est esse ad se solũ, & non ad aliud; & ea quæ in tertio collocantur, esse puras relationes, eo quod totum esse ipsorum est ad aliud esse; ideo vt sex reliqua à superioribus distinguerent, dixerunt non esse simpliciter absoluta, vt tria prædicta, neque totaliter respectiua, vt tertium, sed inter ipsa quasi media, significare quid absolutum cũ respectu. Exempli causa: Vbi, quod est vnum de sex vltimis, significat locum, simul cum respectu ad locatum; Habitus significat vestem, cum respectu ad vestitum; Quando, significat tempus, cum respectu ad rem temporalem; nos autem hanc primam Conclusionem statuimus.

CONCLVSIO I.

SEx vltima Prædicamenta, non significant quid absolutum simul cum respectu. Probatur his medijs.

1 Conceptus Prædicamentorum sunt simplicissimi, ergo sex vltima Prædicamenta non significant absolutum cum respectu: consequentia fit nota ex eo, quod significare absolutum cum respectu non est conceptus simplex, sed compositus ex absoluto, & respectiuo. Antecedens probatur dupliciter. Primò authoritate Aristotelis in libro 5. Metaph. textu 33. vbi dicit, quod vnũ Prædicamentum non resoluitur in aliud: habet .n. hæc verba: Diuersa genere sunt, quæcunque secundum diuersam figu-

Cõceptus Prædicamẽtorum sunt simplicissimi

figuram prædicationis Entis dicuntur. Quædam enim entium quid est significant; quædam autem quale; quædam verè vt est prius diuisum; hæc .n. non resoluuntur in inuicē, nec in vnum quiddam. sed si ex absoluto, & respectiuo aggregarentur, tunc vnumquodque horum sex resolueretur in absolutum, & respectiuum, verbi gratia. Vbi in Quantitatem: quia locus est Quantitas, & in Relationem, Habitus in Substantiam, & in Relationem, & sic suo modo de singulis:

2 Confirmatur idem Antecedens authoritate Auerrois, qui in libro 8. Metaphys. Com. 16. inquit, quod genera generalissima sint simplicia.

3 Præterea, ad eamdem Conclusionem. Quidquid significat Ens diuersorum generum, significat Ens per accidēs: sed nullum ex sex vltimis Prædicamentis est Ens per accidēs, ergo nullum ipsorum significat Ens diuersorum generum; ergo sex vltima Prædicamenta non significant absolutum cum respectu. Maior est Aristotelis in libro 5. Metaph. textu 13. Minor probatur: de Ente per accidens non habetur scientia, vt in lib. 7. Metaph. dicitur: sed de Prædicamentis habetur scientia, quatenus de partibus ipsorum quæ sunt genera, & species, probantur passiones, & proprietates, ergo non sunt Ens per accidens.

4 Præterea, Si Prædicamenta significant quid absolutum cum respectu; ergo non sunt termini vniuoci, quod est falsum; falsitas ex eo fit manifesta, quod vnumquodque prædicatur vniuocè de suis inferioribus. Consequentia probatur: quia immediatè significarent plura. Hanc Conclusionem habet Caietanus, in libro Prædicamentorum Tractatu 2. ad calcem Commentarij in capite de Agere, & Pati. Iauellus, in lib. 5. Metaph. quæst. 23. Conclusione 3. Petrus Fonseca in eodem libro, cap. 7. quæst. 5. sect. 2. & cap. 15. quæst. 7. sect. 1. neque alia ratione indiget, eo quod ferè omnibus sit probatissima.

CONCLVSIO II.

1 Sit Secunda Conclusio. Sex vltima Prędicamenta non significant puram Relationem. Probatur his rationibus: Prædicamenta sunt Primò diuersa, vt Aristoteles in li. 10. Meta. tex. 12 dicit qđ est dicere vnū Prędicamētum negatur immediatè de altero: ergo quemadmodum hæc Propositio est immediatè vera: Substantia, aut Quantitas, vel Qualitas, non est Relatio, sicut etiam ex libro 1. Poster. cap. 11. elicitur, ergo, & hæc est immediatè vera: Actio non est Relatio; Quando non est Relatio, & sic de alijs.

2 Præterea, Ad nullam Relationem est per se motus, vt in libro 5. Physicorum tex. 10. dicitur: sed ad Prædicamentum Vbi, est per se motus, vt in eodem

dem libro 5. textu 18. dicitur, ergo Vbi, non est Relatio.

Quod si quis respondeat, Aristotelem intelligere de Relationibus intrinsecus aduenientibus, non autem de his quæ extrinsecus accedũt, iam supra est ostensum, hanc solutionem esse falsam, ob id ratio tenet.

Sect. 2.

Totum esse Relatiuorũ est esse ad aliud.

3 Præterea, Totum esse Relatiuorum, est esse ad aliud, vt Philosophus in cap. de Ad aliquid docet; sed totum esse sex vltimorum Prædicamẽtorum, non est esse ad aliud, ergo sex vltima Prædicamenta nõ sunt purè Relatiua. Minor probatur de singulis inductiuè, Actio & Passio, sunt idem quod motus; Vbi, est esse in loco; Habitus, est esse in hoc, aut in illo tempore; Quæ omnia se habent per modum quarumdam formarum extrinsecus denominantium: sicut esse album, est intrinsecè ab albedine denominari.

Habitudo Relatiuorũ non est ad subiectum, sed ad terminũ ad quem.

4 Præterea, Habitudo Relatiuorum non est ad subiectum quod denominant, sed ad terminum ad quem sunt: verbi gratia Habitudo, qua aliquid dicitur simile, non est ad subiectum quod simile denominatur, sed ad terminum cui dicitur simile: sed habitudo sex vltimorum Prædicamentorum non est ad aliquem terminum, sed ad subiectum, quod denominat, licet sit extrinseca, ergo, &c.

5 Nullum Relatiuum denominatur à suo Correlatiuo: nam pater non denominatur à filio, sed à paternitate quæ ipsi inest: sed locatum à loco habente se, sic per modum formæ, dicitur locatum, & vestitum ab Habitu, & sic de singulis; ergo sex vltima Prædicamenta non significant puram Relationem. Hanc Conclusionem habent Iauellus in lib. 5. Metaph. quæst. 23. Conclusione prima. Dominicus Sotus, in lib. 3. Physicorum, quæstione prima, Conclusione 5. & in libro 5. quæst. 2. art. 2. Conclusione 2. Toletus de sex Principijs, capite de Quando.

CONCLVSIO III.

SIt Tertia Conclusio. Sex vltima Prædicamenta non significant quid absolutũ simpliciter idest nullo addito.

1 Probatur. Si sex vltima Prædicamenta dicerent aliquid absolutum simpliciter, idest nullo addito, ergo à prædictis tribus Prædicamentis non distinguuntur, sed Consequens est falsum, ergo & Antecedẽs. Consequentia probatur. Si Quando dicit tempus simpliciter, & Vbi, & Situs, dicunt locum simpliciter, & Habitus dicit indumentum simpliciter: Dum tempus & locus sint in Prædicamento Quantitatis, & indumentum in Prædicamẽto Substantiæ, fit manifestum, quod distincta Prædicamenta ab illis tribus non constituũt. Falsitas deinde patet ex eo, quod Prædicamenta sunt diuersa, vt in lib. 10. Metaph. dicitur, ita, vt de singulis formetur

metur propositio negatiua immediata, dicendo hoc non est illud, quod in libro 1. Posteriorũ, capite 11. quoq; habetur.

CONCLVSIO IIII.

Opinio Capreoli. Sit Quarta Conclusio. Quattuor vltima Prædicamenta non significant respectus fundatos super alios respectus. Hæc Conclusio est cõtra Ioãnem Capreolum, qui lib. 2. Senten. dist. 2. quæst. 1. & in lib. 4. dist. 4. quæst. 1 in solutionibus quarumdam obiectionum Scoti, sustinet quattuor vltima Prædicamenta, nempè, Quando, Vbi, Situs, & Habitus, esse quasdam Relationes fundatas super alias Relationes. Quam opinionem Paulus Soncinas, in lib. 5. Metaph. quæst. 41. censet esse probabilem. Sed vt Capreoli positio percipiatur, sciendum, quod secundum diffinitiones à Gilberto assignatas, Quando, est adiacentia tẽporis; Vbi, est circumscriptio corporis ex loci circumscriptione procedens; Positio, est quidam situs partium; Habitus est adiacentia eorum quæ circa corpus sunt: penes enim adiacentiam temporis ad rem temporalem, sicut mensuræ ad mensuratum, oritur respectus, qui dicitur Quando; penes adiacentiam loci ad totum corpus locatum, secundũ quod locus continet, & corpus continetur, causatur respectus Vbi; penes adiacentiã loci ad partes locati, & partium ad inuicem, & ad locum, causatur Positio: ita quod Vbi, & Positio fundantur super continentiam passiuam locati, & eius partium à loco; & Habitus fundatur super continentiam, secundum quã contentum dicitur habere continens, & continens dicitur haberi à contento. Quapropter, iuxta mentem ipsius, dicitur, quod illa Relatio, quæ resultat ex illa Relatione, qua locatum refertur ad locum, constituit Prædicamentum Vbi; & eodem modo sentit de reliquis, videlicet quod Relatio fundata super Relationem, qua vnum ad aliud refertur, constituit singulum Prædicamẽtum. Hac declaratione posita, Capreol⁹ infert quattuor.

Primum, Isti respectus constituentes hæc Prædicamenta, non sunt de genere Relationis: quia hæc fundantur immediatè super aliquam rem absolutam: & isti respectus fundantur super Relationes reales: nam super Relationem realem locati ad locum, quæ Relatio est de genere Relationis, fundatur ille respectus qui dicitũr Vbi; & de alijs idem dicẽdum est.

Secundum; Ad talem respectum, qualis est Vbi, potest esse motus per se, licet ad genus Relationum non sit: at verum est, quod Vbi, in loco nunquã acquiritur, nisi acquiratur prius aliquod absolutum, non quidem intrinsecè, sed extrinsecè, nimirum locus.

Tertium; Hæc quattuor genera sunt minoris entitatis quàm

quam Relatio, quod ex eo fit manifestum: quia in ipsa fundantur; sicut etiam Relatio dicitur minoris entitatis in sua ratione formali, quàm Entia absoluta, quia in his fundantur.

Quartum; Relationes de genere Ad aliquid, reperiūtur in naturis corporalibus, & spritualibus: sed respectus harum quattuor reperiuntur in corporalibus tātum, eo quod consequuntur aut locum, aut tempus, aut aliquid tegens, quæ omnia sunt corporum, & corporalium.

Iauellus in lib. 5. Metaph. q. 23. Sotus, & Fōsecā vbi supra.

1 Contra hanc positionem sic arguitur. Illi respectus sup alios fundati, vel sunt respectus sm esse, aut sm dici; nō .n. aliud genus Relationū ex Aristotele colligitur; si secundum esse, ergo à Relationibus quæ sunt de genere Ad aliquid, nō distinguuntur: si secundum dici, ergo non sunt veri respectus, & veræ Relationes: etenim, huiusmodi Relationes secundum dici, significant prius rem absolutam, sed quia nisi per respectum ad aliud explicari nequeunt, ob id Relatiua dicuntur; vt notū est de scientia, quæ est Qualitas, sed quia absque obiecti cognitione explicari nequit, eo quod sit illius adæquata cognitio, ideo Relatiuum secundum dici nuncupatur.

2 Præterea, Quemadmodum aduersus Scotum dicebatur, Aristoteles in lib. 5. Metaph. textu 20. satis abundè aperuit omne genus Relationis fundari aut super Quantitatem, aut super Qualitatem, aut super Actionem, & Passionem, ergo nulla Relatio super Relationem fundatur, alioquin Philosophus defecisset non assignando quid aliud.

3 Præterea Relatio producitur ad productionē sui fundamenti, vnde fundamentum est per se terminus productionis; ergò si Relatio est per se terminus Relationis, ergo Relatio est per se terminus productionis, siue motus, quod est falsum, sicut Aristoteles in libro 5. Physicorum demōstrat. Concludatur igitur, sex vltima Prædicamenta, neque esse Relationes extrinsecus aduenientes; neque significare aliquid absolutum cum respectu; neque puram relationem; neque quid absolutum simpliciter; neque respectus super alios respectus fundatos, vt dictum est.

SECTIO Quinta.

Obiectiones aduersus singulas Conclusiones proponuntur. Contra primam Conclusionem.

1 QVod significent absolutum simul cum respectu, probatur. Ammonius in Prædicamentis, capite de Actione, inquit sex vltima Prędicamenta esse quasdam præceden-

cedentium Prædicamentorum cōplicationes:&sic scribit:Cęterum vt id quoque intelligamus, propriè inquam,Prædicamenta quattuor esse: sex verò reliqua ex mutuo horum complexu fieri, nam fiunt cōplicita reliquis, Substantia, Quanto inquam,Relatione,& Quali.

Vide in Disp. 4. Sect. 4. Suff. 3.

2 Præterea,Si sex vltima Prędicamenta dicunt quid absolutum, igitur quo modo à tribus prioribus distinguuntur?si quid Relatiuum, quonam igitur pacto à Relationis genere seiūguntur?ergò, vt ab his omnibus seiuncta reperiantur,necessarium est dicere, eamet quid absolutum cum respectu significare.

Aduersus secundam.

1 QVod purum respectū significent, sic probatur.Illa quorum totum esse est Ad aliud esse, significant puram Relationem:sed totum esse sex vltimorum Prædicamentorum est Ad aliud esse, ergò significāt puram Relationem. Maior ex diffinitione Relatiuorum ab Aristotele assignata fit manifesta. Minor probatur per singulorum diffinitiones à Gilberto positas, sic. Quando, est adiacentia temporis; Vbi, est circumscriptio corporis; Positio, est ordo partium; Habitus, est adiacentia rei habitę circa corpus;Actio, ad Passionem, & Passiio ad Actionem referri videtur:igitur cum adiacentia, circumscriptio, & ordo, sint Relationes, sequitur, sex vltima Prædicamenta esse Relationes.

2 Confirmatur authoritate Aristotelis, qui ad initium capitis Ad aliquid, numerat Positionem,& Habitum,in genere eorum quæ sunt Relatiua; inquit enim sic. At verò, sunt etiam hæc Ad aliquid: vt Habitus,& Positio:hęc .n. omnia quæ dicta sunt, hoc ipsum quod sunt, aliorum esse dicuntur; vel quomodolibet aliter ad alterum, & non aliud aliquid. Habitus .n. alicuius est habitus, & Positio alicuius est positio. Hæc sunt Aristotelis verba, quibus asserit quædam horum sex Prædicamentorum puram Relationem dicere.

3 Cōfirmatur hoc assertum ex sententia Auerrois, qui in libro sexto Physicæ auscultationis,in Commento 85. ita scribit. Declaratum est, quod in Prædicamento Situs, nō est motus,quia est Ad aliquid.

Aduersus Tertiam.

1 PRobatur sex vltima Prædicamenta significare quid absolutū simpliciter idest nullo addito. Quando, non distinguitur realiter à tempore, imò est eadem entitas quæ tempus; neque Actio, & Passio,à motu; neque Situs à loco;Habitus est idem quod Substantia,eo quod vestis,anulus, arma, & huiusmodi sunt Substantia; Quæ omnia sunt quid absolutum simpliciter, idest nullo addito; igitur sex posterio-

riora Prædicamenta significāt quid absolutum simpliciter. Minor propositio est manifesta. Maior in hac Disputatione sæpè deducta fuit.

Aduersus Quartam.

1 ESse quosdam respectus super aliosfundatos, his medijs probatur. Auerroes in lib. 5. Metaph. Com. 28. sic scribit. Numerus respectuum qui demonstratur per Habere, est secundum numerum respectuum, qui demonstratur per hanc dictionem (In) sed hæc præpositio (In) dignius dicitur de respectu contenti ad continens; & hoc verbum, Habere, dicitur dignius de respectu continentis ad contentum. Ex quibus verbis manifestat Commentator, prædicta quemdam respectum significare.

2 Præterea, Aristoteles in textu 25. eiusdem libri, inquit, quod Habitus, puta vestitio, est quoddam medium inter habentem, & rem habitam: sed hoc medium non videtur aliud esse, nisi quidam respectus: nam realiter non est Actio, & Passio, nisi secundum modum significandi, ergò habitus dicit respectum. Idem de alijs tribus affirmatur, cum nō sit maior ratio de vno, quam de alio.

3 Præterea, Opinio Ioannis Capreoli videtur Sententia S. Thomæ, qui in lib. 5. Metaph. lect. 17 assignans sufficientiam trium modorum relatiuorum, loquens de vltimis Prædicamentis, ait: Alia verò genera magis Relationem consequuntur, quàm possint Relationem causare: nam Quando consistit in aliqua Relatione ad tēpus; Vbi, ad locum; Positio autem ordinem partium importat, Habitus Relationem habentis ad habitum; Vnde apparet ad mentem S. Thomæ, vltima Prædicamenta quemdam respectum significare.

SECTIO Sexta.

Dilutio omnium obiectionum. aduersus primam Conclusionem.

AD primum Contra primam Conclusionem respondetur, intentionem Ammonij non esse, quod sex vltima Prædicamenta sint complicationes absolutorum cum respectibus, cum de sua natura sint simplicissima: sed quia non nisi per quamdam comparationem ad reliqua Prædicamenta explicantur, propter hoc dixit esse complicationes absolutorum cum respectibus.

Obiectio. Contra probatur hanc solutionem non esse ad mentem Ammonij: hic namque Philosophus habet hæc verba, cum de decem Prædicamentis loquitur. Entium quædam sūt Relatiua; quædam respectu carent, vt priora quattuor, quæ pro-

propriè ac primùm Prædicamenta appellantur, cum sint simplicia: reliqua verò sex, fiunt Substantia, tribus reliquis complicata, Quanto inquam, Relatione, & Quali; nam Substantia Quanto iuncta, efficit Quando, & Vbi, siquidem tempori connexa, facit Prædicamentum Quando: loco verò sociata, conficit Vbi; & hoc modo de reliquis probat, iuxta vniuscuiusque naturam, vt in Disp. 4. sect. 4. Sufficientia 3. scripsimus. Et ita videtur mens Ammonij, quod hæc sex Prædicamenta significent quid absolutum cũ respectu.

Solutio. Respondetur, propositam solutionem esse ad mentem Ammonij, imò, si illius verba animaduertantur, ipsa luce clarius fiet, Ammonium in capite de Agere, & Pati, non loqui tantùm de sex Prædicamẽtis, sed etiam de rebus quæ in illis sunt, & ab illis denominantur; & quia non nisi per respectum ad ipsas res explicari benè possunt, ideo dixit reliqua sex fieri Substantia tribus reliquis complicata: quod in vnius exemplo ab ipso assignato, manifestatur. Inquit .n. sic. Substantia iuncta Quanto, duo Prædicamenta efficit, Quando, & Vbi, nam tempori sociata Prædicamentum facit Quando, significat .n. Quando, neque Substantiam dumtaxat, neque tempus, sed Substantiam quæ sit in tempore: significatiuum autem est in tempore Quando, secundum partes illius videlicet presens, præteritum, futurum, & sic de singulis suo modo ibidem exemplificat. videatur Ammonius.

Explicantur verba Ammonij.

Ad secundum dicitur, sex vltima Prædicamẽta à primis quattuor distingui in eo, qđ hæc priora intrinsecam denominationem faciunt; posteriora verò extrinsecam; connotando respectum, vt infra dicetur.

Soluuntur argumenta contra secundam Conclusionem.

AD primam aduersus secundam negatur Minor, scilicet, quod totum esse sex vltimorum Prædicamẽtorum sit esse ad aliud.

Ad probationem sumptam ex ipsorum diffinitione assignata ab Authore sex principiorum: Respondetur ipsum Authorem inter Philosophos non esse tantæ authoritatis vt persistendum sit in omnibus quæ dixit. Vel dicatur, quod nomine adiacentiæ, & circũscriptionis intelligit quasdam formas per modum adiacentium se habẽtes, atque extrinsecus denominantes.

Ad confirmationem acceptam ex Aristotele, multis modis respondetur: quidã dicunt diffinitionem Relatiuorum ad initium eiusdem capitis non esse positam ab Aristotele tanquam bonam, & ex propria sentẽtia: sed est diffinitio quæ suo tempore circũferebatur:

Conside-ratio circa initiũ capitis de Ad aliqd

quam Boetius testatur fuisse Platonis. Quapropter in toto capite vsque ad textum septimum multa dicit, non vt sibi probata, sed ab eo inducta vt inconuenientia, quæ ad illam diffinitionem consequuntur; & quibus insufficiētiam illius manifestet, & propriam concludat. Alij dicunt Positionē assignari ab Aristotele inter ea quæ sunt Ad aliquid, non quod in eo genere verè contineatur, sed quia per modum Ad aliquid significat. Quo etiam modo Authoritas Auerrois intelligitur, qui secundũ famositatem loquebatur de Positione. Consule Caietanũ in capite de Agere & Pati.

Diluuntur rationes aduersus tertiam Conclusionem.

AD primum contra tertiã Conclusionem conceditur, Quando, non distingui re ipsa à tempore: neque Vbi à loco, vt suis locis dicetur, neque Actionem, & Passionem à motu; distinguuntur tamen formaliter siue conceptu quidditatiuo, quia vnumquodque in sua diffinitione includit aliquid, quod nec tempus, nec locus, nec motus includunt. Ideo non significant quid absolutum simpliciter, idest nullo addito: De Habitu postea negatur quod non distinguatur à Substantia: non enim Habitus est idem quod indumentum vel anulus, vt argumentum contendit: sed est esse vestitum, vel habere vestem, taliter circa corpus cōpositam: nam si habitus materialiter sit Substantia, formaliter est Accidēs. Vel dicatur, quod cum dicitur sex posteriora Prædicamenta esse Accidentia rerum quas denominant: accipitur nomen Accidentis, vt sonat idem quod accidentarium prædicatum de prima Substantia quomodocunque ad ipsam se habeat.

Quando non distinguitur à tēpore neque Vbi, à loco secundum rem, sed secundũ rationē.

Refelluntur argumenta contra quartam Conclusionem.

AD primum aduersus quartam Conclusionem respondetur, quod intētio Auerrois in illis verbis non est, qđ sex posteriora Prædicamenta de suo principali significato dicant Relationes: præcipuè cum in capite 5. Præd. insinuet eamet significare quid absolutum: sed intendit quod hæc Prædicamenta non explicantur nisi per quosdam respectus quos non significant, sed connotant in ipsorum secundaria significatione. Si quis autē obijciat Auerroem eo in loco eam tenere sentētiam; teneat: tunc enim concesserit motũ de necessitate esse ad Relationem; quod affirmatum non solum Aristoteles in lib. 5. Physicorum, sed & Auerroes ibi Com. 10. negat.

Ad Secundum in solutione Scotisticarum rationum, iam dictum est, propterea ab Aristotele Habitum vocari medium inter habentem, & rem habitam; perinde ac motus est

est medium inter id quod agit, & id quod patitur: quia sicut agens, & patiens denominantur à motu, ita à circumpositione vestis, homo dicitur habere vestem, & vestis dicitur haberi ab homine: nō tamen exinde sequitur, illud medium esse respectum, sicut argumentum contendit.

Ad Tertium quod ex authoritate S.Thomæ procedit, Respōdetur, quod cum S.Thomas pluribus in locis multa dicat, nunc propriam, nunc alienam sententiam proferendo: Thomistæ tamen ex his quæ in libro 3. Physicorum textu 22. in assignatione 10. Prædicamentorum illius propriam sententiam colligunt. Etenim hoc in loco sentit posteriora Sex Prædicamenta significare quid absolutum cum extrinseca denominatione: vnde illius Discipuli aiunt, quod vbicumque S. D. videtur dicere ea significare respectum, debuisse intelligi connotatiuè, vel consequutiuè: ex eo.n. quod extrinseca denominatione subiectum denominant, consurgit quidam respectus inter denominans, & denominatum: qui respectus ab his Prædicamentis non significatur, sed connotatur: nam connotare est aliud à significare: sicut accidens concretum cōnotat subiectum, quod tamen non significat.

Vide Iauellum in lib. 5. Metaph. q. 23.

SECTIO, Septima.

Sex posteriora Prædicamenta sunt formæ extrinsecus denominantes: dicunt quid absolutum non simpliciter: sed cum extrinseca denominatione: atque respectum quemdam connotant.

VT huius propositæ dubitationis veritas intelligatur.

Sit primum notandum, tribus modis aliquid denominari potest:

Primo modo ab aliquo absoluto intrinseco: quod intrinsecum duobus modis contingit inesse: vel idēticè, eo quod denominans, & denominatū sunt vnam et res, vt si dicatur: Socrates est homo, aut animal, vel Substantia: & hæc denominatio in Prædicamento Substantiæ reperitur. Altero modo per inhærentiam ipsi denominato, eo quod Denominās inest ipsi subiecto quod denominat, vt si dicatur: Plato est tricubitus aut albus. Quantitas enim, & Qnalitas sunt formæ absolutæ ipsi Platoni inhærentes, ac propterea ipsum intrinsecè denominantes: & ita hæc duo Prædicamēta cum sint absoluta, & intrinseca, absolutè, & intrinsecè denominant.

Res denominatur à trib. modis.

Secundo modo principali,

aliquid denominatur ab aliqua forma intrinseca, quæ inest formaliter ipsi subiecto quod denominat: verumtamē ex sua natura importat aliquod extrinsecum tanquam terminum, ad quod denominatum relatiuè se habet, & hoc modo Relatio denominat suum subiectum. verbi gratia. Paternitas est formaliter in patre, & est quędam forma à qua Socrates denominatur intrinsecè pater. sed importat aliquod extrinsecum tanquam terminum, scilicet filiationem vel filium, ad quem Socrates Pater relatiuè se habet.

Tertio modo aliquid denominatur ab aliquo extrinseco, quod rei denominatę nō inest. quo modo sex vltima Prædicamenta denominant subiectum: non .n. Vbi, aut Quando, aut Situs, aut Habitus, sunt intrinsecè in re locata, temporali, situata, vel habente; sed per modum formarum extrinsecè tamen ad eas se habent: idem de Actione quoque affirmatur, & Passio quamuis in re patiente reperiatur; tamen ab extrinsecò aliqualiter denominat, vt suo loco dicetur.

Significare, & connotare aliquid differunt. Sit Secūdum notandum, maximum discrimen reperiri inter significare aliquid, & connotare ad ipsum. Significare aliquid, est de suo principali, & formali significato illud ipsum importare: quo quidem modo Auerroes in lib. 5. Metaph. cōtra Auicennam Com. 14. ait Accidentia in concreto puta Album de sua principali significatione dicere formam: & Aristoteles in capite de substantia inquit, album puram qualitatē significare. Sed connotare est dicere id ipsum in obliquo siue de sua secundaria significatione; quo pacto album, quia significat albedinem in subiecto existentem; ideo ipsum subiectum, cui albedo inest, secundario significat, & ipsum connotare dicitur.

Nullus terminus æque primo significat conceptum absolutum, & respectiuum. Sit Tertium notandum nullo modo fieri potest quod aliquis terminus æquè primò significet conceptum absolutū & relatiuum; alioquin talis terminus non esset vniuocus, cum plura immediatè significaret. sed quod de sua primaria significatione significet cōceptum absolutum, atque de secundaria relatiuum connotet, hoc fieri potest: quod in omnibus relatiuis secundum dici contigit. his dictis ponuntur Conclusiones sequentes.

CONCLVSIO I.

Sex vltima Prædicamenta, quid significent. Sex posteriora Prædicamenta de principali ipsorum significatione significant quid absolutum cum extrinseca denominatione. Conclusio habetur expressa ex S. Thoma in lib. 3. Physicorum super textum 22. vbi Prædicamētorum sufficientiam per diuersos modos prædicandi assignans, inquit. Tertius modus prædicandi est, quando aliquid extrinsecum prædicatur de aliquo per modum alicuius denomi-

na-

nationis; & apponit exempla de sex vltimis Prædicamentis; idem quoque asserit in lib. 5. Metaph. lectione nona. hunc modum dicendi sequuntur Herueus quol 3. q. 9. Paulus Soncinas in lib. 5. Metaph q. 40. Iauellus ibidem q. 23. Caietanus in Categorijs in capite de sex vltimis Prædicamentis. Dominicus Soto in lib. 3. Physicorum quæst. 1. conclusione 5. & in lib. 5. quæst. 2. art. 2. Concl. 2. aduersus Scotum, & in capite ad aliquid quæst. 1. ad tertium, & in capite de sex Prædicamentis. Toletus in singulis tractatibus horum Prædicamentorum. Petrus Fonseca in lib. 5. Metaph. cap. 15. quæst. 7. sect. 3. & 5 & sic videtur sensisse Burleus ad initium Com. de sex principijs, vbi quærit. Cur ille liber intituletur de sex principijs, & nō de sex Prædicamentis; quia inquit sunt formæ ab extrinseco aduenientes, & ab extrinseco denominantes: pro posita verò conclusio sic probatur.

1 Ea quæ in Prædicamentis reponuntur non sunt aggregata ex absolutis, & respectiuis entitatibus; sicut in prima Conclusione sect. 5 dicitur: neque purum respectum dicunt: neque quid absolutum simpliciter, idest nullo addito significant: neque respectus super alios respectus fundatos, vt ibidem de his omnibus ostensum est: ergo remanet quod significent quid absolutum denominans extrinsecè subiectum.

2 Preterea Aristoteles in lib. 3. Physicorum textu 18. inquit quod actio motoris, & moti est eadem, quemadmodum est idem spatium in respectu duorum: & in textu 20. ait, nullum esse inconueniens quod vnius actus in altero reperiatur, sicut doct o est actus docentis in quodam tamen nimirum in addiscente: idem affirmat in lib. 2. de anima textu 140. igitur ex verbis Aristotelis colligitur quod actio respectu agentis est forma, quia actus; & extrinsecè denominans agens, quia in eo non est.

Obiectio. Si quis obijciat quod Aristoteles accipit Actionem non essentialiter, sed concomitanter pro forma facta. *Solutio.* Contra arguitur per Auerroē in com. 18. vbi Philosophi verba explanans ait; Actio .n. motoris quæ est mouere, est eius non in eo, & hoc intendebat Aristoteles, motor .n. C. idest actio. N. motoris est facere motum in alio. ergo actio non accipitur pro forma facta, vt ab Actione distinguitur, sed pro ipsa productione motus, & formæ.

3 Præterea Aristoteles in libro 9. Metaphysicæ textu 16. inquit quod vbi præter operatione est aliquid operatum, operatio est actus facti, vt ædificatio in ædificato, & contextio in contexto, & vniuersaliter motus in moto. Nec dici potest quod Aristoteles ibi accipiat Actionem concomitanter idest pro effectu actio-

nis: nam S. Thomas exponens Philosophi mentem eo in loco inquit, quod huius dicti ratio est, quia quando per operationem potentiæ constituitur aliquod operatum, illa operatio perficit operatum, & nõ operantem: constat autẽ quod operatum non perficit seipsum operatum; ergo actio non accipitur pro operato per Actionem, sed pro ipsa essentia Actionis.

4 Præterea Prædicamentum Vbi, quod sit vt forma extrinsecè denominãs, fit notum ex eo quod per motum localem, qui ad Prędicamentum Vbi reuocatur, non acquiritur aliud per se nisi locus: quod est Aristotelis assertum in lib. 8. Physicorum textu 59. dicentis; sola latione nihil in his quæ insunt ipsi, (hoc est mobili) mutatur, idest per se abijcitur aut acquiritur, sicut cum aliquid alteratur, aut cum accrescit, & decrescit in quantitate fit aut in qualitate mutatio. Verumtamen cum sit manifestum mobile ad locum, per motum acquirere ipsum locum ergo locus erit quid absolutum denominans extrinsecè subiectũ: hinc S. Thomas de Potentia quæst. 6. art. 3. appellauit motum localem primum, & perfectissimum, eo quod ipsam rẽ non variet quo ad intrinseca, sed solum quo ad aliquid extrinsecum scilicet locum.

Vbi denominet extrinsecè.

Confirmatur, si per motum localem acquirit mobile aliquam entitatem à qua intrinsecè denominatur: aut ipsa est absoluta aut respectiua: non absoluta quia non apparet quid sit. non respectiua, quia ad respectum nõ est per se motus, sicut in lib. 5. Physicorum textu 10. dicitur.

5 Præterea Quod Situs denominet extrinsecè, sic manifestatur. Cum qui sedet surgit, aut qui stabat sedet, motus est per se primò ad nouum locum secundum partes: nam Situs dicit ordinem partium inter se respectu loci: sed locus denominat locatum extrinsecè, ergo, & Situs.

6 Præterea locus est prior Situ, & aliquid non potest habere Situm, quin locum habeat: cum locus in diffinitione Situs sumatur, sicut Auerroes in lib. 4 Physic. Com. 45. scribit. ergo cum locus extrinsecè denominabit.

7 Præterea Prædicamentum Quando, significat esse in aliqua parte temporis mensurantis rei substantiam, vel operationem, vt heri, hodie, cras, mane, sero: sed tempus est mẽsura extrinseca rei tẽporalis, vt docet Aristoteles in libro quarto Physicorum, ergo, & quando est mẽsura extrinseca.

8 Præterea Habitus est esse vestitum, vel habere vestem tali modo corpori coaptatam: sed manifestũ est quod vestis non inhæret, sed extrinsecus adiacet rei vestitæ: ergo habitus extrinsecè denominat. Cõcludatur igitur huiusmodi Prędicamenta de principali significatione significare quid absolutum, cum denominatione tamen

tamen extrinseca. dicũtur formæ eo quod ad instar formarum se habent respectu subiectorum quæ ab illis extrinsecus denominantur. hinc Sanctus Thomas in libro 3. contra gentes capite 28. ratione secunda comparauit locum formæ, eo quod locus contineat locatum, extrinsecè tamen: in quo à forma propriè dicta discrepat. quod de reliquis etiã est asserendum.

CONCLVSIO II.

Sit secunda Conclusio. Quãuis sex posteriora Prædicamenta significent absolutum cum denominatione extrinseca: ad hanc tamen denominationem consequuntur quidam respectus inter denominans, & denominatum, quos non significant. Hæc Conclusio habet duas partes, quarum prior sic probatur: Denominans quòd aliquod subiectum denominat: & Denominatũ propter hoc dicitur denominatum, quòd ab aliqua forma denominatiua denominatur: ergo inter denominans, & Denominatum consurgit quidã respectus. Posterior sic manifestatur. Sex Posteriora Prædicamenta significant quid absolutum; ergo si etiam respectum significant, tunc significabunt aliquod vnum per accidens, quod supra reprobatum est.

CONCLVSIO III.

Posteriora sex Prædicamenta sunt relatiua secundum dici: quæ non sunt verè relatiua, sed res absolutæ, quæ nihilominus explicari nequeunt nisi per respectum ad res à quibus dependent. Conclusio sic probatur. Cum substantia sit omnium rerum fundamentum, in ipsis rebus tria sunt cõsideranda, aut id quod est substantia; aut accidens quod formaliter substãtiæ inest; aut res quæ extrinsecus circa substantiam sunt. Res primi generis sũt in Prędicamẽto substãtiæ. Res secundi generis, sunt in tribus reliquis Prędicamentis, si .n. accidens quod formaliter inest substantiæ est absolutum, aut est Quãtitas aut Qualitas, si respectiuum est ad aliquid. Res tertij generis pertinent ad sex vltima Prædicamẽta. Hinc duæ differentiæ colligũtur inter tertium, & sex posteriora Prædicamenta. Prior est quod Relatio formaliter est in subiecto quod ab illa denominatur, vt Paternitas est in Socrate qua ipse dicitur Pater, & ad filium refertur. Sed esse in foro (quod est Prædicamentum Vbi) nõ significat formaliter aliquam relationem quæ sit in Petro illic existente: sed illa denominatio fit ab extrinseco, puta ab eo foro. Similiter esse vestitum non significat formaliter relationẽ quę sit in homine vestito, sed signat vestem taliter se habentẽ circa hominem, quæ est extrinseca denominatio.

Differentia est inter genus ad aliqd & sex vltima gera.

Altera differentia est hac, quod esse relationis, putà esse patrem, aut esse duplum, est ad aliud esse: sed esse vestitum non est esse ad aliud, sed est habere taliter vestem; sicut esse album non est esse ad albedinē; sed habere in se albedinem; consequuntur nihilominus ad ea quidam respectus, sicut dictum est.

Dubitatio. *Modi vltimorum quattuor Prædicamentorū cōstituūt nouū Prædicamentū à suis formis.*

Dubitabit quis circa vltima quattuor Prædicamenta, cur modi ipsorum constituant nouum Prædicamentum à suis formis, quod in modis aliorū Prædicamentorum non contingit. Exempli causa, esse quātum non est alterius Prædicamenti ab ipsa quantitate: neque esse calidum est alterius Prædicamenti ab eo in quo calor reperitur: neque esse Patrem est alterius Prædicamenti ab eo in quo est paternitas: at esse in loco, vel tempore, & esse vestitum, Prædicamentum nouum constituunt ab eo in quo sunt locus tempus, vestis, seu Habitus & Situs.

Solutio.

Ad hoc respondetur quod modi aliorum Prædicamentorum sunt modi accidentis, vt accidens est, cuius est esse in subiecto, vt in libro 7. Metaph. dicitur: propterea concreta ipsorum nō faciunt aliud Prædicamentum ab abstractis; cū dicant modos eiusdem rationis, & naturæ cum abstractis: sed modi horum quattuor nō sunt modi accidentis, vt accidens est, cum non sint per modum inhærentiæ; nam esse in loco, tempore, sedere, aut esse vestitum non inhærent. Vnde Aristoteles explanans quid sit esse in subiecto, hos modos reiecit: ob id aliud Prædicamentum à suis formis, & ab abstractis constituunt.

DISPVTATIO Decima.

An termini concreti Accidentium significent primò formam, vel subiectum.

SECTIO Prima.

Proponuntur quædam notanda pro intelligentia Disputationis.

VT ea quæ in proposita Disputatione sunt dicenda, faciliori intelligentia percipiantur.

Sit primum notādum, quod aliud est, terminos concretos Accidentium significare aliquid, & aliud connotare aliquid. Significare aliquid est de suo principali & formali significato importare illud tātum, quod per nomen significatur: sed connotare est eamdem rem significare concernendo simul aliquid aliud, quod simul cum ea significari intelligitur. *Significare, & cōnotare aliquid, quid sint.*

Sit

Sit secundum notandum: Omnia Accidentia quatenus Accidentia habent vnum modum essendi, scilicet esse in alio; non enim sunt, nisi alicui insint, vnde Aristoteles in lib. 7. Metaph. textu 2. inquit, qd' Accidentis esse est inesse: sed habent duos modos intelligẽdi, eo quod intellectus sit aptus natus diuidere ea, quæ sũt in re adunata: nam quandoq; intelliguntur cointelligendo sibi subiectum cui insunt; & tunc dicuntur intelligi per modum Accidentis, cuius esse est in alio esse, quandoque verò intelliguntur solitariè, non cointelligendo eis subiectum, cui secundum rem insunt: tũc dicuntur intelligi per modum substantiæ, eo quod esse per se idest solitariè soli substantiæ conuenit.

Accidẽs dupliciter intelligitur.

Sit tertium notandũ: Quemadmodum Accidentia habent duos modos intelligendi, sic duos modos significandi habent. (Modi enim significandi super modos intelligendi fundantur, quia sicut intelliguntur, ita significantur.)

Accidens dupliciter significatur.

Primo modo significantur, consignificando subiectũ cui insunt: & tunc significantur per modum Accidentis, atque dicuntur significata siue Accidentia in cõcreto, vt album, calidum, dulce. Quandoque verò significantur ipsa sola, videlicet absque subiecti significatione; & tunc significantur per modum Substantiæ; & vocantur significata siue Accidentia in abstracto, vt albedo, caliditas, dulcedo, & similia.

Sit quartum notandum Accidentia abstracta, & concreta, quo ad rem significatam non distinguuntur, vnde albũ reipsa significat albedinem, & musicum musicam: vnde Aristoteles in capite de substantia, inquit, quod album nihil aliud significat, nisi qualitatẽ: at in modo significandi distinguuntur, penes consignificare subiectum, & non consignificare illud: album enim ipsam formam significat, sed importat quoque subiectum cui inest. Abstractum autem vt albedo, significat formam tantũ solitarie sumptam: quod discrimen ex modo concipiendi, & intelligendi tantum ipsorum oritur. Etenim cum illam Accidẽtariã formam per modum adiacentis alteri concipimus, atque ipsam vt alteri adiacenti nominamus, tunc concretum est: sed cum eamdem, quasi per se stantem, idest solitariè concipimus, & intelligimus, tunc abstractum nuncupatur.

Accidentia abstracta, & cõcreta sũt idem secundum rem.

Sit quintum notandum; sunt aliqui qui nos contradictionis arguunt, dicentes, quod in vno loco affirmamus Accidẽtia concreta qualitatem significare, vt album albedinem; Altero autem loco, puta in disputatione quinta de vniuersalibus diluc. 2. not. 3. idipsum negamus, quia dicimus cęcum esse nõ esse cæcitatem: at quis tam voluntariè cæcutiat, quin videat cum ibi fiat Disputatio

Defensio doctrinæ authoris.

tio de priuationibus, & negationibus, quæ quò ad suum formale sunt rationis entia, dicimus quod si, nullo intellectu considerante, homo sit cæcus, quia in eo non est visus, ipsa tamen cæcitas, cum sit pura priuatio, circa hominem formaliter non ponitur absque actu intellectus; quoniam vt Aristoteles ait, aliud est priuari, & aliud priuatio, aliud cæcũ esse, & aliud cæcitas. quod dictum non aliter debuisset intelligi nisi quod cæcum, & cæcitas differant sicut abstractũ, & concretum. vnde nunquam somniauimus quod accidens concretum priuatiuum, nempè cæcum non significet cæcitatem, vt ipsi nobis impingũt. significat quidem non minus quàm album albedinem significet, quapropter nos nullibi cũ proprijs dictis pugnamus. nunc verò aliud dictum addimus scilicet, quod accidentia positiua abstractè significata, absque vllo actu intellectus insunt formaliter ipsi subiecto, vt albedo inest Socrati albo; priuatiua verò abstractè significata, quia sunt rationis entia, ideo absque actu intellectus circa subiectum non ponuntur. videas tu Lector ea quę in Disputatione sexta sect. 4. huius libri de his entibus rationis, ad eamdem doctrinam defendendam scripsimus.

Accidentia priuatiua abstracta non insũt subiecto sine actu intellectus.

Sit sextum notandum quando in hac Disputatione quæritur an termini concreti Accidentium significent primò formam vel subiectum; intellectus est talis. Termini concreti, vt album, Musicum, & similes, non significant solam formam, sicut abstracti significant, sed etiam important subiectum cui insunt, ideò quęritur an de principali, & formali significatione ipsorum significent formam tantùm, subiectũ verò de secundaria, vel cõnotatiuè, siue ex consequẽti; aut potius è cõtra, de principali, & formali significato significent subiectum tantùm, de secundario autem, & ex consequenti ipsam formam. Omnes .n. in hoc consentiunt quod termini concreti Accidentium vtrũque significent: quid autem principaliter, & formaliter, subiectum vel formam, in hoc ab inuicem dissident.

Intellectus totius huius disputationis explanatur.

SECTIO Secunda.

Apud Auicenã Termini concreti Accidentium significant primò subiectum.

Avicennas in priori parte suę Logicę capite de Proprio, loquẽs de concretis Accidentium, existimat ipsa primò ac principaliter subiectum significare, minus verò principaliter, & insinuatiuè ipsam Accidentariam formam. Ad quam positionem fulciendam his

his rationibus mouetur.

1 Primo illud principaliter significatur per terminum cõcretum, quod est prius in essendo: sed subiectum est prius in essendo, quàm sit forma Accidentalis: ergo subiectum per nomen concretum prius significatur. Minor est Aristotelis in libro 7. Metaph. textu 4. vbi ait, quod substantia præcedit Accidens natura, cognitione, & tempore. Maior probatur sic. Res sicut se habet ad esse, ita ad intelligi: Significare etenim sequitur intelligere, & intelligere esse: igitur cũ subiectum sit prius Accidente, ideo prius intelligitur, & ita prius significatur.

2 Præterea, Illud primò per terminum concretum significatur, quod primò intellectũ constituit: sed terminus concretus constituit primò intellectum subiecti quàm formæ: ergo terminus concretus significat primò subiectum, quàm formam. Maior est Aristotelis in libro 1. Perihermenias capite de Verbo. Minor probatur, si dicatur albũ currit, ly album non stat pro ipsa albedine, sed pro re quæ est alba, & quæ currit.

3 Præterea, Terminus idem primò significat, quod primò supponit: sed terminus Accidentalis concretus primo supponit pro subiecto: ergo subiectum primò significat. Maior probatur, quia terminus supponens ex hoc quod supponit non habet nouum significatum. Minor probatur authoritate Aristotelis in libro 1. Poster. textu 55. vbi ait. Hoc est per Accidens album est lignum, quia significatur, quod illud cui album accidit est lignum: igitur illud cui vt subiecto album accidit, ibi supponitur primò per album. Hanc Auicennæ sententiam refert Auerroes, & S. Thomas in libro quinto Metaphysices, super textum decimum quartũ.

SECTIO Tertia.

Terminos concretos Accidentium significare simul aggregatum ex subiecto, & forma Accidentaria non nulli affirmant.

SVnt alij affirmantes terminos concretos Accidentium significare simul, & æquè aggregatum ex subiecto, & forma Accidentali, quod assertum his medijs corroborant.

1 Aristoteles in lib. 2. Topicorum, capite 2. in explanatione primi loci, dicit, quod albũ non est in genere, sed in generibus: quod non assereret, nisi album significaret aggregatũ ex subiecto, & forma Accidẽtali: ergo terminus concretus significat aggregatum ex subiecto, & forma.

2 Præterea, Auerroes in lib. 12. Metaph. Com. 39. in quadã digressione, vbi arguit contra

anti-

antiquos assignantes Trinitatem in Diuinis, habet hæc verba. Principale, & sumptum, idest abstractum, & concretũ (nam per principale intelligit abstractum, & per sumptum concretum) principale significat solam formam, sumptum seu concretum significat formam, & aliquid aliud. Sed hoc non videtur esse, nisi subiectũ, ergo terminus concretus significat aggregatum ex subiecto, & forma Accidentali.

3 Confirmatur per Aristotelem in lib. 1. Physicorum, tex. 21. vbi loqutus contra Parmenidem ait. Album non est vnum, neque secundum continuationem, neque secundum rationem: ratio enim albi est alia ab ea quæ est recipientis: super quæ verba ait ibi Auerroes, quod album significat albedinem, & recipiens albedinem; ergo terminus concretus non significat solam formam, sed aggregatum ex subiecto, & forma Accidentali.

4 Præterea Aristoteles in libro 7. Metaph. tex. 21. ait quod album, & musicũ propterea, quod duplex significat, non est verum dicere quod idem sit quidquid erat esse, & ipsũ: cuius dicti rationem reddens, inquit: album enim duo significat: ergo terminus Concretus significat aggregatum ex vtroque.

5 Preterea arguitur ratione. Illud significatur per nomen denominatiuum, quod per ipsum intelligitur, & per quod exponitur: sed per terminum denominatiuum prolatum intelligitur subiectum, & Accidens, ergo nomen denominatiuum significat subiectum, & Accidens: Primo aggregatum ex subiecto, & forma Accidẽtali. Maior patet Authoritate Aristotelis in libro 1. Periher menias, capite de Verbo, vbi ait, quod significare est intellectum constituere. Minor probatur, si proferatur hæc vox (albedo,) tũc quilibet absque dubio solam formam intelliget: sed si proferatur (album:) tunc subiectum cum forma intelligit.

6 Præterea Album dicit formam per modum Accidentis, cuius esse est subiecto inesse: ergo album non tantum formam, sed etiam subiectum dicit. Antecedens est notum per differentiam quæ est inter absolutum, & concretum. Consequentia ex se ipsa fit manifesta. quare.

SECTIO
Quarta.

Termini concreti Accidẽtium apud Auerroem, Albertum, S. Thomam, & Scotum significant primo formam, & ex consequenti subiectum.

ALtera positio est, terminos concretos Accidentium de principali ac formali significatione solam formam signifi-

significare; de secundaria verò, & ex consequenti, ipsum subiectum cui inest, concernere. Album etenim non formam præcise .i. per modum substātiæ, siue solitariè sumptam dicit, sed per modum Accidentis, cuius est alijs inesse, & ita subiectum connotat. Hanc positionem habent Auerroes in lib. 5. Metaph. Com. 14. contra Auicennam, Magnus Albertus in eodem libro tractatu 1. cap. 11. Sanctus Thomas ibidem lectione 9 & in p. p. q. 3. art. 3. & in p. 3. q. 16. art. 9. & in libro 3. sent. dist. 7. q. 1. ad quintum Scotus in Prædicamentis, q. 8 Durandus in libro 1. sent. dist 34. q. 1. Capreolus in lib. 1. dist. 4. q. 1. & 2. diffusè. Caietanus in tractat. de ente, super cap. 7. Ioannes Gandauensis in lib. 5. Metaph. q. 15. Dominicus Flandrensis in eodem lib. q. 7. Ferrariensis in Com. super caput 30. libri 1. Contra gentes. Sotus in capite de denominatiuis. Toletus de Prædicamentis in communi q. 2. Iauellus in lib. 7. Metaph. q. 2. Petrus Fonseca in lib. 5. Metaph. cap. 7. q. 5. sect. 3. & tandem est ferè omnium Peripateticorum vniuersalis sententia, terminos concretos de primaria, & formali ipsorum significatione Accidentariam formam significare: de secundaria autem, & ex consequenti subiectum concernere: quam positionem authoritatibus, & rationibus muniunt: sed vt faciliori modo percipiatur, per distinctas Conclusiones explicetur.

CONCLVSIO I.

Sit prima Conclusio. Termini cócreti Accidentium de eorum primaria ac formali significatione significant ipsam formam. Probatur sic.

1 Authoritate Aristotelis in capite de substantia in assignatione tertiæ proprietatis, quo in loco ponens discrimen inter primas, & secundas substātias, inquit quod primæ substantiæ significāt hoc aliquid, secundæ verò significant quale quid. & ne quis putaret eas significare quale simpliciter, ideo subdit; non autem simpliciter quale quid significāt, quemadmodum album; (nihil enim aliud significat album, quàm qualitatem) ex his igitur verbis liquidò apparet terminos concretos Accidētium solam Accidētariam formam significare.

Nec est vera quædam solutio Ioannis Gandauensis in libro 5. Metaph. ad calcem quęstionis 15. quo in loco pro cuiusdam opinionis defensione scribit, quod Aristoteles suo more accipit concretum pro abstracto; album enim, idest albedo solam qualitatem significat: quoniam cum Philosophus loquatur de generibus, & speciebus substantiæ in concreto sumptis, vt homo, & animal; sumit etiam quale in cōcreto, vt ostendat quod secundæ substantiæ vt homo, *Refellitur Gādauensis interpretatio de verbis Aristotelis.*

non

non dicunt quale simpliciter, eo modo quo termini concreti Accidentium, vt album, qualitatem simpliciter significat.

2 Praeterea, Auerroes in libro 5. Metaph. com. 14. contra Auicennam sic scribit. Vnumquodque Praedicamẽtum nouem Accidentium de substantia praedicat rem suam, & modum suum: ita quod de substantia nihil dicit nisi rem sui Praedicamenti, & non rem subiecti, igitur, &c.

3 Praeterea, arguitur tali ratione sic. Si termini concreti de suo principali ac formali significato significant subiectum, ergo quando diffiniuntur per aliquod extrinsecum suae quidditati (quod Philosophi additamẽtum) vocant: sed consequens est falsum: ergo & illud ex quo sequitur. Falsitas fit nota ex doctrina tradita ab Aristotele in capite 5. libri 7. Metaph. vbi ostẽdit quecumque Accidẽtia siue in abstracto, siue in concreto sumpta per additamentum subiectorum diffiniri. Consequentia ex eo probatur, quod illud quod est de formali significatione alicuius, non est illius quidditati quid extrinsecum, vt vnicuique in Philosophia versato est manifestum.

4 Praetereà, Si termini concreti Accidentium de eorum principali, & formali significatione significarent subiectum: igitur cum nomina reducantur ad Praedicamenta ratione eorum principalis significationis: sequitur quod nomina concreta Accidentium ad Praedicamentum substantiae sint reducenda: sed consequẽs est falsum, quia secundum Philosophorum sentẽtiam in eodem Praedicamento reponitur concretum in quo & abstractum. Consequẽtia probatur: termini concreti per positionem significant principaliter subiectum, quod est substantia: ergo & ipsi ad Praedicamẽtum substantiae reducentur.

CONCLVSIO II.

Sit secunda Conclusio. Termini concreti Accidentiũ non significant aggregatum ex subiecto, & forma Accidẽtali: probatur his medijs.

1 Quando aliquod nomen conuenit causae, & causato simul, per prius dicitur de causa, quàm de causato, sicut Aristoteles in lib. 2. Metaph. textu 4. docet, & Auerroes in libro 7. Metaph. Com. 7. scribit, sed nomen concreti conuenit aggregato per formam, tãquam per causam, quia album dicitur ab albedine: ergo nomen per prius conuenit formae, & ita per consequens illam primò significat.

2 Praeterea, Si terminus concretus, scilicet album, significat aggregatum ex subiecto, & forma: sequitur quod terminus concretus sit Ens per Accidẽns: consequens est falsum, ergo & antecedens. Consequentia probatur: quia subiectum, & Accidens conficiunt

ciunt vnum per Accidens, vt in libro septimo Metaphysices textu 21. dicitur. Falsitas manifesta est, quia termini cõcreti apud Philosophos, vt album, & musicum, non ponuntur inter entia per accidens, sed bene homo albus, vt in libro 5. Metaph. textu 15. & in libro 7. tex 16. scribitur.

3 Confirmatur. Si terminus concretus significaret aggregatum, tunc nullum denominatiuum esset vnus terminus: & ita omnis propositio ex eo confecta distingueretur, alioquin non esset intelligibilis. Consequentia deducitur ex hoc, quod terminus concretus non haberet vnum significatum, cum subiectum, & formam simul significet.

4 Confirmatur ex Aristotele, qui in libro 1. Physicorum capite 7. negat musicum fieri ex homine, quod non bene negaret, si nomen musicum, subiectum, & formam æquè significaret.

5 Præterea, nomen prius illud significat, cuius est ratio sub qua significat; quia secundum Aristotelem in libro 4. & 7. Metaph. ratio est signum eius quod primo significat: sed ratio sub qua terminus concretus significat, non est ratio subiecti, cum subiectum sub propria ratione ibi non habeatur, neque etiam est ratio aggregati, quia hoc non habet vllam rationem communem, igitur remanet quod sit ratio formæ.

CONCLVSIO III.

Sit Tertia Conclusio. Terminus concretus Accidentis de suo secundario significato, siue connotatiuè dicit subiectum. Probatur hac ratione.

1 Illud de secundaria significatione dicit subiectũ, quod significat formam indepẽdentiæ ad subiectum: sed terminus concretus accidentis significat formam independentiæ ad subiectum: ergo terminus concretus Accidentis de sua secundaria significatione dicit subiectum. Minor probatur ex his quæ in sectione prima dicuntur, nempe, quod terminus concretus differt ab abstracto, quia hic significat formam per modum substantiæ .i. Solitariè non consignificando subiectum: sed concretus significat eamdem formam per modum accidentis, cuius est inesse, & ita concernit subiectum cui inest. Minor fit clara ex eo, quod Accidens significatum in dependẽtia ad subiectum, dicit aliquo modo ipsum subiectum, & cum non de primaria, remanet quod de secundaria significatione ipsum dicat.

CONCLVSIO IIII.

Sit quarta Conclusio. Termini cõcreti accidentium, quo ad modum significandi important principaliter subiectum,

ctum, & secundariò formam. Hanc Cōclusionem habet Caietanus in Com. de Ente, capite 7. particula 8. quam sic probat.

1 Terminus concretus illud primò significat quo ad modū significādi quem habet, quod in ipsius definitione tanquam genus primò exprimitur: sed hoc tale est subiectum, ergo terminus concretus accidentis quo ad modum significandi primò significat subiectum. Minor probatur. Si diffiniatur simus, dicetur quod est nasus curuus, in qua diffinitione fit manifestum quod. subiectum tanquam Genus primò exprimitur, & forma secundo loco, tanquam Differentia ponitur.

CONCLVSIO V.

Sit quinta Conclusio. Terminus abstractus quo ad significationem, & quo admodum significandi significat formam; quod si aliqualiter dicit subiectum, secundario, & ex consequenti ipsum dicit. Probatur.

11 In diffinitione termini abstracti, ipsa forma exprimitur vt genus, subiectum autem secundario loco differentiæ, sicut redditur clarum cum dicitur, simitas est curuitas nasi: ergo simitas quæ est terminus abstractus quo ad nominis significationem primò dicit formam, & quo ad modum significandi, primò dicit eamdem, quia vt ens per se significatur: sed secundario dicit subiectū, quia est alicuius forma.

Concludatur igitur tanquā apud plurimos Peripateticorum receptissimum, terminos concretos Accidentium quo ad nominis significationē de primario, & formali significato significare ipsam accidentariam formam, & ita ab abstractis re ipsa non differentes: de secundario autem, & ex cōsequenti subiectum concernere, quia significantur per modum accidentis, cuius est alij inesse: & in hoc ab abstractis seiunguntur, quia hæc per modum substantiæ, i. solitariè significatur. Sed quo admodum significandi, termini concreti ordine contrario se habent, quia primo significant subiectum, quod in ipsorum diffinitione tāquam genus primo exprimitur, secundario, & ex consequenti formam, quæ tanquam differentia secundo loco in ea ponitur. Abstracti verò, & quo ad nominis significationem, & quo ad modum significandi primo significant formam, sed cum quodlibet accidens per subiectum diffiniatur, hinc fit quod secundario subiectum dicant. Ex quo fit notum, abstractum non excludere prorsus à se subiectū; sed tantum in hoc ipsum excludit, quod neque in significatione, neque in modo significandi principaliter ipsum includit: quo solo à concretis differūt, quia hæc quo ad principalem significationem ipsū non includunt, sed ex consequenti:

Termini cōcreti accidētium significāt primo formam atque ad modum significandi dicunt primo subiectum.

quenti: sed in modo significandi ipsum principaliter important quo autem ad modum essendi vtriusque nimirum abstracti,& concreti, vtrumque subiecto inest; quia accidens quomodocunque sumatur siue in abstracto siue in concreto semper subiecto inest. non enim est albedo nisi in corpore, neque album nisi aliquod corpus, quemadmodum Aristoteles in capite de substantia docet.

SECTIO

Quinta.

Obiectiones aduersus elucidatam veritatem afferuntur.

NOn desunt quidam Scotistarum, vt Petrus Aureolus in libro primo sententiarum dist. 4. art. 2. aduersus elucidatam, & ab omnibus receptissimam veritatem obiectiones adducere, atque probare terminos concretos accidentium de eorum primaria significatione non tantum formam, sed quidpiam aliud nimirum subiectum quoque significare. Quod assertum his medijs manifestat.

1 Omne nomen plurificatur ad plurificationem sui adæquati significati: sed nomen concretum non plurificatur ad plurificationem formæ per ipsum significatæ: ergo nomen concretum non significat tantum formam, ita vt sola forma sit suum adæquatum significatum. Maior est nota. Minor probatur, hoc nomen sciens quod est nomen concretum, non plurificatur ad plurificationem scientiæ, dato quod in vno homine sint plures scientiæ: nō enim vnus sciens propter plures sciētias quas habeat, dicitur plures scientes: sed forma significata per hoc nomen sciens, est ipsa scientia: ergo sciens non tantum scientiam, sed aliud cum ea significat.

2 Præterea, Si sciens de principali significato significat tātum scientiam: ergo hæc propositio est vera, sciens est sciētia: sed hoc est falsum: ergo sciens non significat tantum scientiam. Consequentia probatur sic: principale significatum abstracti, & concreti est idem, nempe scientia: ergo idē de se ipso potest prædicari, ita vt sit verum dicere sciens est scientia, album est albedo.

3 Præterea, Aristoteles in libro 6. Metaph. textu 2. inquit quod in simo reperitur nasus: ergo simum quod est terminus concretus significat subiectum.

4 Præterea, ab alijs arguitur sic. Nomen quod significat plura secundum prius, & posterius, est analogum, vt in libro 4. Metaphys. dicitur: igitur si terminus concretus, vt album de principali significatione dicit tantum formam, & ex consequenti subiectum, sequitur quod sit terminus analogus:

sed consequens est falsum, quia nullus Philosophorum affirmaret terminum concreti accidentis esse analogum. Probatur, terminus analogus dicitur prius de eo quod est ens per se, quàm de eo quod est ens per aliud vel in alio: nam Ens dicitur prius de substantia, quæ est Ens per se, quàm de accidente, quod est Ens in alio; igitur si terminus concretus accidentis esset analogus, diceretur prius de subiecto, quod per alteram positionem secundario significatur, quàm de forma accidentali, quæ per eamdem positionem primò significatur, & ita totum oppositum contingit illius quod opinio asserit, igitur vtrumque æquè significat.

5 Præterea, Accidentis esse est inesse, sicut in libro 7. Metaphys. textu 2 dicitur. Igitur si tam accidens abstractum, vt albedo, quàm concretum vt album, de ipsorum principali significatione significat accidentariam formam, quæ subiecto semper inest, ergo ambo significant subiectum, & ita nullum discrimen inter ipsa reperitur.

6 Præterea. Quod est de quidditatiua ratione alicuius, nunquam ab illius significatione separatur: sed subiectum est de quidditatiua ratione cuiusque accidentis significatione nunquam separatur: & ita quodcunque accidens significat semper subiectum. Maior non indiget probatione. Minor probatur. Subiectum ponitur semper in definitione accidentis. De abstracto enim dicitur, simitas est curuitas nasi: de concreto, simus est nasus curuus: ergo subiectum in vtriusque definitione semper ponitur.

SECTIO

Sexta.

Propositorum obiectionum Solutio.

HIs non obstantibus, in eadem communi sententia persistendum est, videlicet, terminum concretum accidentis de suo primario significato formam dicere, & de secundario subiectum importare. Abstractum autem, & quo ad nominis significationem, & quo ad modum significandi principaliter dicere formam, secundario subiectum, modo iam exposito. Ad obiectiones.

Ad primum negatur Maior, videlicet, quod nomen concretum (de quo nunc est sermo) plurificetur ad plurificationem sui adæquati significati: nã hoc non sufficit sed suppositorũ pluralita vlterius requiritur: ratio est, quia terminus concretus importat formam per modum accidentis cuius est in alio esse: & accidentia sumunt vnitatem, vel pluralitatem à subiectis quibus insunt. Ex quo fit quod si

Accidentia à quo sumũt vnitatem, & pluralitatem.

si vnus sciens haberet plures scientias, ex eo tamen quod subiectum est vnum, ipsæ formæ non plurificantur, ita vt plures scientes constituant. Similiter si darentur duo homines eamdem scientiam habentes, tunc essent duo scientes, quia subiecta sunt duo. Nomina verò substantiua plurificantur ad pluralitatem rei significatæ, quia significantur per modum substantiæ, quæ ex se vnitatem, & pluralitatem habet. Consule pro hac solutione S. Thomam in p. p. quæst. 39. art. 3. in corpore.

Ad veritatē propositionis quid requiratur. Ad secundum negatur consequentia, quia ad veritatem propositionis non sufficit idētitas significati, sed requiritur etiam idem modus significandi: nam si abstractum, & concretum, vt albedo & album eamdem entitatem significent, tamen quia noster intellectus cōcipit eam vno modo præcisè, idest solitariè: Altero modo vt in alio existentem: ideo propositionem formando non potest eam de seipsa enunciare, ita vt dicat sciens est scientia: quia sciens dicit formam vt in alio, scientia dicit eamdem solitariè, qui diuersus modus significandi tollit illius propositionis veritatem.

Ad tertium est omnium Philosophorum communis solutio, intentionem Aristotelis esse, simum significare nasum non de suo principali, sed de secundario significato, eo quod simum simum cōcernit nasum, tanquam determinatam materiam per quam diffinitur, sicut reliqua naturalia per determinatam sensibilem materiam diffiniuntur. Quo quidē modo naturalis scientia à Mathematica, & Methaphysica distinguitur: eo quod diffinitiones Mathematicæ à materia sensibili, & Metaphysicæ ab omni materia simpliciter abstrahant.

Ad Analogiā qd requiratur. Ad quartum negatur consequentia, quia ad analogiam non sufficit quod nomen dicatur de pluribus secundum prius, & posterius: sed vlterius requiritur quod ratio per terminum significata in vtroque termino reperiatur. Modo ratio albi non conuenit subiecto vt subiectum est, vel requiritur saltem quod illud nomen dicatur de pluribus per attributionem ad vnum quod formaliter sit tale; quemadmodum sanum dicitur de medicina, de vrina, & de dieta per attributionē ad animal quod est formaliter sanum: album verò si dicatur de albedine, quam principaliter significat, tamen ipsa non est formaliter alba, sed est forma tantum a qua subiectum denominatur album: est igitur terminus denominatiuus, cui vnum principaliter, & aliud ex consequenti significare conuenit, vt dictum est.

Accidentia abstracta, & concreta ha- Ad quintum, iam diximus quæcunque accidentia siue abstracta, siue concreta, habere vnum communem modum

bent eũdẽ modũ essẽ d: in alio, & diuersum modum signi ficandi. essendi, videlicet esse in alio; & ita omnia subiecto insunt. Sed distinctos modos intelligendi, & significandi deinde habent, ac propterea argumẽtum non valet, quod si omnia sunt in subiecto: ergo omnia significant subiectum, eo quia abstracta, & quo ad significationem, & quo ad modum significandi intelliguntur præcisè, idest solitariè, & absque subiecto.

Ad sextum negatur minor: & ad illius probationem respondetur, quod subiectum esse de quidditatiua ratione accidentis, duobus modis intelligi potest, vno modo quod *Subiectũ esse de q idditate accidentis qualiter intelligatur.* sit idem re cum eo, sicut animal dicitur de quidditatiua ratione hominis, quia est idem re cum homine: penes quem sensum subiectum non est de quidditatiua ratione accidentis: altero modo dicitur esse de illius quidditate, quia in illius diffinitione ponitur, vt quoddam additum, vnde ex libro 7. Metaph. elicitur diffinitiones accidentium dari per additamentum: quia accidens sine subiecto non diffinitur, ideo dicitur. &c.

Notandum circa hanc solutionem: quando dicitur subiectum poni in diffinitione accidentis, quod non eodem modo ponitur in diffinitione abstracti, & concreti: quoniam *Subiectũ in diffinitione accidentis ab stracti, &* in diffinitione abstracti subiectum ponitur loco differentiæ, dicendo simitas est curuitas nasi: sed in diffinitione concreti ponitur loco generis, vt cum dicitur, simus est nasus curuus. *cõcreti nõ eodem modo ponitur.* Ratio huius est, quia concreta significantur per modum substantiarum compositarũ, q̃ significant formã, vt in materię; substãtię verò cõpositæ ita diffiniuntur, quod in eis sumitur genus à materia, & differentia à forma: sed quia abstracta significant formam absolutè, & tunc genus in eis sumi à materia non potest, ideo à modo essendi quem habent in primis substantijs sumitur, & ita subiectum loco differentiæ assignatur. Ex S. Thoma in libro primò Perihermenias lectione quarta. Paulo Soncinate in libro septimo Metaphysicæ, quæstione sexta: & Caietano in tractatu de ente capite septimo.

SECTIO

Septima.

Enumerantur rationes Auicennæ asserentis terminos concretos significare primò subiectum.

SVperest nunc, vt illæ rationes diluantur; quibus Auicennas contendit concreta accidentium priori loco subiectum significare, vnde.

Ad primum negatur Maior, videlicet quod terminus concretus significet principaliter illud qđ simpliciter est prius in essendo: & ad illius probationem respondetur, quod res sunt in duplici differentia; aliquæ quarum esse est indepēdētia ad aliud, cuiusmodi sunt omnia Accidētia; aliquæ quarū esse est p se existere, cuiusmodi sunt substantiæ: & de his verificatur simpliciter propositio, qđ queādmodū sunt, ita intelligūtur: sed de Accidētib. nō est necessariū, quod vt sunt ita semper intelligantur & significentur. Etenim Accidentia in abstracto sumpta, sunt semper in subiecto, tamē absque subiecto intelligūtur, & significantur, vt dictum est. Ad propositum Accidentia concreta sunt res, quarum esse est in dependentia ad subiectum, tamen non est necessarium quod subiectum per ipsa primo significetur, sed forma, quæ ad ipsum subiectum est in dependentia.

Accidentia nō eo modo quo sunt, semper intelliguntur.

Ad secundum dicitur ad minorem, quod terminum concretum constituere primo intellectum duobus modis intelligitur, vel quo ad modum significandi, vel quo ad rem significatam: penes primum modum constituit primò intellectum subiecti, penes secūdum constituit primo intellectum formæ. Secundo responđetur, quod terminus concretus dupliciter consideratur, primo in propositione, vt si dicatur album currit, & sic constituit primò intellectum subiecti: secundo præcisè, idest solitariè, vt si dicatur album, & sic constituit primò intellectum formæ.

Terminus concretus quādo cōstituit primo intellectū formæ, vel subiecti.

Ad tertium negatur Minor. nam aliud est terminum concretum Accidentis supponere illud, quod significat, & aliud supponere pro illo quod significat. Terminus concretus Accidentis supponit illud quod significat, sed non supponit semper pro eo, quod significat; sed tantum supponit significatum pro significato, quando est suppositio simplex: sicut in suppositione personali commune supponit pro suppositis, & non suppositum, quia ipsum non significat. Nunc ad Minorem dicitur, quod terminus concretus supponit pro subiecto, sed subiectum non significat. Ad authoritatem Aristotelis cum dicitur album est lignum, significatur lignum inesse albo non per se, sed pro eo cui accidit: nam significatur, quod illud cui accidit album est lignum; non tamen significatur, quod supponit, sed pro quo supponit. Vide Scotum in Prædicamentis, quæstione octaua ad secundum principale.

Terminus concretus supponit pro subiecto, sed illud nō significat.

SECTIO Octaua.

Soluuntur rationes illorum qui affirmabant terminos concretos significare aggregatum.

AD primum respondetur intentionem Aristotelis in eo loco non esse affirmare quod album significet aggregatum ex subiecto, & forma accidentali, sicut argumentũ contendit: sed ostendere quomodo prædicatum essentiale vel proprium cognoscatur; & ait quod album non est Prædicamentum genericum vel specificum, sed denominatiuũ. sed neque proprium neque definitio, quia hæc pluribus non cõueniunt, sed album esse pluribus inest, quoniam lignum, lapis, homo, equus, & multa colorata sunt.

Ad secundum respondetur verum esse id quod Auerroes dicit, nempè terminum concretum significare formam, & aliquid aliud; quia formam de sua primaria significatione significat, & aliquid aliud .i. subiectum ex consequenti, & hoc ipsum intẽdit Auerroes, alioquin sibi ipsi non constaret cum his quæ in libro 5. Metaph Com. 14. contra Auicennam scribit.

Ad tertium dicitur quod Aristoteles in libro 1 Physicorum arguit cõtra antiquos ponentes omnia esse vnum atque im nobile: vnde ostendit eorũ dictũ esse falsum, ex eo quod contingit multa esse vnum subiecto, vt musicum, & album in homine, & plura ratione, quia ratio Musici, est alia à ratione albi, & ratio albi est alia à ratione subiecti. atque etiam verum est id quod Auerroes scribit, nimirum album significare albedinem, & recipiens ipsam; sed albedinem principaliter, & recipiens secundario.

Ad quartum similiter, Philosophus dicit verum quod album significat duplex, quia cum sit terminus concretus significat formam vt alteri adiacentem, ideo duo significat, formam videlicet, & subiectum, sed hoc connotatiuè, & illud principaliter.

Ad quintum negatur Minor, ad cuius probationem conceditur, quod in prolatione huius vocis albedo, sola forma intelligitur quo ad significationem, & quo ad modum significandi, ex eo quod abstracta non concernunt subiectum. Sed in prolatione termini concreti vt album, non intelligitur forma præcisè cũ per modum adiacentis, eam significet, ob id in eius significatione intelligitur subiectum ex consequenti, & formã principaliter, vel dicitur quod proferens album intelligit formã cum subiecto non quo ad nominis significationẽ, sed quo ad modum significandi.

Ad sextum negatur consequentia

quentia ad sensum propositæ conclusionis, non enim valet, album dicit formam quæ est in subiecto, ergo æquè primo dicit aggregatum ex subiecto, & forma accidentali, stat nãque album dicere formam, & subiectum cui inest, sed hoc ex consequēti, & eam principaliter, vt pluries dictum est in hac Disputatione, cui finis imponitur.

DISPVTATIO *Vndecima.*

An Termini concreti rerum artefactarum, de ipsorum primaria significatione significent formam vel materiam.

SECTIO Prima.

Sententia Pauli Veneti, Francisci Toleti, & Petri Fonseca proponitur.

TErmini concreti rerum artefactarum sunt huiusmodi verbi gratia Ensis, Gladius, Scannum, triangulus, statua, nauis, Domus, Pallium, Calceamentum, vas, & similia. quæritur igitur an huiusmodi nomina de eorum primaria, & formali significatione significent accidentariam formam tantùm, materiam ex cōsequenti innuendo. vel è contra materiam primò significent; ac formam deinde insinuent, vel vtrumque simul, & æquè primo importent. Etenim Philosophi in varias sententias abiere, dum Alij hanc Posteriorem, Alij mediam, Alij verò priorem modum dicendi defendunt.

Sed priusquam noster sermo vlterius progrediatur, sit hoc vnum notandum quod termini concreti rerum artefactarum, vel quidem maximè differunt à terminis concretis accidentium. hi namque vt album, dulce, calidum, & si materiam concernant, tamen nō tanquam sui partem eam concernunt, ita vt accidentia ex subiecto veluti ex materia cōficiantur: quapropter dici cōsueuit accidentia non habere materiam ex qua, sed in qua, & hæc est subiectum cui inhęrent. Sed res artificiatæ habēt materiam tanquam partē sui ex qua conficiuntur; quod Aristoteles, in libro 2. Physici auditus textu 7. apertis verbis ostendit, vbi ait lignum esse materiam lecti, & æs statuæ, & in lib. 7. Metaph. textū 34. idem insinuat, & Porphyrius in capite de differentia scribit statuam confici ex ære tanquam ex materia, & ex figura tanquam ex forma. Imo sicut in naturalibus caro, & anima cō stituunt hominem tanquā partes illius: ita in genere artificialium æs, & figura constituunt statuam. Hinc Aristoteles in

Accidentia nō habent materiā ex qua, sed in qua.

Ars imitatur naturā quo modo intelligitur

lib. 2. Physicorum tex. 77. scribit quod ars imitatur naturā: quod dictum intelligitur, & quo ad effectus in eo quod artificialia sunt similia naturalibus: & quo ad agens, eo quod artifex secūdum artem agens assimilatur naturali agenti, cū in modo agendi, producendo effectum similem arti in mente artificis existenti, quemadmodum homo generat hominē, & ignis ignem; tum in disponendo materiam ab imperfectis ad perfecta semper procedendo.

Sit secundum notandum ex subiecto, & accidente non fit vnum per se, quemadmodum ex materia, & forma fit vnum per se: nam cum materia, & forma constituant vnum esse, vel vt alij dicunt, cum materia sit potentia, & forma sit actus, ideo ad constituendum ex eis vnam naturam non requiritur alia causa intrinseca, sed sufficit quod agens educat materiam in actum, respectu formæ ad quam erat in potentia; vnde Auerroes in libro 8 Metaph. Com. 15. de his loquens ait. Causa istius vnitatis est, vt transmutetur quod est in potentia, donec fiat in actu ab agente; & Aristoteles in lib. 2. de Anima tex. 9. scribit non esse quærendam causam quare ex corpore, & Anima fiat vnum. Sed esse substantiæ distinguitur ab esse accidentis, propter hoc ex subiecto, & accidente non potest fieri vnum per se, his dictis ad positionē primam accedamus.

Ex materia & forma fit vnum per se: non ex subiecto, & accidēti.

Paulus Venetus in libro 7. Metaphysicæ super textū 34. Toletus in libro 2. de Physico auditu, quæst. 6. Petrus Fonseca in lib. 5. Metaph. capite 7. quæst. 5. sect. 4. & alij arbitrantur concreta artefactorum de eorum principali significatione significare aggregatum ex subiecto, & tali accidente: nā quemadmodum in naturalibus homo non dicit animam tantum, vel corpus tantum, sed quoddam aggregatum ex animā, & corpore: ita hæc nomina, statua, gladius, vas, non supponunt pro ligno tantum vel pro figura tantum, sed pro aggregato ex vtroque simul, quam positionem authoritatibus, & rationibus confirmāt.

1 Aristoteles ferè vbique locorum, in quibus generationē aut corruptionem substantialem compositorum explicāre intendit, exemplis artificiatorum vtitur, in libro 7 Metaph. textu 34. loquens de corruptione substantiali, vt ostendat quod non formæ, sed compositorum est per se corruptio, ait, quod quemadmodum statua lutea corrumpitur in lutum, & sphærea ænea in æs, ita Callias qui est homo in carnem, & ossa.

2 Præterea in textu 27. eiusdem libri ostendens quod non formarum, sed compositorum fit corruptio, inquit quod sicut sphæra ænea habet duplex fieri, nempe in hoc signato ære, vnde fit hæc sphæra ænea; & in ære in communi vnde fit sphæra ænea: ita Callias, & So-

crates

crates est quemadmodũ sphæra ænea hæc: homo verò, & animal sicut sphæra ænea totaliter.

3 Præterea in textu 53. scribit, quod sicut domui esse non fit, sed huic domui, ita se habet in rebus compositis naturalibus.

4 Præterea in libro 2. Physi. textu 11. habet huiuscemodi verba; vt enim ars dicitur qđ secundum artem, & artificiale: sic & natura quod secundũ naturam dicitur, & quod naturale: neque autem illud adhuc dicimus habere secundum artem aliquid, si potentia tantũ est lectus, nondum autem habet formam lecti, neque esse secundum artem; neque in his quæ natura subsistunt, potentia enim caro aut os, neque habent adhuc sui ipsius naturam, priusquam accipiant formam secundum rationem. In his igitur verbis Aristoteles ostendit similitudinem inter artificialia, & naturalia, tam quo ad esse in potentia, quam quo ad esse in actu; quapropter sicut naturalia dicunt aggregatum ex materia, & forma; ita artificialia ex subiecto & forma accidentali.

5 Præterea si artificialia solam formam significarent, ergo serra diceretur vniuocè idest secundum idem nomen, & eamdem rationem de ferrea, aut cærea, vel vitrea, & nauis de lignea, & papyracea: sed consequens est falsum ergo, & antecedens. falsitas probatur, quia cum materia diuersorum sit diuersa, tunc ex diuersa materia composita non possunt eamdem diffinitionem habere. consequentia probatur ex hoc, quod forma serræ est eadem in quacunque serra, siue ferrea, siue lignea; sic de forma nauis dicatur.

6 Præterea Induens se aliquam vestem, non dicit se induisse materiam tantùm, vel formam tantùm, sed vtrumque simul: ergo artificiata significãt aggregatum ex vtroque simul. & hic est primus modus dicendi.

SECTIO

Secunda.

Artificiatorum nomina apud Magnum Albertum, & S. Thomam, primò significant formam: deinde materiam connotant.

ALter modus dicendi est, quem Philosophi maximæ authoritatis sequuntur, videlicet Albertus cognomento Magnus in libro 2. Physicorum tractatu primo, capite 2. & 7. Sanctus Thomas in libro 1. Perihermenias lectione 4. Caietanus in lib. 2. de anima capite 1. in explanatione Conclusionis quartæ. Ferrariensis in Commentarijs super caput 30 libri primi contra gentes. Albertus de Saxonia in libro 2. Physicorum quæst. 4. Conclusione 3. hi omnes, & Alij susti-

sustinent artificiatorum nomina significare principaliter formam per artem inductam, & ex consequenti materiam innuere: vnde idem iudicium habent denominibus concretis artefactorum, quod de concretis accidentium tulerunt. & licet authoritates, & rationes explicitas ad suam positionem fulciendam non apponant; tamen ex eorum dictis nonnullas colligere haud difficile sit.

Artificiale dicitur ab arte.

1 Aristoteles in libro 2. Physicorum textu 11. volens ostendere aduersus priscos Philosophos, non materiam tantùm, sed formam quoque esse naturam, vtitur hac similitudine, quod quemadmodum in artificialibus illud est ars, à quo res dicitur artificialis, & secundum artem; ita in naturalibus illud est natura, à quo res dicitur naturalis, & secundum naturam: & subinfert quod in artificialibus non dicitur aliquid artificiatum, aut statua, dum est in potentia, verbi gratia lignum vel æs, nō est lectus vel statua dum est in potentia ad recipiendum formam artificialem: sed talis tūc nominatur, & est, quando formæ artificiali subsistit, ita in naturalibus nō dicitur aliquid caro vel os quando est in potentia, sed quando habet actu formam Carnis vel ossis. Ex his ad positionem sic arguitur.

Illud principaliter significatur nominibus concretis artefactorum, per quod ipsa artefacta sunt, & denominantur talia: sed per formam arte introductam, artificiata sunt, & denominantur talia, ergo nomina concreta ipsorum significant principaliter formam. Minor fit manifesta ex præfato loco. Maior ex semetipsa apparet notissima, quoniam si à forma sunt talia, & denominantur, sequitur quod primò eam significent.

2 Præterea Aristoteles in libro 2. de anima textu 8. volens ostendere quod Anima sit forma corporis à qua ipsum habet esse, & diffinitionem; sumit argumentum à simili in artificialibus, & inquit, quod si Dolabra esset corpus naturale, tunc forma dolabræ se haberet ad ipsum vt principiū formale, & daret ei esse, & Diffinitionem; quā forma separata à dolabra, nō esset amplius dolabra nisi æquiuocè. Ex his sic arguitur, posita dolabra vt quoddam artefactum ponitur forma dolabræ; & remota forma dolabræ, tunc non remanet dolabra vt quoddam artificiatum nisi æquiuocè; ergo hoc nomen concretum dolabra, significat principaliter formam. Consequentia probatur, quia si nomen significaret principaliter aggregatum vel subiectum, remota forma remaneret ad huc dolabra, quod est falsum.

Obiectio.

Si quis obijciat. Aristotelem in eodem textu affirmare, quod remota forma dolabræ, adhuc est dolabra, & tamen ibi non remanet nisi subiectū, ergo

ergo dolabra principaliter significat subiectum.

Solutio. Respondetur Intentionem Philosophi non esse quod remota forma dolabræ remaneat corpus artificiatum actu: sed remota forma artificiali remanet actu ipsa substantia, videlicet ferrum, ex quo artificiatum conficiebatur. in quo ostendit discrimen inter formam artificialem, & naturalem. prior etenim non facit suum subiectum esse actu, quia omnis forma artificialis habet pro materia aliquod ens actu completum, quod est corpus naturale, vt forma dolabræ, habet pro materia ferrum, ob id sublata forma, dixit Aristoteles adhuc dolabram remanere .i. subiectum. sed forma substantialis facit suum subiectũ esse in actu, ideo ea remota remouetur illius materia propria, & corpus non remanet nisi æquiuocè.

Differentia inter formã naturalem, & artificialem.

3 Præterea Illud primò significatur nomine artificiatorũ, quod primò denominatur: sed non dicimus scannum, nec securim vocamus, nisi quod scãni aut securis formam habet, ergo horum nomen primò significat formam, ex consequẽti subiectum, in quo ipsa forma recipitur.

Hinc Caietanus præhabito loco, hanc distinctionem apponit videlicet, quod aliud est esse rem primò seu principaliter significatam aliquo nomine; & aliud est esse rem primã seu principalem illo nomine significatam. Albedo enim est res primo, & principaliter significata nomine albi; tamen substantia est res prima, & principalis nomine albi significata: quia comparando has res importatas inter se, substantia est principalis. comparando verò easdem ad significati tali nomine albedo primatum tenet. ita quamuis ferri, & figuræ nomine dolabræ significatarum, ferrum sit prima, & principalis res significata, & figura posterior: tamen res primo, & principaliter nomine dolabræ significata est ipsius figura: qua remota non remanet dolabra nisi æquiuocè, remanet nihilominus illius materia; & de secunda positione satis sit dictum.

Notãdũ.

SECTIO

Tertia.

Artificiatorum nomina apud Auerroem significant primò materiam; & formam ex consequenti innuunt.

Averroes in libro 2. de anima Com. 8. ratus est artificiatorum nomina significare primò materiam, formam verò ex consequenti innuere: quam positionem Auicennas fortassis lubẽs admisserit. eamdem sequitur Caietanus Thiẽnensis super textum 8. libri secundi de anima, & Dominicus à Soto in libro 2. Physicorum quæstione 2. art. 1. ad primum defen-

defendit. Verumtamen ad deducendam ex eo loco Auerrois sententiam. Sciendum quod ipse nititur defendere, quod remota forma dolabræ siue securis, ipsum ferrum possit ad huc absque vlla æquiuocatione dici dolabra, aut securis. Ad quod assertum defensandum, aliquas propositiones proponit, quas in medium afferre non pigebit, vt cognoscatur apud Auerroem nomina artificiatorum significare primò materiam, postea verò formam innuere.

1 Prima propositio est hæc. Nomen dolabræ vel securis, siue fuerit naturale, siue artificiale dicitur de illo congregato, ex illo quod est quasi forma, in eo, & ex eo quod est quasi materia.

2 Secunda. Compositum artificiale non est substantia, nisi secundum materiam quæ est tota illius substantia, eo quod forma artificialis est accidens: sed compositum naturale est substantia secundum materiã, & formam, eo quod formæ naturales sunt substantiæ.

3 Tertia. Sublata forma artificiali non propter hoc aufertur illius materia, & cum aufertur forma securis, non propter hoc aufertur ferrum: sed sublata forma naturali tunc remouetur illius materia; scilicet propria, & non remanet aliquid nisi æquiuocè.

4 Quarta. Sublata forma naturali, tunc aufertur indiuiduum substãtiæ, & amittit nomen, & diffinitionem; quia tũc aufertur genus, & differentia, vt si auferatur anima à carne, tunc non remanet caro, nisi æquiuocè, sicut caro mortui, sed remota forma artificiali remanet indiuiduum substantiæ nomine, & definitione, vt remota acutie securis, remanet ad huc ferrum.

5 Quinta. Nomen compositi artificialis in hoc differt à nomine cõpositi naturalis; quod hoc significat primò formam, & deinde materiam; illud autem primò materiam, & secundario formam insinuat.

6 Sexta, quæ non habetur nisi implicitè est hæc. Remansio absque significatione nominis significantis compositum, attenditur penes remansionem primò significati. His positis Auerroes concludit, quod si forma securis esset naturalis, ea remota non remaneret nomen securis in ea materia, nisi æquiuocè, quia nomen compositi naturalis primo significat formam. Sed quia forma dolabræ est artificialis, quæ primò significat materiam, ob id quia ea sublata adhuc remanet materia secundum nomen & diffinitionem, atque illud indiuiduum substantiæ, scilicet hoc ferrum remanet, in quo erat forma dolabræ, ideò nomen dolabræ non æquiuocè remanet. Ex his dictis Auerrois colligitur nomina artefactorum significare primo materiam, & ex consequenti formam innuere.

2 Aduersus primam positionem, Quidam sic arguunt. Si nomina

nomina artificiatorum significant primo aggregatum ex subiecto, & forma: ergo arte facta in aliquo vno Prædicamento non reponuntur, sed consequens est falsum: ergo & antecedens. Antecedens manifestatur: quia formæ & figuræ spectant ad quartam speciem qualitatis. Consequentia probatur, forma artificialis aduenit enti in actu; ergo ex subiecto & tali forma non fit vnum per se, sed per aggregationem sicut ex subiecto, & albedine; sed hæc ad diuersa Prædicamenta spectant: igitur.

Contra secundam alij sic arguunt. Si nōīa artefactorum significant primo formam, & connotant materiam; sequitur quod triangulus, quadrangulus, circulus, & similia sint in prædicamento qualitatis. Similiter quod numeri compositi, vt superficiales, triangulares, æquilateri, cubi, & similes de quibus Aristoteles in lib. 5. Metaph. tex. 19 agit, sint in Prædicamento Qualitatis. Sed consequentiæ sunt falsæ. Probatur. Figuræ componuntur ex lineis, quæ in Prædicamento Quantitatis continentur. Similiter numeri sunt species quantitatis discretæ. Consequentiæ deinde manifestantur, quia figuræ ad Prædicamentum Qualitatis spectant: igitur. &c.

SECTIO Quarta.

Vera propositæ Disputationis explanatio.

Circa propositam Disputationem, de principali nēpe nominum rerum arte factarum significatione, tres Philosophorum sententias proposuimus; quorum quidā contendebant significare primò aggregatum ex subiecto, & forma accidentali. Alij primò formam importare, & ex consequenti materiam innuere affirmabant; tandem nonnulli primò materiam dicere, & secundò formam connotare asserebant. Inter has, quæ est Auerrois sententia, minus probabilis æstimatur. Etenim si compositi artificialis nomen à nomine compositi naturalis in eo differt, quod hoc primò formam, & illud materiam significat: mirum est quomodo Aristoteles cum in lib. 2. Physicorum textu 11. tùm in libro 2. de anima, textu 8. vtatur exemplis formarum artificialiū ad explicandum naturas, & effectus formarum naturalium. nō .n. aliam ob causam, (vt expositores ibi testantur) artificiatorum exemplis vtitur, nisi quia sūt nobis notiora. At per huiusmodi artificiatas formas non repræsentantur nobis, nisi ipsa artificiata, quatenus artificiata, quod esse artificiatum à for-

Artificiatorū exēpla sunt nobis notiora.

à formis arte inductis habent; ergo necessarium est dicere, arte factorum nomina nô primò materiam, sed formam significare, tamen non præcisè sed quatenus subiectum concernit quod est materiam ex consequenti innuere. Sed si materiam primò significarēt, sicut Auerroes opinatur, igitur quomodo naturales formas ipsarumque effectus ex ipsis cognosceremus?

Ad rationem Auuerrois, eo quod super falsam propositionem fundatur, videlicet, nomen compositi artificialis significare primò materiam: negatur quod sublata forma artificiali remaneat nomen dolabræ, vel securis, absque æquiuocatione: & quamuis ea forma sublata remaneat materia, imò indiuiduum substantiale videlicet hoc ferrum quo ad nomen, & diffinitionem; tamē non remanet quo ad nomen, & diffinitionem dolabræ vel securis, sed illius singularis materiæ tantum, cui accidentalis forma inerat. Remanet itaque vera natura ferri, & huius singularis ferri, eo quod à propria naturalique forma recipit suum esse simpliciter. Sed quia ipsa artificiali forma remota, illud indiuiduum substantiale non est amplius dolabra vel securis, propterea nomen rei artificialis remanet æquiuocè, eo videlicet modo, quo remota anima à carne, non remanet caro nisi æquiuocè; & hunc sensum in illis verbis Aristoteles intendit.

Remota forma artificiali non remanet ipsū artificiatum nisi æquiuocè remanet tamen illius materia.

Ad rationem, qua alij contendunt, quod si artificiatorum nomina significāt primò aggregatum ex subiecto, & forma accidentali, tunc artificiata non reponi in aliquo vno Prædicamento: hi qui primam opinionem defendunt, hoc totum gratis concedūt, scilicet arte facta non reuocari ad Prædicamenta nisi per partes, videlicet per subiectā materiam, & per formam artificiosam. Quamobrem dolabra ratione materię, i. ferri, ad Prædicamentum substantiæ, & ratione figuræ ad Prædicamentum qualitatis reducitur. ita sensit Petrus Fonseca in lib. 5. Metaph. cap. 7. quæst. 5. sect. 2. ad quartum, & sect. 5. ad calcem: ac tandē quæstione 7. sect. 2. eiusdem capitis.

Ad aliam similiter. Illi qui secundum modum dicendi sustinent scilicet; artificiatorum nomina significare primò formam, gratis concedunt, Triangulum, Quadrangulum, Circulum, & similia quæ ex lineis conficiūtur, contineri in Prędicamento qualitatis, quia de eorum formali dicunt figuras quæ sunt passiones qualitatis, quod expresse docet S. Thomas in lectione quinta super librum 7. de Physica auscultatione. Eodē modo Cubus qui est corpus vndecunque quadratum, tessera, sphæra, pyramis, & reliquæ id genus figurę corporum inquiunt in Prædicamento qualitatis contineri. Nam, etsi linea, superficies, & cor-

Figurata in Prædicamento qualitatis continentur.

corpus quatenus trinam dimensionem dicunt, in Prædicamento quãtitatis contineantur, tamen figuræ ex his confectæ sub qualitate reponuntur. quod etiam de numeris compositis affirmant, quatenus figuram significant.

Numeri compositi qui sint.

Ad intelligentiam numerorum compositorum sciẽdum, quod quemadmodum in superficie Triangulus est figura plana, & in corpore Cubus est figura corporalis: ita in numeris, numerus nouenarius dicitur numerus superficialis, triangularis, æquilaterus, vt puta qui constat ex ter tribus; nam tres ternarij in numero nouenario se habent sicut tria latera in figura triangulari: numerus 27. est numerus corporalis Cubus, quoniam ter tria ter sunt 27. (de his numeris videatur Magnus Albertus in lib. 5. Metaph. tractatu 3. capite 6. & S. Tho. ibidem lect. 16.) his expositis, ad soluendas rationes dicitur, quod si numerus nouenarius, & 27. quatenus sunt numeri, contineãtur in Prædicamento quãtitatis: tamen quatenus huiusmodi numeri apud Mathematicos conficiunt quasdam figuras, ita vt numeri triangulares vel Cubi dicantur, sic in Prædicamento qualitatis continentur, quod etiam Aristoteles in libro 5 Metaphysicæ textu 19. clarè fatetur. Neque ex hoc sequitur eamdem rem in diuersis Prædicamentis cõtineri, quia numerus vt numerus, cum sit species quantitatis discretæ, ideo in Prædicamẽto quantitatis reponitur; sed numerus triangularis, & Cubus, quia ipsi c, figuram significat; ideo vt sic sub Prædicamento qualitatis collocantur: & hæc de tertia opinione.

Numeri compositi ratione figuræ sũt in Prædicamento qualitatis.

Opinio S. Tho. probatur.

Quoad duas priores sentẽtias, quamuis vtraque sit probabilis, scilicet artificiatorum nomina significare aggregatum ex subiecto, & forma accidentaria sicut prior opinio asserebat vel primò formam, & ex consequenti materiam, quemadmodum posterior affirmabat: tamen hæc posterior tanquam probabilior, & apud Philosophos cõmunior habetur. Quapropter hãc eãdẽ sustinemus, & ad illius corroborationem alias authoritates, & rationes non adducimus, præter eas, quas in sectione secunda apposuimus, satis namque sunt manifestæ.

SECTIO Quinta.

Diluuntur rationes prioris opinionis.

SI quis prioris sententiæ argumenta diluere velit, sic respondeat.

Aristoteles cur vtitur exẽplis artificialium ad naturalia explanãda.

Ad primum conceditur Aristotelem vbique ferè locorum vti exemplis arte factorũ ad explanandam generationẽ corruptionemque substantialem compositorum; eo quod huiusmodi exẽpla præstò sunt ad sensum, nobisque notiora,

Verum-

Verumtamē nō sequitur quod si apud opinantes totum esse idem cum partibus sumptis, verbi gratia, homo qui est quoddam totum, dicat corpus, & animam simul, ita arte facta dicant subiectum, & formam simul. ratio est: quia ex materia, & forma fit vnū per se, sed ex subiecto, & figura non fit vnū per se. Ad hoc etenim quod ex duobus fiat vnū per se, necessarium est quod ipsorum vnum sit potentia, & alterum actus: modò subiectū in quo artificialis figura recipitur est ens actu completū, atque accidentaria forma ab eo sublata; ad ipsum adhuc remanet quò ad suum esse indiuiduale. Ex his fit manifestū, quid ad authoritates Aristotelicas sit dicendum, nimirum quod artefactorum exemplis vtitur, eo quod nobis notiora sint.

2. Solut. Ad rationem qua dicebatur sequi serram dici vniuocè de ferrea, & cerea; atque nauim de lignea, & papyracea: duos modos soluendi reperio. Primo, aliqui negant consequentiam, eo quod vt ipsi dicunt ratio, & diffinitio in instrumentis penes finem ab agente ordinatis attenduntur. Nam cum omnium artefactorum finis sit homo, in cuius vsum instrumenta diriguntur, sicut ex libro 2. Physicorum textu 24. elicitur; manifestum est quod ipse facit nauim ad nauigandum, & securim ad scindendum: & quia instrumenta in tali materia, & figura efficiuntur, quibus sint apta ad producendos effectus, quos agens intendit, ideo nomen, & ratio instrumentorum non reperitur nisi in his quæ verè, & propriè sunt instrumenta. At quia nauis papyracea non est apta ad nauigandum, neque serra cerea ad scindendum ligna, ideo non dicuntur nauis, aut serra, nisi secūdum quandam similitudinem. Quapropter ad argumentum negatur consequentia, quod si artificiata significāt primò formā, ergo nauis dicitur vniuocè de lignea, & papyracea, quia nauis papyracea non est propriè nauis, sed secundum quamdā similitudinem, sicut homo pictus non est homo, nisi secundum similitudinem, ideo æquiuocè dicitur.

Nauis lignea, & papyracea, an dicantur vniuocè.

Altero modo alij sic respondent, quod nauis lignea, & papyracea duobus modis considerari potest: vno modo quo ad materiam, & sic nauis dicitur æquiuocè de hac, & de illa naui; altero modo quo ad formam, & figuram arte inductam in eam materiam, & ita vniuocè dicitur, quia in artificialibus non penès materiā, sed penès figuram, & formam vniuocatio attenditur.

Ad aliam qua dicebatur, quod qui induit vestem, vel calceamentum, vel quid aliud arte factum, non declarat induisse solam formam, vel materiam, sed vtrumque simul. Respōdetur quod induens se vestem, intendit vtrumque simul, eo quod non intendit indue-

ducere materiam præcisè, aut formam præcisè, sed materiam tali figura figuratam: ex quo dicitur quod si vulgus declaret prius materiam, quàm formam, nihilominus quo ad nominis significationem primò figuram intendit, alioquin non esset cur magis intendat induere pannum simpliciter, quam pallium, aut calceos: si nomine pallij, aut calceorum primò significatum non esset artificiosa forma. Attamen non significatur forma vel figura præcisè, sed in tali materia recepta, quod est materiam ex consequenti innuere.

Induens pallium quid intendat.

Notandum postremò quod si artefactorũ denominationes fiant à materia, ita vt dicatur vas æneũ, statua marmorea, securis ferrea, anulus aureus, vestis linea, pallium laneum, tunc primò significatum est ipsa materia à qua fit denominatio: secus autem si dicatur vas deauratum, statua deargentata: tunc primò significatum est ipsa forma: quia deauratum, & deargentatum non importat materiam, sed qualitatem appositam circa materiam.

DISPVTATIO

Duodecima.

An accidentia abstracta, potiusquàm concreta in Prædicamentis reponantur.

SECTIO

Prima.

Ocham, & Toleti opinio affirmantium accidentia in concreto præcipuè in Prædicamentis reponi, refertur.

DIsputatio proponitur, an quantitates, & qualitates, & reliqua accidentia potiori ratione reponãtur in Prædicamentis, quatenus respondent nominibus abstractis, vt quantitas, albedo, vel quatenus concretis, vt quãtum, album, & huiusmodi, neque de hac re est vna Aristotelis expositorum sententia. Omnes itaque in hoc vnum conueniunt, omnia accidentia tum abstracta cum concreta in Prædicamentis contineri: dissentiunt postea dum alij volunt concreta per se licet non primò, alij non nisi reductiuè in Prædicamentis contineri. Alij concreta potiori ratione, ac per se primò, alij verò abstracta per se primò in eisdẽ

reponi asserunt. Sed Philosophorum placita videamus.

1. Obiec. Gulielmus Ocham in suis Prædicamentis, & Franciscus Toletus in quæstionib. de Prædicamentis in communi, q. 2. existimarunt qualitates, & reliqua accidentia reponi præcipuè in Prædicamentis quatenus concretis nominibus respondent, quod assertũ authoritatibus, & rationibus confirmant sic.

1 Aristoteles in vno Prædicamento reponit abstracta, & in altero concreta: nam in genere ad aliquid collocat sessionẽ & accubitum quæ sunt abstracta, quorum sedere, & accumbere quæ sunt concreta, in Prędicamento Situs collocantur, eo quia hoc modo ipsum constituũt: ergo concreta pcipuè in Prædicamẽtis reponuntur.

2 Præterea, si in quibusdam Prædicamentis abstracta sumantur, nõ erit nouum Prædicamentum, v.g. Vbi, Quando, vestitum esse, quorum abstracta sunt locus, tempus, vestis, quæ in alijs Prædicamentis cõtinentur, ac propterea consulto ab Aristotele in concreto ponuntur.

3 Præterea, Omnia Prædicamẽta accidentium distinguuntur, & cõstituuntur penes modos essendi, & prædicandi de primis substantijs: sed hi modi non nisi per concreta explicãtur: ergo concreta præcipuè in Prædicamentis reponuntur. Maior patet ex Aristotele in libro 5. Metaph tex. 14. vbi sumit Prædicamenta accidentiũ per habitudinem ad substantiam: & in Prædicamento substantiæ comparat omnia cum secundis substantijs respectu primarum: ergo omnia in concreto sumuntur.

4 Præterea, concreta magis significant accidentium naturam, quàm faciant abstracta; atque similiter magis significant id quod in Prædicamento reponitur: ergo concreta potiori ratione in Prædicamẽtis reponuntur. Antecedens probatur ex lib 7. Metaph. textu 2. vbi Aristoteles ostendit qđ accidentia in concreto, vt ambulãs, sedens, albũ sunt magis entia q̃ in abstracto, vt ambulare sedere, albedo: quod est dicere, concreta significare magis naturam accidentis, cuius est in alio esse.

5 Præterea, Prædicamentorum omnium est eadem ratio: sed in Prædicamento substantiæ reponuntur præcipuè concreta ergo, & in Prædicamentis accidentium concreta præcipuè reponi debent. Minor probatur. Substantiæ primæ, vt notum est, concretè sumuntur: similiter secundæ: quia cũ hæ sint genera, & species, sub quibus primæ ponuntur, necesse est, quod in cõcreto sumantur: abstractæ enim nullo modo, neque vt genera, neque vt species de concretis prædicari possunt.

Concludit tandem Toletus, aliqua abstracta reponi ab Aristotele in Prædicamentis, vt in tribus prioribus est manifestum; ne si concreta poneret,

ret, aliqui deciperentur; putantes concretorum subiecta in eo Prædicamento esse, vel aliquos alios respectus qui subiectis insunt: nam qui dicit calidum, dicere subiectum videtur: qui dicit agens, videtur dicere relationē agentis, propterea ne caloris subiectū quis in Qualitatis Prædicamento constituat, & actionem in relatione ponat, ideo aliqua in abstracto sumit. Sed reuera in Prædicamentis non ponūtur, nisi quatenus concretè sumuntur. Quam opinionem Ocham antea defendit, vt Paulus Venetus in capite ad aliquid in 1. parte illius capitis refert.

SECTIO Secunda.

Abstracta accidentium, potiori ratione, quàm concreta in Prædicamentis reponi, Auicennas, & S. Thomas sustinent.

Altera sentētia priori omninò aduersa est, quam Auicennas in libro tertio suæ Metaph. capite tertio, & Sanctus Thomas in opusculo 42. cap. 19. & in tractatu de Ente, cap. 7. ad medium defendunt, videlicet, abstracta accidentium priori ratione quàm concreta in Prædicamentis reponi. Quam positionem authoritatibus, & rationibus sic confirmant.

1 Primo Aristoteles in libro 3. Topicorum, capite primo in explanatione tertij, & quarti loci inquit, quod iustitia, & non iustum est in genere: ergo abstracta præcipuè in genere collocantur, & de similibus idem iudicium habetur.

2 Præterea, Illud per se, ac præcipuè in Prædicamento ponitur, quod est simplex prædicatum, idest simpliciter significans rem illius Prædicamenti, & ratione cuius reliqua in eodem Prædicamento collocantur: sed accidens in abstracto significat simpliciter formam accidentariam: in concreto verò significat eā quodā modo compositiuè, concernendo subiectum; & ideò concretū ratione abstracti quod est formale significatum, ponitur in Prædicamentis: ergo abstractum per se primò ponitur. *Concretū ponitur ī Prædicamēto per abstractum.*

3 Præterea, Accidentia ponuntur in Prædicamento potius spectato modo quo insunt in primis substantijs, quàm quo de illis prædicantur: quod si nisi concretè prædicentur tamen concretè, & abstractè insunt: & si concretè insunt per modum identitatis, tamen abstractè insunt per modum inhærentiæ quæ natura est prior identitate: non enim quia album est idem cum Petro, iccirco albedo inhæret Petro: sed econtra quia albedo inhæret Petro, ideo album est idem cum Petro: igitur abstracta priori, & potiori rōne in Prædicamentis reponuntur.

4 Præterea, Prædicamenta

distinguuntur saltem formaliter: ergo accidentia ponuntur in Prædicamentis, prout potius nominibus abstractis, quã concretis respondent. Antecedens fit notum ex dictis in Disputione 7. Consequentia probatur. Accidẽtia abstracta potiori modo significant formã, quam concreta eam significent; quia abstracta significant eam præcisè, & concreta concernunt subiectum, vt dictum est.

5 Præterea, Illud per se primò in Prędicamentis ponitur, quod per se significat Ens, & vnum: sed Accidentia concreta non significant Ens, & vnum per se, bene quidem abstracta: ergo concreta accidentium non per se primò, sed abstracta hoc modo in Prædicamentis reponuntur. Minor ex eo probatur, quod Prædicamenta diuidunt Ens per se, sicut in libro 5. Metaph. textu 14. dicitur, ergo debent signare ens per se, quod abstractis conuenit. Sed quod concreta non significent vnum, & ens per se, manifestatur ex hoc quod concernunt subiectum: & ex subiecto, & accidente fit vnum per accidens, vt in libro 7. Metaph. dicitur. Igitur abstracta potiori ratione, quàm concreta in Prædicamentis reponuntur. Hanc eamdem Conclusionem habent Caietanus in tractatu de Ente, capite 7. Burleus in Prædicamentis. Paulus Venetus ad initium Commentariorum capitis de Quantitate, & in capite ad aliquid in dubitatione posita ante tractatum proprietatum; & ad finem capitis de Qualitate Dominicus Soto in capite de Quantitate, q 1 ad secundum argumentum principale. Petrus Fõseca in lib. 5. Metaph. capite 7 q 5. sect. 5. & quàmplures alij hanc tanquã sententiam probabiliorem sequuntur.

CONCLVSIO II.

Sit secunda Conclusio. Concreta accidentium reponuntur in Prædicamentis per se. non primò.

1 Quæ conclusio habet duas partes, quarum vna affirmat accidentium concreta reponi per se in Prædicamẽtis: Altera non primò. Prior pars Conclusionis redditur manifesta ex hoc, quod Philosophus in singulis Prędicamentis concretorum exempla assignat. v. g. in quantitate bicubitum, tricubitum. In qualitate diffinit quale, atque de albo, & calido exẽpla apponit. In ad aliquid duplum, & dimidium, Patrem, & Filium, dominum, & seruũ adducit; quæ quidem exempla non rectè assignarentur, nisi ipsa accidentium concreta in Prædicamẽtis p̃ se reponãtur.

Confirmatur ex hoc, quod concreta accidentium quo ad nominis significationem accidentarias formas primò significant, sicut in Disputatione 10. sectione 4. dicitur; quæ formæ cum sint genera, & species reponuntur per se in Prædica-

dicamentis. Ergo saltem quo ad hanc conditionem siuè significationem concreta reponuntur per se in illis.

Concreta qualiter sint ĩ Prædicamentis.

Quo ad alteram partem, videlicet, quod non primò in illis reponantur, fit notum ex hoc quod concreta non sunt in Prædicamento nisi ratione formæ quam significãt: album etenim non est in Prędicamento qualitatis nisi ratione albedinis, & iustum ratione iustitiæ, Pater, & Filius ratione paternitatis, & filiationis; quapropter cum concreta sint in Prædicamentis ratione alterius, scilicet ratione formæ quã significant, sequitur quod non primò in ipsis reponãtur; imò si spectetur quod huiusmodi accidentia concreta cõsignificant subiectum; quo qui dem pacto sunt quædam aggregata ex his quæ in diuersis Prædicamentis collocantur, & penes quam considerationem Aristoteles in libro 7. Metaphysicæ, textu 21. vocat album ens per accidens; atque suddit duo significare id cui accidit; ideò concretum vt sic, non solum neque primaria ratione, sed neque etiam per se in Prædicamentis, reponitur. Ad quod S. Thomas fortè respiciens dixit concreta accidentium non nisi per reductionem in Prædicamentis poni, eo videlicet modo quo res impura ad suæ naturæ puritatem reducitur; ita Caietanus præassignatis locis ipsum interpretatur. Concludatur igitur abstracta accidentium potiori ratione quàm concreta in Prædicamentis reponi, cum ea per se primò, idest non ratione alterius; hæc verò per se non primò hoc est ratione alterius in illis reponuntur. Imò si spectetur quatenus subiectum consignificant, non nisi per reductionem in illis ponuntur, & hoc modo intelligitur assertum Aristotelis, nẽpe quod non iustum sed iustitia est in genere, quia iustitia per se primo, iustum per se nõ primo: nam abstractum, & concretum sunt in eodem genere, sed non eodem modo. Consulatur Paulus Venetus in præfatis locis.

Conclusio opinionis.

Metaphysicus alio modo quã Logicus dicit abstracta, & concreta esse in Prædicamento.

Circa iam dicta, notandum quod alio modo Metaphysicus, & alio modo Logicus indicat abstracta, & concreta esse in Prędicamentis: Nam cum apud Metaphysicum qui res secundum propriam essẽtiam considerat, & non secundum modum intelligendi, & significandi, abstractum, & concretum non differant, eo quod eadem res abstractè, & concretè significetur, ideo asserit quod sicut abstractum ita concretum est in genere, res .n. per suam essentiam ingreditur vel egreditur genus Metaphysicè sumptum, idest per rem generis, & non per modum significandi, vnde Metaphysicus non dixerit album ens per accidens, sed hoc album, vt in libro 5. textu 15. & libro 7. Metaph. textu 16. dicitur. Logicus autem qui non res secundum suas naturas, sed secun-

cundum intẽtiones adiunctas primis intellectis, & significat ea cōsiderat, dicit abstractum esse in genere, concretum verò non; eo quod res nomine abstracto significata potest de nominari species, vt albedo, & genus, vt color; concretum autem nō, propter alietatem modi significandi. Hæc Caietanus super tractatum de Ente capite septimo.

SECTIO
Tertia.

Respondetur rationibus, quibus altera opinio contendit concreta potius quàm abstracta in Prædicamentis reponi.

Determinato ex vniuersali Philosophorum consensu, abstracta accidentium potiori ratione quàm concreta in Prædicamentis reponi, nūc necessarium est, eas authoritates, & rationes soluere quibus prior opinio affirmabat huius determinationis oppositum.

Ad primum negatur quod Aristoteles assignet abstracta quorumdam Prædicamentorum in alio genere, & concreta in eo in quo assignanda sūt; & cum dicitur, quod in genere ad aliquid ponit positionē, sessionem accubitum, quorum concreta sunt in genere situs. sciendum pro solutione huius obiectionis, quod prior relatiuorum diffinitio in littera assignata, non ex propria sententia Aristotelis ponitur, sed ea suo tempore circumferebatur, & fortassis à Platone (Boetio teste) assignata: ideo in illo capite vsque ad textum septimum, multa à Philosopho dicuntur (sicut Ammonius notat) tanquam quædam inconuenientia, quæ ad positam diffinitionem consequuntur. stat enim iuxta assignatam diffinitionem quod si ad aliquid dicuntur. s. quod Positio, Sessio, & Accubitus sint relationes, eo quia sessio dicitur alicuius sessio, & accubitus dicitur alicuius accubitus. At si relatiuorum prior diffinitio non rectè assignetur, quemadmodū Philosophus in textu 7. apertis verbis demonstrat; tunc manifestatur, quod sessio, accubitus, statio, non sunt propriè relatiua, quorum totum esse est ad aliud esse, siue se habere; sed sunt relatiua secundum dici tantum, quæ non sunt verè relatiua. Igitur ad argumētum negatur, quod positio, sessio, accubitus, & huiusmodi abstracta, ad mētē Aristotelis sint propriè in genere Ad aliquid, nisi penès priorem relatiuorum diffinitionem positam, quæ ab eodem Philosopho postea emendatur. Quam ob rem Author sex principiorum assignat positionem esse generalissimum, & omnes expositores hoc modo Aristotelem exponunt; imo ipsemet Toletus in eodem capite id adnotauit. Sed inter cæteros Caietanus in capite de Agere, hoc

Diffinitio prior relatiuorū non est ad intentionem Aristotelis.

Sessio, statio accubitus sūt relatiua secūdum dici.

hoc totum animaduertit.

Ad secundum negatur consequentia, videlicet, si in quibusdam sumantur abstracta, ergo noua, & distincta Prædicamenta non constituuntur. Ad illius probationem negatur quod locus sit abstractum Prædicamẽti Vbi, Tempus Prędicamenti Quando, & Vestis Prædicamenti Habitus. Sed sicut concretum ipsius Vbi, est esse, vel cõtineri in hoc, vel illo loco, vt in foro, vel in Gymnasio: concretum ipsius Quando contineri aut mensurari hoc, vel illo tempore. Concretum ipsius habitus esse vestitũ aut armatum, ita abstractum ipsius vbi est circumscriptio, ipsius, Quãdo mensura, ipsius habitus adiacentia, quatenus sonant aliquid se habens per modum formę extrinsecus adiacentis vt iam dictum est. Aliquorum namque Prædicamentorum abstracta non possunt ita nominari vt concretorum denominationes fiant ab abstractis secundum omnes conditiones ad denominatiuorum naturã requisitas. Locus enim dicit solam superficiem corporis locantis: & Tempus importat numerum motus secũdum prius, & posterius, vt in lib. 4. de Physico auditu scribitur; & vestis significat artificiosam formam vel figuram in materia receptam.

Abstracta Prædicamenti. Quando Vbi, & habitus, quæ sint.

Ad tertiũ respondetur; quod si Prædicamenta distinguantur penes modos prædicandi de primis substantijs, de quibus Prædicantur concretè: tamen ex hoc nõ sequitur quod concreta accidentium per se primò, in illis reponantur. Prædicantur concretè, tamen insunt abstractè; non .n. album sed albedo inest Socrati, per quam denominatur albus; & quia prædicari supponit inesse, ob id albedo prius inest, quàm prædicetur; sed inest abstractè, & prædicatur concretè. Dicitur secundo, quod modi Prædicandi non faciunt absolutam Prædicamentorum distinctionem, sed tantum respectu nostræ cognitionis, vt supra dictum est.

Ad quartum negatur antecedens, & ad authoritatem Aristotelis respondetur sic: concreta significare magis naturam accidentis, quàm abstracta, duobus modis intelligitur, vno ex parte rei significatę, & significantis, altero ex parte modi significandi. Primo modo concreta non significant magis naturã accidentis quàm abstracta significent; quia quodcũque accidens siue abstractum siue concretum semper est in subiecto: sed ex parte modi significandi, quia concreta connotant subiectum, ideo magis significãt naturam accidentis, cuius esse est inesse: at hoc discrimen non ex parte rei significatæ, sed ex modo intelligẽdi prouenit: vnde non sequitur, quod concreta potiori ratione sint in Prædicamento collocanda, eo quod accidens est semper in subiecto. Consule S. Thomam in lib. 7. Metaph. lectione 1. &

Concreta significare magis naturam accidẽtis quàm abstracta du pliciter intelligitur

Iauellum ibidem quæst. 2.

Ad quintum respondetur, quod si modus essendi accidentium in subiecto significetur per concretum, tamen nō sequitur quod eo modo in Prædicamento reponantur, quia vt sic, neque generum, neque specierum rationem habent.

Ad sextum solutio habebitur ex his quæ in sequenti Disputatione dicentur.

DISPVTATIO Decimatertia.

An substantiæ priori ratione in suo Prædicamento collocentur, quatenus abstractis, vel concretis nominibus respondent.

SECTIO Prima.

Substantiæ potiori ratione collocantur in suo Prædicamento, vt nominibus concretis, quàm abstractis respondēt.

QVemadmodum de concretis atque abstractis accidentium disputabatur, quæ ipsorum potiori ratione in Prædicamentis collocarētur: ita de substantijs apud Philosophos extat Disputatio; quæ earum priori ratione in suo Prædicamento reponantur, videlicet, an quatenus nominibus concretis, vel quatenus abstractis respondent. Etenim sicut in accidentium naturis, & abstracta, vt albedo, musica dulcedo, & cōcreta vt album, musicum, dulce, assignantur, ita in substantiarum genere concreta reperiuntur, vt homo animal, & abstracta vt humanitas, & animalitas.

Notandum præterea, quod sicut abstracta accidentium significant formam præcisè, siue per modum substantiæ, id est solitariè, nullum subiectū ex ipso modo significandi cōcernendo; quamuis re ipsa absque subiecto nō reperiantur, & quod accidentis esse est inesse, vt in libro 7. Metaph. tex. 2. dicitur: & concreta eamdē formam significant, non tamē præcisè, idest solitariè, sed cō notando subiectum cui inhæret; Ita substantia abstractè sūpta, verbi gratia humanitas significat formam præcisè, idest solitariè, nil aliud ab ipsa ex suo modo significandi significando; & concreta vt homo, eādem humanam formam significat, non tamen solitariè, sed vt in aliquo subsistentem; & à quo realiter non distinguitur, cum homo reipsa sit idem quod humanitas (quomodo autem suppositum se habeat respectu naturæ, quid super eā addat, & quo nam modo distinguatur, & quo non, non est hic Disputandi locus.) Ex quo fit quod concreta substantiæ, nihil

Substantia, & accidens in abstracto & concreto quomodo conueniunt.

nihil præter substantiam significare vel connotare dicũtur; quod concretis accidentium non contingit, eo quod subiectum ab ipsa forma accidentali significata distinguatur. Quapropter hęc dicuntur q̃dpiam aliud præter formam significare, videlicet subiectum, quod ipsorum naturæ est quid extrinsecum. His itaque quatenus ad rem spectant breuiter expositis, ad Cõclusionem deueniatur.

CONCLVSIO.

Sit igitur hęc Cõclusio. Concreta substantiarum potiori ratione reponuntur in suo Prædicamento, quã abstracta. Quæ Conclusio licet ab omnibus Philosophis sit receptissima; tamen rationibus confirmatur.

Quæ reponuntur per se primo in Prædicamentis, habẽt rationem generis, & speciei.

1 Primo, in quolibet Prædicamento reponuntur per se primò Genera, Species, & Indiuidua, de quibus hæc per se Prædicantur; sed substantiæ quatenus nominibus abstractis respondent, non habent rationem generum & specierum, si quidem talem rationẽ habent quatenus concretis nominibus respondent: ergo substantiæ in concreto sumptæ, vt homo Animal, & huiusmodi, in suo Prædicamento principaliter reponuntur. Maior propositio manifestatur ex hoc, quod Prędicamentum est coordinatio generum, specierum, & indiuiduorum. Minor probatur. Genera, & species Prædicantur in quid, de suis inferioribus, quod per interrogationis signum Porphyrius indicauit; sed si quis interrogetur quid sit homo, vel Socrates, non respondebit quod sit Animalitas, vel humanitas, sed dicet, quod est animal aut homo: ergo cum substantiæ ratione concreti, & non abstracti habeant rationem generũ, & specierum, sequitur quod quatenus concreta, in suo Prædicamento reponantur.

Substantia prima ponuntur in Prædicamento positione materiali.

2 Præterea, in Prædicamento substantiæ, reponũtur quoque substantiæ primæ, quæ in recta linea collocantur, licet non eodem modo quo genera & species, quia hæc positione formali, & ea positione materiali ibi reponũtur, sicut super Porphyrium explanauimus: sed primæ substantię sunt Entia concreta; ergo substantiæ quatenus concretis nominibus respondent in suo Prædicamento potiori ratione reponuntur.

Hinc nonnullæ Differentiæ inter concreta, & abstracta accidentium ex vna parte; & concreta & abstracta substantiæ ex altera colliguntur.

1 Prima est, quod abstracta accidentium per se primo ad suum Prædicamentũ spectant, quia vt sic, & generum, & specierum rationem habent. Color etenim, albedo, dulcedo, vt sic, habent rationem generum, & specierum, atque de suis inferioribus in quid Prædicantur. Nam color de albedine, & albedo de hac albedine

Differentia cōcretorum, & abstractorum substantiæ, & accidētis, quo ad poni in genere.

ne in quid prædicantur, non secus atque Animal de homine, & homo de Socrate in qd. prædicatur, & omnes sub qualitate tanquam sub genere generalissimo constituuntur, sicut Aristoteles in ipso Prædicamento explanat; idem de alijs suo modo affirmatur. Abstracta autē substantiæ quamuis ad Prædicamentū substantiæ per se pertineant, eo quod sunt substantiæ; nō tamen per se primo in eo reponuntur; tùm quia vt sic, non habent rationem generum, & specierū, sed rationem principij, Animalitas .n. non est genus, sed generis principium, neque humanitas est species, sed speciei principium; tùm quia vt sic, non sunt Entia completa, & per se subsistentia, sed potius per modum partis significantur: at quæ in Prædicamento substantiæ per se primo ponūtur, sunt Entia completa, per se subsistentia, atque per modum totius significata, vt Socrates, Homo, Animal.

2 Secunda est, quod concreta accidentium pertinent per se ad suum Prædicamentum, quia significant formam, tamē non per se primò in eo collocantur, eo quod spectantur ad modum subsistentium, propter consistentis subiecti connotationem, sub qua consideratione neque generum neque specierum rationem habent; non .n. coloratum sed color est genus, neque album sed albedo est species. Concreta verò substantiæ per se primo ad suum Prædicamentum pertinent, quia vt per se subsistentes spectantur, sub qua consideratione eum generum, tùm specierum denominationē habent; quare contrario modo hæc, & illa se habent, & hæc fortè sunt quæ Caietanus in tractatu de Ente capite 7. particula 8. ad calcem notat, videlicet, Aliquid facit rem in Prædicamento reponi duobus modis; Primò modo vt ratio reponendi ipsum in Prædicamento, secundo vt conditio sine qua non. Ratio reponendi rem in genere siue in specie, est illius rei essentia, res .n. per suam essentiam ad genus, & speciem diffinitur; conditio autem sine qua non, est ipse modus significandi. verbi gratia, in Prædicamento substantiæ, conditio sine qua res non suscipit generis vel speciei denominationē, est modus significandi in concreto; in Prædicamentis accidentium conditio sine qua non, est modus significandi in abstracto. Propterea dicitur concretum accidentis non reponi per se primò in Prædicamēto, non quia careat ratione reponēdi cum sit res, sed propter defectum conditionis, sine qua non, idest, quia vt sic, caret ratione generis, & speciei. Similiter quando dicitur quod humanitas, & animalitas, & vniuersal ter abstractum substantiale, non ponitur per se primò in Prædicamento, non accidit ob defectum rationis reponendi, quia est substantia: sed ob ca-

Ratio, & cōditio reponendi rem in genere.

carentiam conditionis sine qua non, quia scilicet vt sic; non recipit denominationem generis & speciei. Sed verum est id quod ad finem secundæ Sectionis, superioris Disputationis diximus, nempe quod Metaphysicus indicat res esse in Prædicamentis per propriã essentiam, eo quod rei essentiam, & non modum significãdi considerat, Logicus autem qui non rerum naturas, sed secundas intentiones adiunctas primis contemplatur, inquit eas esse in genere, quia talem, & talem modum significandi habent: vt iam dictum est, & hæc sufficiunt ad explicandã hanc Disputationem, in qua Philosophi vnanimiter conueniunt.

DISPVTATIO

Decima quarta.

An arte facta in aliquo Prædicamento locum per se habeant.

SECTIO Prima.

Arte facta in Prædicamento Qualitatis per se reponuntur.

De his quæ arte fabricantur, in quo Prædicamento locum per se habeant; non est omnium Philosophorum vnus & idem dicendi modus. Qui sustinent arte factorum vocabulum, & nomen ex sua primaria significatione significare artificiariam formam, at que subiectam substantiam simul, ex quibus haud conficitur vnum per se, quod verum genus, aut species, nec his subiectum indiuiduum sit, inquiunt ad nullum Prædicamẽtum per se primo, sed ad diuersa, ex quibus conficiuntur reuocari, & ad quæ eorũ partes deinde per se spectant. Statua etenim ratione subiectæ materiæ in Prædicamẽto substantiæ, & ratione artificialis formæ in Prædicamento Qualitatis per se collocatur. Triangulus, Quadrangulus, & similia, ratione linearum ex quibus conficiuntur in Prædicamento Quantitatis sunt, cum lineæ sint Quantitatis species; sed ratione figuræ quam faciunt, ad Prædicamẽtum Qualitatis per se pertinẽt, eo quod figura in quarta specie Qualitatis collocetur. Sed in quo horum sint principalius reponenda, in Prædicamento substantiæ ratione subiectæ materiæ; vel in Prædicamento Qualitatis, ratione artificialis formæ: dissident hi, eo quod ipsorum nonnulli considerantes substantiam esse omni accidente præstantiorem; inquiunt ipsa artificiata in Prædicamento substantiæ potius esse reponenda. Alij animaduertentes arte facta non per sub-

Opinion. Philosoforum.

substantiam, sed per Qualitatem esse talia, credunt in Qualitatis genere esse collocāda. Consule Petrum Fonsecam in libro quinto Metaphysicæ capite septimo, quęstio. quinta, sectione quinta ad initium; & quæstione nona sectione 2.

Qui verò affirmant artificiatorum nomina significare primò ipsam formam artificialem, & ex consequenti subiectam materiam innuere, dicūt ea spectare per se ad Prædicamentum Qualitatis: ad quam positionem confirmādam hoc modo argumentantur.

1 Nullus terminus secūdum eamdem significationem; nullaque prorsus res formaliter accepta constituitur in diuersis Prædicamentis, aliàs rueret tota ars Aristotelis, cuius negocium fuit distinguere decem genera rerum, quæ primò, & per se essent diuersa: igitur inspicienda est natura formaliter significata, secundum quam res, & nomen in Prædicamento sunt collocanda; Sed arte facta significant formaliter ipsam formam, arte inductam; quæ forma in Prędicamēto Qualitatis per se ponitur; ergo ipsa artificiata in Prædicamento Qualitatis per se reponuntur. Quapropter statua, vestis, dolabra, vas, amphora, & similia, quia de eorum formali significatione dicunt figuras, & formas, quæ sunt passiones qualitatis, ideo in Prædicamento Qualitatis reponuntur.

Sunt aliqui, qui quædam artificiata habentia rationem mensuræ respectu mensurabilium considerantes, vt vas, amphora, dolium, & similia continentia aliquod mensurabile, verbi gratia aquam, vinum, oleum; distinguunt, & inquiunt, quod huiusmodi arte facta duobus modis considerantur: vel in ratione mensuræ, & sic in Prædicamento Qualitatis constituuntur. Consule interim Dominicum à Soto in capite de Quātitate quęstione prima ad quintum argumentum principale.

Artificiata quadā dupliciter considerātur.

Ad resoluendum igitur hoc quæsitum dicatur sic. Artefacta bifariam considerari possunt; vno modo quatenus arte facta sunt, & quia per solam formam artificialem sunt talia, & hanc formaliter significant, ideo vt sic ad Prædicamentum qualitatis spectant. Non tamen per se primò sicut etiam de concretis accidentium dicebatur, quia artefacta vt sic, non habent quod sint genera, & species; solæ namque figuræ, & formę solitariè sumptæ habent generum, & specierum rationē, propter quod hæ non ratione alterius, sed per se primò in eo Prædicamento reponuntur. Altero modo considerantur quatenus subiectum connotant; & quia ex subiecto, & accidenti non fit vnum per se, sed per accidēs, sicut ex lib. 7 Metaph. textu 21. elici potest; ideo penes hāc considerationem in nullo Prædicamento per se locum habent, sed ad diuersa ratione par-

Determinatio opinionum.

partium reuocătur, verbi gratia Statua per illius subiectam materiam ad Prædicamentum substantię, & per artificiariam formam ad Prædicamentum Qualitatis reducitur, & in quo Qualitatis Prædicamento priori atque potiori ratione censentur simpliciter collocāda, eo quòd per formam ab arte introductam sunt fabricata. nobilitas etenim siue substantiæ dignitas ad rem nihil facit.

DISPVTATIO Decimaquinta.

An omnia quæ sunt, & cogitari possunt, sint in Prædicamentis reponenda.

SECTIO Prima.

Reponi in Prædicamentis pluribus modis contingit.

SAnctus Thomas in p.p. quæstione 3. art. 5. hanc distinctionem assignat, videlicet, aliquid in genere esse duobus modis contingit, vno modo simpliciter, & propriè, alio modo per reductionem. Alij vero vt hos, & reliquos modos essendi in genere complectantur, dicũt quod esse in genere quatuor modis contingit. *Esse in genere multis modis cõtingit.*

1 Primo modo directè, & hoc est illud quod in recta linea Prædicamentali collocatur; sed poni in recta linea Prædicamentali duobus modis contingit, vno modo positione formali siuè secundum formam, alio modo positione materiali siue secundum materiam. Illud ponitur in recta linea Prædicamentali secũdum formam, in quod ipsum genus generalissimum per differentiam formalem ipsius inferioris constitutiuam descendit, & hoc modo sola species siue subalterna, siue specialissima sub genere directè ponitur, eo quòd genus per oppositas differentias in suas species distinguitur. Illud ponitur positione materiali, quod contrahit naturam illius superioris per differentias materiales; & hoc modo indiuidua in recta linea Prædicamentali, reponũtur, eo quod per solā diuisionem materialem superiora plurificantur in indiuidua. De his apertius scripsimus super Porphyrium in capite de specie in explanatione arboris Porphyrianæ. *Quid sit poni ĩ Prædicamentis positione formali, & materiali.*

2 Secundo modo aliquid ponitur sub genere indirectè; & est illud quod secundum se in recta linea non constituitur, tamen assumitur cum aliquo quod in ea ponitur, & hoc modo differentiæ quæ sunt ipsius generis diuisiuæ, & specierum sub eodem genere constitutiuæ *Poni in genere indirectè quid sit.*

quæ collocantur indirectè sub genere; quia non per se, sed quatenus assumuntur cum speciebus quas constituunt, vt rationale cum homine, & irrationale cum bruto: sed quam ob causam huiusmodi differentiæ non reponantur directè in linea legas explanationem, quam super arborem Porphyrianam habuimus.

Penè reductiuè i genere. 3 Tertio, aliquid continetur in genere reductiuè, quod quamuis in linea non sit, neque cum his assumatur quæ in linea ponuntur, tamen est principium eorum quæ in recta linea sunt, & hoc modo materia, & forma, quia sunt principia speciei, spectant ad Prædicamentum substantiæ. Similiter partes integrantes, quæ sunt materialia principia indiuiduorum, ad idem Prædicamentum substantiæ reducuntur; item punctus qui est principium Quantitatis continuę, & vnitas quæ est discretæ quātitatis principium ad Quantitatis Prædicamentum reuocātur.

Contineri in genere, vt principiū duobus modis contingit. Contineri tamen in genere vt principium duobus modis intelligitur; primo vt principium contentum in illo genere, & quod vltra illud genus non se extendit: & hoc modo materia, & forma sunt in genere substātię; pūctus, & vnitas ī genere Quantitatis. alio modo vt principiū continens ipsum genus, & quod extra illud genus se extendit, cætera videlicet quoque continens sicut ab eo effecta; quamuis per appropriationem in aliquo vno tan quam sibi magis appropinquante esse videatur vt continens. Hanc distinctionem habet Caietanus in p. p. quæst. 3. art. 5. ad dubium contra secundam Conclusionem.

4 Quarto modo aliquid pertinet ad Prædicamentum per accidens: illud scilicet quod cum non sit aliquod vnum ex prædictis, tamen est aliqua via ad ipsa, & hoc modo generatio, & corruptio ad substantiam pertinent, quia sunt via ad substantiam, alteratio ad qualitatem; ac tandem motus ad illud Prædicamentum ad quod est ipse motus, & omnis priuatio ad genus sui habitus; de quibus infra apertius dicetur. *Generatio, & corruptio pertinent ad Prædicamentum per accidens.*

SECTIO Secunda.

Quot, & quæ conditiones requirantur ad hoc, quod aliquid in Prædicamento reponatur.

Multæ conditiones necessariò requirūtur ad hoc quod aliquid propriè, & per se in Prædicamento reponatur; & licet alij plures, & alij pauciores assignent. Nunc tamen principales atque necessariæ explanabuntur.

1 Prima conditio est, quod in Prædicamento per se reponitur *Quod sit Ens.*

nitur sit ens. Hanc conditionem explicat Aristoteles in lib. 5. Metaph. textu 14. huius conditionis ratio est: quia cum Prædicamentum sit quidam ordo, series, & dispositio naturalis ex aliquo genere generalissimo, & ex his quæ sub ipso ponuntur: & sub genere quatenus est genus, quodam naturali ordine ponuntur tantùm species, & indiuidua, in quorum essentijs ipsum genus continetur. Hinc efficitur quod sola entia ponantur per se in Prædicamento. Quod si quis petat, quid per ens intelligatur. Respondetur quod per ens intelligitur oẽ illud qđ existit, vel existere põt. Ea etenim quæ Prædicamẽtorum seriem constituunt, vtrumque includere videntur. Nam, etsi existentia non sit vniuersalium, quæ vniuersalia ordinem Prædicamentorum constituunt, Verumtamen etiam ipsa singularia quibus semper atque necessariò coniungitur existẽtia, ab huius ordinis constitutione non remouentur, cum sint ipsorum generum fundamentum: vnde tam ea quæ existunt, quàm quæ existere possunt, ad aliquod Prædicamentorum spectant. Ita videntur sentire multi ipsius Aristotelis antiquiores, & recentiores interpretes.

Quod sit ens reale.

2 Secunda, quod illud ens sit ens reale; intelligendo per ens reale quidquid in rerum natura existere potest: ita S. Thomas in lib. 1. sent. dist. 2. art. 3. & de potentia quæstione 7. art. nono, & Scotus in lib. 1. Sent. dist. 23. quæst. vnica intelligere videntur ens reale. & cum dicitur quod illud ens possit in rerum natura existere, nõ est intelligendum quod extra intellectum tantùm existere possit, quemadmodũ sunt substãtiæ, & multa accidẽtia; sed illa accidentia ẽt comprehenduntur, quæ in ipso intellectu subiectiuè existere possunt, cuiusmodi sunt habitus scientiarum, & virtutum, & earum actus. Hanc conditionem insinuat Aristoteles ĩ Antepredicamentis in capite de incomplexis: & in lib. 5. Metaph. textu 14. quibus in locis rerũ vel entium realium exempla ponit.

Quod sit finitum.

3 Tertia, quod illud ens sit finitum; intelligẽdo nomine entis finiti id solum, cuius perfectio essentiæ certis finibus, & quasi limitibus continetur. Ratio huius conditionis hæc est: quia in Prædicamentis nõ collocantur directè nisi Genera Species, & indiuidua. Sed genera non possunt esse infinitæ perfectionis in essentia: quia species per additas specificas differentias sunt ipsis generibus perfectiores. Imo neque ipsæ species sunt perfectionis infinitæ, quia per proprium genus, & differẽtias, quasi per certos, & definitos limites definiuntur, & clauduntur. Neque etiam ipsa subiecta indiuidua esse queunt perfectionis infinitæ, alioquin suæ propriæ speciei naturam excederent; quod nemo Philosophorum ad-

Nullum genus est infinita perfectionis in essentia neque etiã species.

admittit neque concedit; dũmodo sermo sit de indiuiduis, quatenus indiuidua sunt: ita sentiunt de hac cõditione Magnus Albertus in Prædicamentis tract. 1. cap. 7. Auicennas in lib. 8. Metaph. cap. 5. Theologi ferè omnes in libro primo sententiarum distinctione octaua: ac specialiter Sanctus Thomas in p. p. quæstione 3. art. 5. per totum.

4 Quarta, quod sit Ens completum; quod Ens completum est duplex, vnum simpliciter, & aliud secundum quid. Ens completum simpliciter est ens quod ad nullius entis constitutionem per se pertinet, & totum habet in se quod ad suę naturæ cõstitutionem spectat, vt hic homo, hæc quantitas, hęc albedo, & similia. Ens completum secundum quid, dicitur quod prædicatur in quæstione quid est, de eo quod est completum simpliciter, & hoc modo genera, & species dicuntur entia completa secundum quid. prædicatur .n. Animal de hoïe, & de hoc hoïe; linea de linea, & de hac linea; color de albedine, & de hac albedine. Hæc conditio ex arbore Porphyriana explanatur, in qua non solum indiuidua tanquam fundamẽta, & omnium prædicatorum bases, sed species, & ipsarum genera vsque ad generalissimum inclusiuè reponuntur.

Quod sit Ens completum.

Ens completũ duplex.

5 Quinta, quod sit vniuocũ; ratio huius conditionis sumitur ex eo, quod nisi positum in Prædicamentis sit vniuocum, tunc sequeretur Prædicamentorum maxima confusio; quod haud modicum absurdum putaretur Prędicamenta etenim adinuenta fuere vt entium vnum ab altero distinctum cognosceretur, sicut inter multas causas Caietanus innuit in præfatione Categoriarum ad medium.

Quod sit vniuocũ.

6 Sexta, quod sit incomplexum, ratio est, quia ea quæ in Prædicamentis per tractantur sunt simplices, & primi conceptus, vt dictum est; & quod si ea quæ in Prædicamentis locum per se habent non essent incomplexa, tunc non essent.

Quod sit incomplexum.

Primi ac simplices cõceptus. Hinc Aristoteles in Capite de numero Prædicamentorum, figuras assignans de incomplexis exempla apponit.

7 Septima, à quibusdam additur, quod posita in genere componantur ex materia, & forma: quæ conditio non est omnino necessaria; alioquin substantiæ immateriales non reponerentur in Prædicamentis, & cum dictum est, fore necessarium id esse ens completum, in hac conditione comprehenditur quæcunque completa substantia, siue corporea. Verumtamen dici potest, necessarum esse vt id sit compositum vel ex materia, & forma, vel ex aliquo vicẽ gerente formæ, & materiæ, vt puta ex genere, & differentijs, vel ex actu, & potentia. Hæ sunt igitur conditiones requisitæ ad hoc quod aliqua natura ꝑ se, &

Non prorsus necessaria.

& propriè in Prædicamentis reponatur.

SECTIO

Tertia.

Qua ratione assignatarum cōditionum ad seriem Prædicamentorum per se, & directè non spectant.

Negationes, & priuationes, non spectant per se ad Prædicamentum.

RAtione defectus primæ cōditionis accidit, vt Entia à Prædicamentorum serie excludantur, quemadmodum sunt negationes siue absolutæ, vt non Ens, non substantia, nō homo, non equus, siue priuatiuæ quæ aptitudinem in subiecto supponunt, vt surditas, cæcitas, & huiusmodi: nam huiusmodi negationes, etsi quatenus intellectu concipiuntur sint aliquo modo Entia, vnde Aristoteles in libro quarto Metaph. textu 2. inter significata entis eas numerauit, tamen quia ex se non habent vnde concipi possint, sed ex his quę negantur, concipiuntur, verbi gratia cęcitas concipitur in oculo ex eo quod ibi visus nō sit, ideo simpliciter sunt non entia, sic Aristoteles in libro primo Physicorum textu 75. & alibi sæpè eas vocat, ac propterea in Prædicamentis per se non reponuntur.

Impossibilia, & ficticia non pertinet ad Prædicamentū.

Præterea ratione eiusdem primę conditionis reijciuntur à Prædicamentis omnia impossibilia, & ficticia, vt chimera, hircoceruus, & similia: nam si partes putà membra diuersorum animalium, ex quib. noster intellectus fingit aliquod animal compositum, v. gr. ex homine & equo, vel ex ceruo, & hirco, sint in rerum natura, quia homo est, & equus est: tamen reale compositum ex his non reperitur. Quapropter hæc, & similia impossibilia ad nullum Prædicamētum directè spectant, etsi quatenus intellectu finguntur, sint aliquo modo Entia.

Ens rōnis duplex.

Defectu secundæ conditionis excluduntur à Prædicamētis Entia rationis, quæ non in rerum natura, sed in intellectu tantum obiectiuè sunt: sed sicut in Disputatione quinta de Vniuersalibus super Porphyrium diximus. Ens rationis est duplex, vnum quod propriè est ens rationis, & est illud qđ ab operatione intellectus ita dependet, vt tamen de rebus realibus dicatur, cuiusmodi sunt notiones generis, & speciei, & similia, & hæc fundantur in rebus denominatis genus, & species. Alia sunt entia rationis impropriè, quorum esse ita ab intellectu depēdet, vt de rebus realibus dici nequeant, cuiusmodi sunt chimeræ & fictitia, quæ etsi quo ad partes in rebus fundētur, quia in rerum natura reperitur caput leonis, cauda draconis, pedes vrsi, pectus hominis, tamē quo ad totum non habent fundamentum, quia talia Entia ex illis partibus composita non existunt: cum ergo dicitur

quod Entia rationis à serie Prædicamentorum excluduntur de his omnib. intelligitur.

Infinitũ duplex. Secundũ propriam rationem & simpliciter.

Ob defectum tertiæ conditionis, ea quæ sunt perfectionis infinitæ à Prædicamentis excluduntur: distinguendum tamen est, quod infinitum est duplex.

Primum dicitur infinitum secũdum propriam rationem; aliud dicitur infinitum simpliciter, seu secundum essentialem perfectionem; illud dicitur infinitum secundum propriam rationem, quod nullis terminis suæ propriæ latitudinis clauditur, licet ad talem entis gradum diffiniatur; eo quòd non omnem essendi perfectionem habeat. Illud autem est infinitum simpliciter, quod nullis infra totius entis latitudinem terminis limitatur, sed omnem habet perfectionem essendi. Exemplum primi infiniti in quantitate molis: si daretur linea infinita, tunc secundum rationem quantitatis esset infinita, esset enim infinita quantitas, tamen secundum esse non esset infinita, eo quod esset ens finitum, & limitatum ad genus quantitatis. Similiter in quantitate virtutis, albedo si esset infinita intensiuè, esset infinita secundum propriam rationẽ, quia esset albedo infinita; tamen non esset ens simpliciter infinitũ, eo quod qualitatis speciem imitatur. Exẽplum secundi infiniti non reperitur aliud nisi Deus, qui est simpliciter ens infinitum, ad nullum entis gradum determinatum, sed omne ens excedẽs, atque totius entis primũ principium & causa. Infinitum primi generis ab ordine prædicamentali non excluditur, vt in libro 6. Topicorum dicitur. Similiter infinitum secundum durationem vt cælum, secundum potentiam, & aliquam virtutem. Secundum diuisionẽ vt linea, secundum augumentum vt numerus: nam cũ hæc non sint infinita simpliciter, sed tantùm secundum propriã rationem, & ad aliquod genus entis determinata, ab ordine Prædicamentorum non excluduntur; sed infinitum secundi generis, ideſt infinitum simpliciter ab omni Prædicamento excluditur vt infra de Deo dicetur.

Deus est simpliciter infinitus.

Carentia quartæ conditionis, ab ordine Prædicamentorum repelluntur entia incompleta; dicuntur entia incompleta ea quæ ad alterius constitutionem per se pertinent, quẽadmodum sunt partes essentiales, vt materia & forma; integrales, vt pes, manus, caput. Differentiæ specificæ, & si quæ alia huiusmodi reperiantur. Excluduntur materia, & forma, quia sub genere substãtiæ continentur directè genera, species, & indiuidua; sed materia & forma non sunt species, sed speciei principia; neque sunt indiuidua, alioquin hæc materia, & hæc forma vt sic, per se subsisterent, quod est falsum, quia sunt huius indiuidui partes substantiales, ita sentiunt Magnus Albertus

in

in Prædic. S. Thomas in p. p. q. 76 artic. 3. Scotus in Prædicamentis, quæstione 15. & alij omnes.

Pari ratione, idem est dicendum de partibus integralibus, quæ quia sunt partes ob id genus directè non spectant. Item neque differentiæ specificæ, ad Prædicamentum directè pertinent; tum quia genus Prædicaretur essentiali prædicatione de differentijs quibus diuiditur; quod non posse fieri super Porphyrium ostendimus. Tum secundò, quia Differentiæ substantiarum essent secundæ substantiæ, & per consequens genera, & species in quibus primæ continerentur, ex quo fieret, vt in quæstione quid est de primis prædicarêtur, quod assertum Porphyrius impugnat: Tum tertio, quia illud quod directè sub genere collocatur habet aliquid vltra essentiam generis, vnde fieret, quod differentiæ ex genere summo & alijs differentijs côficerentur; quod de omnibus esset dicendum. Tum quarto, quia si sub genere directè ponerentur: ergo essent ipsius generis species vel indiuidua, sed sicut Aristoteles in libro primo Topicorum, capite 13. docet, nihil est quod sit differentia simul & species: igitur sub genere directè non reponuntur.

Differentia non sunt in genere directè.

Propter defectum quintæ conditionis, æquinoca, & analoga ad nullum Prædicamentum per se, & directè spectant: nam si hæc sint entia realia, finita & completa, nihilominus, quia determinatam significationem non habent, ob id à serie Prædicamentorum repelluntur, alioquin cum diffinitiones rerum ex ipsis Prædicamentis assignarentur, maxima confusio ob eorum variam significationem oriretur.

Aequiuoca, & analoga ad Prædicamentum per se non spectant.

Defectu sextæ conditionis reijciuntur complexa quæcúque siue nominalia, vt homo albus, siue verbalia, vt homô currit: quoniam horum complexorum conceptus non sunt simplices, sed compositi; vnde fit quod ex ipsis nequeant aptari rerum diffinitiones, cum diffinita, vel ea ex quibus diffinitiones conficiuntur sint simplicia quædam.

Côplexa non sunt in Prædicamento.

Ratione defectus septimæ conditionis reijciûtur ea quæ sunt simpliciter simplicissima, ita vt saltem ex duabus entitatibus, altera scilicet generis, & altera differentiæ constare nullo modo possint. Ex quo fit vt solus Deus ob suam maximam simplicitatem, ad Prædicamêtorum seriem nullo modo pertineat, vt suo loco dicetur.

Simplicissimũ, vt Deus non côtinetur in genere.

SECTIO Quarta.

Quomodo ea quæ ad Prædicamenta per se, & directè non spectant, ad ipsa reuocentur.

Etsi in Disputatione 5. Sect. 8. ad septimum insinuaui-

mus quomodo ea quæ ad Prædicamenta per se non spectāt, ad ipsa reuocentur: tamen vt omnia sigillatim atque suo ordine percipiantur, ideo reliquum est nūc explanare quomodo, & ad quod Prædicamētum reducātur ea, quæ per se, ac directè ad ipsum non spectant. Sententia etenim communis est Philosophorum, vt omnia Entia quæ aliquo moeo sunt, aut cogitari possunt, reponantur aliqua ratione in Prædicamentis, tanquam in communi quasi seminario omnium elementorum disserendi; & cum ad ea per se non spectent, saltem per reductionem in illis collocentur.

Confirmatur hoc assertum ex dictis Aristotelis in libro primo Topicorum, capite 7. vbi docet quod omnia prædicata ex quibus Dialecticæ propositiones conficiuntur, à Prædicamentis sumuntur, quod si prædicata etiam & subiecta ex eisdem assumi opus est, eo quod, & ipsa ad aliquod genus entis determinantur. Igitur cum Disputationes possint haberi non tantum de entibus exempli causa de loco, sed etiam de non entibus, vt de vacuo; non solum de ente per se vt de ligno, sed etiam de ente per accidens vt de ligno calido, nec tantum de entibus realibus, vt de homine, & de animali, sed etiam de entibus rationis, vt de generibus, & speciebus: nec modo de entibus finitis, vt de triangulo, sed etiam de infinito vt si linea detur infinita; nec de completis dumtaxat rebus vt de compositis naturalibus, sed etiam de incompletis, vt de materia, & de forma; nec denique de vniuocis tantum, & incomplexis, vt de linea, sed de analogis, æquiuocis quoque, & de complexis, fit consequēs vt hæc etiam ex ipsis Prædicamentis sumantur, & ita aliqua ratione ad ipsa Prædicamenta pertineant.

Prædicata à Prædicamentis sumūtur.

Dicendum igitur est, quod omnia Entia quæ sunt, aut cogitari possunt (Deo Optimo Maximo excepto) quæ possunt esse, aut prædicata vel subiecta propositionum Dialecticarum, ex Prædicamentis sumuntur: & quæ ad ea per se non spectant, ad ipsa tamen reuocantur. Vnde fit vt aliqua ratione in ipsis reponantur. Sed notandum quod cùm vnū ad aliud reduci, sit ad illud referri tāquàm ad aliquod quod sit eo prius: ideò satis est, vt id ad quod aliud reducitur, sit prius eomet quod reducitur aliquo ordine prioritatis, videlicet vel ordine generationis quo totum ad suas partes reuocatur, vel ordine perfectionis quo partes ad totum reducuntur: vel prioritate cognitionis, & temporis, qua prioritate substantiam esse priorem accidente, Aristoteles in libro septimo Metaphysicæ docet. His dictis, nunc omnia explanentur.

Reduci vnum ad aliud quid sit.

Non Entia, quemadmodum sunt negationes, & priuationes, reducuntur ad Prædicamenta

Negationes, et priuationes quomodo ad Prædicamenta reducuntur. menta per ea quæ negantur, & priuantur: quod si ea quæ negantur vel priuantur sint de genere substantiæ, aut accidentis, tunc ipsæ negationes, priuationes ad genus substantiæ vel accidentis reducuntur. Consule Paulum Soncinatem in lib. 10. Metaph. quæst. 15.

Impossibilia reducuntur. Impossibilia verò, quæ sunt naturæ impossibilia, vt fictitia, reducuntur ad Prædicamentum per ea ex quibus finguntur constare: exempli causa, si quis imaginetur aliquod monstrum constare ex capite leonis, ex cauda draconis, ex ventre bouino, & pedibus humanis: tunc huiusmodi commentitia per has partes quæ sunt substantia, ad genus substantiæ reducentur.

Entia per accidens reducuntur. Entia per accidens vt homo albus, animal currens reuocantur ad Prædicamenta per entia per se ex quibus constat: & quia homo albus duo significat, videlicet subiectum, & prædicatum; ideo illud totum ens per accidens, ratione subiecti reducitur ad Prædicamentum substantiæ, & ratione prædicati ad Prædicamentum qualitatis; quæ cũ sint ens per se, sunt priora ente per accidens, ens enim per se est prius ente per accidens, sicut in lib 7. Metaph. Arist. docet.

Notiones generis reducũtur. Entia rationis, qualia sunt notiones generis, speciei, indiuidui, prædicati, subiecti, & similia, reducuntur ad Prædicamenta per entia realia in quibus fundantur, vt notio generis per Animal, notio speciei per hominem, notio indiuidui per hoc, & illud indiuiduum; notio subiecti, & prædicati per hoc, & illud subiectum, & Prædicamenta, & quod de genere substantiæ dicitur, intelligatur etiam de reliquis generibus accidentium. Similiter Entia rationis impropriè dicta, vt fictitia, quatenus fictitia sunt, vel per ipsum actũ fingendi, aut per partes ex quibus constare finguntur ad Prędicamenta reuocantur.

Entia infinita secundum rationem propriam si darentur, verbi gratia, linea, vel numerus infinita, aut albedo talis, hæc non dicuntur reduci, quia per se spectant ad proprium Prædicamentum, sunt .n. species, atque quo ad eorum essentiam sub aliquo genere cõtinentur. Infinitum verò simpliciter, quia ad nullum entis gradum limitatur, ideo ad nullum Prædicamentum reducitur: vt supra expositum est.

Entia incompleta reducuntur. Entia incompleta, quoniam multiplicia sunt, de singulis sigillatim est agendum. Materia .n. & forma cum sint substantiæ, ad Prædicamentum substantiæ aliqua ratione pertinent; & quia non sunt species neque indiuidua, sed speciei principia, ideo non per se, sed reductiuè ad ipsum Prædicamentum spectant, vnde per suum compositum ad illud reuocantur. Hinc patet error Pauli Veneti credentis formã substantialem poni per se in Prædicamẽto substãtiæ, cuius rationes infra examinabũtur,

Partes integrales, quia neque specierum neque indiuiduorum rationem habent, reducuntur ad Prædicamentum per suum totum. Hinc non benè sentiunt Simplicius, & Boetius in capite de substantia, dicentes has partes habere per se locum in Prædicamento substantiæ.

Differentia reducuntur.

Differentiæ specificæ similiter de genere substãtiæ, quamuis secundum rem sint substantiæ, & secundum modum dicãtur qualitates, sicut in Disputatione Octaua in Capite de differentia exposuimus: tamen quia sunt entia incompleta, & specierum principium completiuum, ideo reducuntur, per suas species ad substantiæ Prædicamentum; sic sentit Scotus in capite de substantia q. 14. ad primum, & Paulus Soncinas in lib. 10. Metaph. q. 24. ad primum, & hoc idem quod de differentijs de genere substantiæ affirmatur, dicitur etiam de differentijs quibus accidentium genera diuiduntur. Nam, & hæ reducuntur ad ea Prædicamenta, in quibus eorũ genera collocantur.

Aequiuoca, & analoga reducũtur.

Entia æquiuoca reuocantur per vniuoca, vt Canis per canem marinum, & terrestrem. Analoga per vnumquodque suorum analogatorum. Complexa per incomplexa vt homo albus per hominem, & albedinem. Composita verò siue ex materia, & forma, siue ex genere, & differentia, cum per se ad Prædicamenta pertineant, non habent vt reducantur. Simplicissima omnino excluduntur, vt dictum est.

Artificiata quomodo ad Prędicamentum spectent, in superiori Disputatione abundè referatum est.

Motus reducitur.

Motus cum ad plura Prædicamenta sit, testante Aristotele in libro 5. Physicorum textu 22. Si sumatur vt motus est, idest quatenus est imperfecta, & inchoata forma, & nõdum absoluta, sed tendens adhuc in perfectionem; tunc ad illud Prædicamentum reducitur ad quod ipse motus tẽdit: vt augmentatio ad Quantitatem, alteratio ad Qualitatem, localis ad Vbi. At quatenus est quoddam continuum, tunc ad speciem quantitatis continuæ ab eo constitutam, & à cæteris distinctam spectat. Consule, Petrum Fonsecam in lib. 5. Metaph. capite 13. quæstione 8. sectione 3. de hac solutione siue assertione.

Vacuum reducitur.

Vacuum tandem per locum ad Prædicamentum quantitatis reducitur cuius locus est species, vt in eodem Prædicamento Aristoteles docet.

SECTIO
Quinta.

Obijcitur aduersus singula prædicta.

NOn defuerunt qui cõtra singula obiecerint, probando ea quæ dicta sunt, non re-

reductiuè, sed directè ad proprium Prædicamentum spectare. Imò & de quibusdam dubitant ad quod Prædicamentum reuocari debeant, v. g.

1 Existentia rerum non existit, sed est vltimus essendi modus, vel postrema actualitas cuiuslibet entitatis qua ipsum ens existit: nam sicut albedo non dicitur alba, sed id quo subiectum denominatur album, ita existentia non existit, sed est id quo res existit: igitur in quo Prædicamento reponitur.

2 Præterea dato ipsam existentiam ad aliquod Prædicamentum pertinere, tunc videtur quod ad Prædicamentum ipsius Quando specialiter pertineat: quia Quando continet rerum existentias: etenim esse nunc, aut fuisse, aut fore, (quæ dicuntur species ipsius Quando) non apparet aliud significare, nisi existere, aut extitisse, vel existentiam habiturum.

3 Probatur, quod Entia per accidens spectent per se ad Prædicamentum. Concreta accidentium, vt album duo significat, scilicet id cui accidit, & id quod accidit, sicut in lib. 5. & 7. Metaph. Aristoteles docet, & per consequens album erit Ens per accidens: sed concreta accidentium spectant ad Prædicamentum per se, vt supra dictum est: ergo Entia per accidens ad Prædicaméta per se pertinent.

4 Præterea, Logicus à sua propria consideratione non abijcit Entia rationis, imò Ens rationis apud quosdam est totius logicæ adæquatum subiectum: sed logicus considerat Prædicamenta: ergo entia rationis, apud logicum habent per se locum in Prædicamentis.

5 Præterea, Illud est in genere cui conuenit propria ratio generis, sed substantiæ infinitæ conuenit propria ratio generis substantiæ, ergo substantia infinita in genere substantiæ continetur. Minor probatur. Ratio substantiæ est esse Ens per se, sed substantia infinita est ens per se, ergo est in genere.

6 Præterea, Cælum est naturæ infinitæ, & est in Prædicamento substantiæ, ergo infinitum reponitur in Prædicamento. Consequentia est nota: acidens probatur. Habens virtutem infinitam est naturæ infinitæ quia virtus rei consequitur substantiam eius; sed cælum habet virtutem infinitam, ergo cælum est naturę infinitæ. Minor probatur, cælum mouetur tempore infinito, saltem de mente Aristotelis in libro 8 Physicorum, ergo habet potentiam infinitam.

7 Præterea, Albedo si ab omni subiecto separaretur, esset infinita: sed talis adhuc esset qualitas, ergo ens infinitum potest esse in genere Qualitatis. Minor patet quia separari à subiecto non tollit illius rationem. Maior probatur. Albedo separata esset intensissima, quia non esset assignare per quid determinaretur ad hunc vel illum gradum, ergo

esset albedo infinita.

8 Probatur, partes essentiales rei habere per se locum in Prædicamento substantiæ. Aristoteles in libro 1. de anima textu 6. inquit, quod ad inuestigandum diffinitionem animæ, necessarium est diuidere in quo genere anima collocetur, an in Substantia, an in Qualitate, aut in alio genere Prædicamentorum. Deinde in lib. 2. capite primo diuidit substantiam in materiam, in formam, & in compositum. Ergo cum omne diuisum prędicetur de diuidentibus ipsum, sequitur quod materia, forma, & cõpositum sint substantia, & in Prædicamento substantiæ per se reponantur.

9 Præterea, in libro 5. Metaphys. textu 15. assignans plures significationes substantiæ, in prima ponit Animalia, & partes integrantes eorum. In secunda assignat formam, & cum ibi tractet de substantia Prædicamẽtali, sequitur quod huiusmodi partes ad Prædicamentum substantiæ per se pertineant.

10 Præterea, Anima intellectiua à corpore separata, est per se in Prædicamento substantiæ: ergo etiam corpori coniuncta erit per se in Prædicamento substantiæ. Consequentia probatur ex eo, quod Genera, & Species Prædicamenti substantiæ ita essentialiter, & in quid prædicantur de ea cõiuncta, sicut separata.

11 Præterea Formæ accidentales, vt linea, albedo, scientia, & huiusmodi, sunt per se in suo Prædicamento: ergo formæ substantiales sunt per se in Prædicamento substãtiæ. Consequutio probatur quia non est maior ratio de vna forma quàm de alia.

12 Prçterea, Aristoteles in capite ad Aliquid dubitans an aliqua substantia dicatur ad aliquid, apertis verbis vocat caput, & manum, secundas substantias: sed secundæ substantiæ spectant per se ad Prædicamentum substantiæ, ergo manus, caput, & reliquæ partes integrales spectãt per se ad Prædicamentum.

13 Prçterea, de Differentijs arguitur sic. Differentiæ substantiarum spectant ad essentias primarum substantiarum: ergo spectant per se ad Prædicamẽtum substantiæ, quemadmodum & aliæ substantiæ simplices.

14 Præterea Aristoteles in libro 5. Metaph. textu 19. dicit Differentiam substantiæ esse præcipuum significatum Qualitatis: sed præcipuum significatum Qualitatis spectat ad Prædicamentum Qualitatis, ergo differentiæ substantiales ad Prædicamẽtum Qualitatis saltem spectabunt.

15 Præterea, Indiuidua non sunt vniuoca, quia non dicuntur de pluribus secũdum eamdem rationem. Ergo non est necessarium, vt illud quod in Prædicamentis reponitur sit vniuocum.

16 Præterea, Diffinitio obiectiuè sumpta est quid complexum,

xum, vtpotè constans ex genere, & differentia, tanquam ex duobus conceptibus obiectiuis: sed Diffinitio sic sumpta ponitur per se in Prædicamentis, ergo complexa ponuntur per se in Prædicamento. Minor probatur ex hoc, quod Aristoteles in libro 1. de anima docet; nempè Diffinitiones rerum ex Prædicamentis sumendas esse: sed hæ in illis reperiũtur sicut, & reliqua pdicata Dialectica, vt Genus, Proprium, & Accidens. igitur.

SECTIO Sexta.

Soluuntur Præfatæ Rationes.

Existẽtia rei reducitur ad Prædicamentum rei, cuius est existẽtia.

AD primam in qua quærebatur quomodo rerum existentia sit in Prædicamento. Respondetur quod rei existentia non ponitur per se in aliquo Prædicamento: sed reducitur ad Prædicamentum illius rei cuius est existentia, vnde existentia substantiæ in genere substantiæ, & existentia cuiusque accidentis in eo genere accidentis reponitur. Solutio habetur apud Capreolum in libro 1. Sent. dist. 8. quæst. 1. art 3. & Caietanum in tractatu de ente quæst. 11. ad octauum.

Contra hãc solutionem sic arguitur. Omne quod reductiuè est in genere, reponitur in eo, vt ipsius principium: sed existentia non est substantiæ principium, ergo existentia non est reductiuè in genere.

Ad hanc obiectionem negatur Minor: quia esse seu existentia est reductiuè tanquam Principium formale in illo genere, in quo est illud cuius est esse, seu existẽtia: vnde existentia substantiæ est in Prædicamento substantiæ, non tanquam substantia; sed tanquam quoddam substantiale; & existentia accidentis est in genere accidentis non tanquam accidens, sed tanquam quoddam accidentale. Consule Capreolum, & Caietanum vbi supra: & Benedictum Pereriũ in lib. 6. de naturalibus, cap. 13. q. 3. nunc sit satis dixisse ad quod Prędicamentum reducatur.

Ad secundam negatur existentiam debuisse reponi in Prædicamento ipsius Quando: non .n. rerum existentia, sed earum mensuræ in Quando, reponuntur, quibus signatur rem esse præteritam, præsentem, vel futuram.

Ad tertiam, iam dictum est concreta accidentium poni per se in Prædicamentis, non tamen per se primo. Quapropter negandum est concreta accidẽtium, spectata eorum formali significatione quam primo significant, esse Entia per accidens: Verumtamen quia subiectum connotant, ob id ab Aristotele vocantur Entia per accidens, quia sic ex diuersis Prædicamentis aggregantur. Consule Disputationẽ 12. sect. 2. Conclusione secunda,

da, de huiuscemodi concretis.

Logicus accipit Prædicamenta à Metaph.

Ad quartam respondetur, quod cū Logicus desumat sua Prædicaměta à Metaphysico, à quo in solo modo considerandi differt; fieri nequit, vt Logicalia Prædicamenta complectantur plura, quàm Metaphysicalia, eo quod sint omnino eadem re, quam ob rem sicut Entia rationis nō sunt per se in Prædicamentis à Metaphysico consideratis, ita neq; in his per se continentur, quæ à Logico spectantur, sed tantū reductiuè: nam Logicus in suis Prædicamentis tractat de rebus non quatenus res sunt, sed prout secundis intentionibus subjciuntur.

Ad quintā negatur Minor, & ad illius probationem dicitur quod esse Ens per se non est totalis ratio substantiæ Prędicamentalis; sed quod tale esse sit in aliqua essentia receptum: & tunc omne receptum est quid finitum, & limitatum secundum exigentiam, & capacitatem recipientis.

Potentia actiua infinita arguit naturam infinitam.

Ad sextam negatur antecedens, ad cuius probationem respondetur, quod duplex est potentia, vna actiua, quæ si sit infinita, naturam quoque infinitā arguit. Altera est passiua, & hæc est in cælo; & dicitur infinita, quia sit receptiua motus in infinitum secundum durationem; ex quo argui nō potest cælum esse infinitæ entitatis; alioquin materia prima esset entitas infinita, quia est potens recipere infinitas formas successiuè.

Ad septimam conceditur, quod si daretur albedo infinita, esset talis secundum propriam rationem: quod infinitum à proprio genere non excluditur.

Ad octauam, Scotus in Prædicamentis capite de substantia, quæst. 15. inquit quod diuisio substantiæ in libro 2. de anima ab Aristotele posita, non est diuisio generis in species, alioquin materia haberet differentiam distinguentem ipsam à forma: sed est diuisio æquiuoci in æquiuocata secundum logicum; vel analogi in analogata secundum naturalem: vnde illa diuisio non est substantiæ prout est generalissimum: vel vt alij dicunt Aristoteles eo in loco sumit substantiam pro substātiā corporea, quæ est quoddam genus Prædicamenti substantiæ; tamen nō diuisit illam in materiam, formam, & compositum tanquā in species; sed hoc tantum docere voluit, scilicet tria esse, quæ in substantia corporea Physicè considerantur, nempe, materia, forma, & compositum. Hoc modo soluit Petrus Fonseca in lib 5. Metaph. c. 8. quæst. 3. sect. 1. & his consentit Iauellus in libro 2. de anima quæst. 2. per totum.

Diuisio substātia

Ad nonam dicitur intentionem Phylosophi in illo capite non esse exponere substantias quæ in Prædicamento per se collocantur: sed ostendere tantū multas significationes substantiæ iuxta vulgatam vsurpationem huius nominis substātia.

tia. Quare Entia quoque Mathematica iuxta Platonis sententiam inter substantias assignat: hinc fit quod inter significata substantiæ, formas substantiales, & partes integrales Aristoteles communiter assignauit, Sic Magnus Albertus in libro 5. Metaph. in tractatu 2. capite 5. docet.

Anima separata quomodo spectet ad Prædicamentũ substãtiæ

Ad decimam, quæ est ratio Pauli Veneti, negatur antecedens, scilicet, quod Anima separata spectet per se ad Prædicamentum substantiæ: nam, etsi Anima separata non sit actu pars compositi, tamen est pars aptitudine qua ad corpus semper inclinatur; quare corpori coniuncta, multominus ad Prædicamentum substantię per se primò spectabit, sed tantum reductiuè in ipso continebitur; Item falsum est, quod Genera, & species de Prædicamento substantiæ, vt sic, prædicentur de anima in quid, quia cum Anima intellectiua habeat essentiam incompletam, eo quòd est pars, & forma hominis non potest habere rationem speciei, vel indiuidui: habet tamen completam existentiam, si quidem à corpore seiuncta per se existit: non tamen propriè loquendo per se subsistit, quoniam hoc est suppositorum proprium, ea tamen perfecta existentia non sufficit ad hoc quod Anima in Prædicamento substantiæ directè ponatur, non enim est ens completum, sed est forma actu semper vel aptitudine.

Anima separata existit, sed non propriè subsistit.

Ad vndecimam negatur similitudo inter accidentales, & substantiales formas; quia formæ accidentales vt linea, albedo, scientia, & huiusmodi habent completam, & perfectam rationem speciei, ideo in suis Prædicamentis per se reponuntur; at formæ substantiales cum sint altera pars compositi, ex quo euenit eas completo esse carere, non habent rationem speciei; & ideo non nisi reductiuè ad Prædicamentum substantiæ spectant.

Partes secũdarum substantiarũ quo dicuntur secũdæ substãtiæ

Ad duodecimam negatur, quod Aristoteles vocet, manum, & caput propriè secundas substantias: & quamuis in textu habentur hæc verba (in aliquibus verò secundis substantijs habet dubitationem, vt caput alicuius caput dicitur, & manus alicuius manus) tamen hoc intellectu sunt intelligenda, videlicet, vt sit dubitatio de secundis substantijs ratione partium: qui intellectus Aristotelis mentem attingere videtur; quia sicut ibi appellauit hoc caput, & hanc manum partes primarum substantiarum, ita caput, & manus nuncupat partes secundarum substantiarum; de quibus partibus dubitatur, an sint ad aliquid. Hoc modo Caietanus & Toletus illum locum interpretantur.

Differentia nõ pertinent directè ad Prædic.

Ad decimamtertiam negatur consequentia, quoniam si Differentiæ pertineant ad essentias rerum; ex hoc tamen non sequitur quod ad Prædicamenta directè pertineant,

co

eo quod sint entia incompleta, sed ad ipsa reducuntur.

Ad decimamquartam, respondetur non esse mentem Aristotelis, quod substantiales differentiæ sint qualitas propriè dicta: sed quia de significatis Qualitatis ibi tractat, ideo ostendit, quod inter ipsius significata, præcipuum est substantialium differentiarũ, quæ non simpliciter vt pura qualitas, sed substantialiter qualitatem significant. Vel dicatur, quod substantiales differentiæ secundum rem sunt substãtia, & secundum modum sunt qualitates. Consule Disputationẽ octauam, super Porphyrium in capite de Differentia, vbi hanc materiam diffusè tractauimus.

Vniuocũ triplex.

Ad decimamquintam dicitur quod triplex est vniuocũ; vnum quod est, tantum participatum, & non participans, quale est genus generalissimũ, quod ab omnibus suis inferioribus participatur, & de quib. prædicatur in quid; sed non participat, quia aliud genus supra se non habet, cui subijciatur.

Secundum vniuocum est participans, & participatum, cuiusmodi sunt genera, & species subalternæ, atque specialissimæ: participant eo quod supra se habent genus, quod de illis in quid prædicatur; participãtur, quia continent sub se inferiora de quibus prædicantur.

Tertium vniuocum est participans tantum, & nullo modo participatum, qualia sunt indiuidua, de quibus species in quid prædicantur, & sub illis aliud non reperitur; & dicũtur vniuoca, quia vna cum specie, cui supponuntur, participant naturam generis generalissimi; & hæc vniuocatio sufficit ad hoc, quod ipsa in Prædicamentis reponantur.

Contra, de indiuiduis non habetur scientia, cum sint indeterminata, sicut Porphyrius scribit, neq; vllus artifex est, qui ex instituto de illis agat, ergo indiuidua ad Prædicamenta per se non spectant.

Indiuidua sunt fundamenta Prædicamentorum

Respondetur Indiuidua collocari in Prædicamentis tanquam fundamenta, & bases ipsorum: ob id Aristoteles dicebat quod primis substantijs destructis, impossibile est aliquid aliorum permanere, & hoc ipsum de indiuiduis reliquorum Prædicamentorum etiam intelligitur: nam his destructis reliqua non remanebunt.

Ad decimamsextam dicitur, quod Diffinitiones habent locum in Prædicamentis: tamen Aristoteles non docet ea de causa Diffinitiones rerum ex Prædicamentis esse petendas, quia ipsæ, & earum obiecta ponantur per se in Prædicamentis; sed quia in his reperiuntur genera, & differentiæ, ex quibus illæ conficiuntur: generum autem alia in illis per se ponuntur vt genus hominis, alia non nisi reductiuè vt genus animæ, cuius diffinitionem in libro 1. de anima inuestigat. Differentiæ verò semper

Diffinitio quo pacto dicatur

per reductiuè; eo quòd sunt Entia incompleta, & speciei partes, vt dictum est.

DISPVTATIO Decimasexta.

An Prima intelligentia, Qui est Deus, ad vnum vel plura Prædicamenta aliquo modo pertineat.

SECTIO Prima.

Deum propriè, & per se in quibusdam Prædicamentis poni, nonnulli Theologorum affirmant.

NOn defuerunt aliqui, qui sunt arbitrati Deum propriè, & per se, non tantùm in Prædicamento Substantiæ, sed in Prædicamentis quoque Relationis, & Actionis poni. Gulielmus etenim Ocham in libro 1. sent. dist. 8 etsi non fuerit ausus affirmatiuam partem defendere, ne toti Theologicæ scholæ aduersari videretur: ita tamen negatiuæ partis argumenta se eleuasse credidit, vt dixerit eam nulla efficaci ratione excludi posse. Quapropter Gregorius Ariminensis eadem Dist. 8. q. 3. Gabriel Biel ibidem. Ropertus Holkot. q. 6. Bacconus dist. 9. q. 1. & Maironus dist. 8. q. 1. ansam sumpserunt affirmandi Deum propriè, & per se in dictis Prædicamentis reperiri.

Recentiores quidam, vt nostræ prorsus aduersentur doctrinæ, quam super Porphyrium in capite de specie, diluc. 4. tradidimus, & affirmauimus Genus nullo modo supremæ intelligentiæ conuenire: distinguunt Genera posse bifariam considerari; aut eo pacto quo in libro vulgato Prædicamentorum tractantur; aut quo simpliciter tractari possunt: nam Author illius libri agens de substantia, ponit agere non de quacumque sed de composita, & non de qualibet composita, sed de corruptibili.

Secundo, dicunt quod esse in genere, non est aliud nisi habere commune Prædicatum in quid, quod de pluribus plusquam numero differentibus sit prædicatum.

Tertio inquiunt, quod compositio Metaphysica speciei, quam ex genere, & differentia confici dicimus, non est per se in rebus, neque aliquam compositionem ex materia, & forma per se innuit: sed sunt diuersi conceptus eamdem essentiam significantes, licet cõceptus generis sit magis vniuersalis siue confusus, & indeterminatus, determinabilis autem per conceptum differentiæ. Exempli causa, si concipio hoĩe esse aĩal, hic cõceptus remanet

manet adhuc confusus, videlicet quale Animal sit, tunc per superadditum conceptum rationale, qui est conceptus determinans, concipio hominis naturam. Hæc compositio est in conceptibus: quia conceptus conceptui additur. Eodem modo, aiunt hi, res se habet, cum aliquid de Deo, vel alio simplici eminenter vel virtute plura continente concipimus: quia si tunc addimus conceptum determinantē conceptori determinabili, tale simplex sine suæ simplicitatis interitu potest plurium prædicatorum conceptuum esse fundamentum: quia compositio non est in re, sed in conceptibus, qui à re simplici desumuntur.

His dictis, ad antiquiores præfatos Magistros redeamus, qui sustinētes Deum propriè, & per se in Prædicamentis cōtineri, his authoritatibus, & rationibus suam opinionem confirmant.

1 Aristoteles in libro 10. Metaph. textu 2. vbi loquitur de mensura rerum, docet id quod est mensura omnium quæ sunt in aliquo genere, esse aliquid illius generis, inquit sic. Semper .n. mensura eiusdem generis est: magnitudinum namque magnitudo, & secundum vnūquodque longitudinis longitudo, latitudinis latitudo, vocū vox, grauitatis grauitas, vnitatis vnitas, ac similium: Sed Deus cum sit perfectissima substantiarum, ergo Deus continetur in Prædicamento substantiæ. Minor est Auerrois ibidem dicentis, quod illud minimum, quo omnes substantiæ mensurantur, est primus Motor.

2 Præterea, Aristoteles in libro 12. eiusdem operis ad initium primi Capitis, textu 2. affirmat substantiam esse omnium Entium primum Ens: deinde in textu 5. eamdem substantiam diuidit in substātiam mobilem, & immobilem: ac tandem in textibus 35. 36. & 37. eiusdem libri ponit primum principium qui est Deus apud Aristotelem est in Prædicamento substantiæ.

3 Confirmatur per eumdem Philosophum in libro 1. Ethicorum capite 6. assignantem exempla eorum quæ in Prædicamentis reponuntur, atque inter ea præcipuè in Prædicamento substantiæ Deum numerat, ergo Deus &c.

4 Præterea, Aristoteles in lib. 7. Metaph. textu 4. postquam diuisit ens in decem Prædicamenta, comparat Ens inter se, & dicit, aliorum Prædicamentorum nullum esse separabile, nisi solam substantiam. Quod dictum exponens S. Thomas, inquit esse verum ratione Dei, ita vt substantia Prædicamentalis sit ab omni substantia separata, quia Deus qui est substantia, nullo accidente afficitur. Quis non videt in genere substantiæ Prædicamentalis Deum ab Aquinate reponi.

5 Confirmatur eadem Conclusio authoritatibus Sanctorum Patrum D. Augustinus in li-

libro 5. de Trinitate cap. 8. & 10. inquit quod quædam Prædicamenta dicūtur propriè de Deo, vt Substantia, & Relatio. Alia non nisi Metaphoricè, vt situm esse, habere locum, & tempus. Item Boetius in lib. 1. de Trinitate inquit substantiam continere vnitatem, Relationem verò multiplicare Trinitatem. Ac tandem Damascenus in capite 9. Elementarij fatetur incorporeum esse Differentiam substantiæ, eamque Deum, & Angelum continere, igitur, &c.

6 Præterea Substantia quæ est generalissimum genus, & substantia incorporea prædicatur de Deo, & de substantijs creatis vniuocè, idest secundū idem nomen, & eamdem Diffinitionem, & in quæstione quid est; ergo Deus in Prædicamento substantiæ per se reponitur. Prior pars antecedentis ex diffinitione substantiæ probatur. Substantia diffinitur quod sit Ens per se existens, & spiritus est substantia corpore carens, vel à corporis natura seiuncta: quæ diffinitiones æquè conueniunt Deo, & cæteris rebus, quæ sub his generibus collocantur. Altera pars fit nota ex hoc, quod si quis petat, quid sit Deus, rectè respondebit qui dixerit, quod est substantia, & familiarius quod est spiritus: iuxta illud Ioan. 4. Deus spiritus est.

7 Præterea, Si quid est, quod impediat Deum sub genere contineri, hoc est, aut quia est simplex, aut quia est infinitus: sed neque hoc, neque illud impedit, ergo Deus spectat per se ad Prædicamentum. Maior propositio deducitur manifesta ex eo, quod qui negant Deum in Prædicamentis reponi, ex his duobus potissimè argumenta deducunt, quia est simplex, & infinitus. Minor quo ad priorem partem probatur: Angeli, & Accidentia sunt simplices naturæ, tamen in genere per se collocantur. Altera pars ex hoc suadetur, quia si esset linea infinita, à genere quantitatis non excluderetur, ergo neque Deus à genere substantiæ excluditur.

8 Præterea Omne quod potest intelligi modo determinato, & indeterminato, in aliquo genere continetur sicut indiuiduum vel species: quia quod dicit Genus modo indeterminato, dicit species modo determinato non significato, & indiuiduum modo determinato significato: sed Deus potest intelligi modo determinato sicut à nobis intelligitur, & modo determinato, veluti à beatis intelligitur, ergo Deus est in genere.

9 Præterea Subiectū, & prædicatum ex Prædicamentis sumuntur: sed Deus in propositione potest esse aut subiectū, aut prędicatum, ergo Deus est in Prædicamentis.

10 Tandem S. Thomas in libro 1. sent. dist. 8 quæst. 4. art. 2. ad tertium, & de potentia q. 9. art. 3. ad vltimum expressè fatetur Deum reductiuè contineri in genere substātiæ: ergo?

SE-

SECTIO Secunda,

Deum neque per se, neque reductiuè in aliquo genere poni, alij verius fatentur.

VErior, nec non probabilior omnium Theologorum, & Philosophorum sententia est, (paucis præfatis exceptis) Deum neque per se, neque reductiuè ad Prædicamentorum ordinẽ pertinere. Quod quidem assertum tùm Philosophorum, cùm sanctorum Patrum authoritatibus, & rationibus manifestare haud multum difficile est. Nec mihi scrupulum adimit id quod quidam fatentur scilicet, Genera posse bifariam considerari; aut eo modo, quo in libro vulgato Prædicamentorum tractantur, vel quo simpliciter tractari possunt. Fateor .n. me videre non posse, quo alio pacto ab ipso modo Logico ipsa Prædicamẽnta tractari possint, nisi à Metaphysico, à quo Logicus ea desumit. In qua quidem Metaphysica consideratione necessarium est dicere, ea omnia quæ sub Metaphysicis Prædicamentis collocantur componi ex genere, & differentia, vel ex aliquibus, quæ in horum locum constituantur.

Logicus sumit Prædicamenta à Metaphysico.

Præterea, sola Metaphysica & Logica inter omnes disciplinas in toto entis genere versantur; atque hæ solæ de omnibus, (etsi non eodem modo) differunt, sic Aristoteles in capite 2. libri quarti Metaph. docet. Vnde factum est, quod illa, omnium domina, & hæc omnium communis facultas dicatur; vt ex cap. 6. lib. 1. Poster. instruimur, & cũ Prædicamenta cõplectantur omniũ entium genera, quæ sunt aut esse possint, hinc fit, ipsamet neque simpliciter, neque simplicius tractari posse, quàm à Logico, vel à Metaphysico pertractẽtur, & quia necessarium est, illud totum quod aut sub Logico, aut sub Metaphysico genere Prædicamentali continetur, aliqua compositione componi, ideo fit consequens vt Deus simplicissimus ab omni genere prorsus excludatur.

Prædicamenta nõ possũt tractari simplicius q̃ à Metaphys. vel Logico tractantur.

Quod si quis iterum instet, non esse eadem Prædicamẽta, quæ à Logico, & à Metaphysico pertractantur: vel hæc aliqua plura, quàm illa complecti. Iam in superiori Disputatione sect. 6. ad quartum dictum est, Prædicamenta esse eadem, quæ à Logico, & à Metaphysico tractantur; imo Logicus desumit ea à Metaphysico, cui in hac re subalternari, nonnulli rectè affirmant, & à quo in solo modo considerandi differt. Quapropter fieri nequit quo ad hanc partem, vt horum artificum vnus plura quàm alter complectatur. Sed his tanquam notis dimissis ad aliorũ authoritates

&

& rationes veniamus, quib. propositam Cõclusionem firmius probare possimus.

Aristoteles in libro 12. Metaphy. loquens de prima omnium intelligentiarum, affirmat eam esse purissimum, & simplicissimum actum, in quo nulla compositio reperitur: & Auerroes in libro Destructionum, capite 7. satis exactè probat, atque ingeniosis rationibus concludit Deum nullo modo esse in genere: imò apertè ibidem ostendit intellectum non dici de Deo, & de cæteris separatis substantijs, nisi analogicè; quod etiam Auicennas in libro 8, suæ Metaphysicæ, capite 4. non longè à fine clarè demonstrat: ergo ad mentem horum Philosophorum Deus in nullo genere continetur, eo quod cum sit purissimus actus, nullam compositionem admittit.

Intellectus dicitur de Deo, & de intelligentijs analogicè.

2 Confirmatur Cõclusio ex sententijs Sanctorum Patrum: ac Dionysij Areopagitæ in primis, qui in libro de Diuinis nominibus, sæpius scriptum reliquit, Deum præstantiori modo esse quàm substantiam. Damasceni deinde in libro Orthodoxæ fidei, docentis Diuinam essentiam esse omnibus substantijs superuenientem, & ab omni substantia exceptam. Boetij quoque in libro de Trinitate, cap 5. & 6. affirmantis Decem omnino esse Prædicamenta, quæ de rebus omnibus prædicantur, vt Substantia Quantitas &c. at hæc cum quis in Diuinam vertit prædicationem, cuncta mutantur quæ prædicari possunt. Substantia etenim in illo non est verè substantia, sed vltra substantiam, ac tandem D. Augustini, (vt reliquos missos faciam) qui in libro de Cognitione veræ vitæ, capite 3. scribit Deum nullis verbis propriè exprimi, nulla posse cogitatione comprehendi: quod nec esset, si Deus in Prædicamentorum serie per se constitueretur, veluti reliqua entia constituuntur.

3 Præterea, Si Deus in aliquo Prædicamento per se ponitur in eo tanquam Genus, vel vt Species, vel vt Indiuiduum; sed nullo horum modorum in eis ponitur, ergo Deus simpliciter, & absolute in Prædicamentis non ponitur. Maior fit manifesta ex dictis, quia hæc tria tantum ad Prædicamentorum seriem per se spectant. Minor quo ad singulas partes probatur. Quo ad primam sic. Genus sub aliquo Prædicamento positum, est subalternum. Quod si Deus hoc modo in Prædicamento ponitur; tũc duo absurda ex inde oriuntur. vnum quod supra Deum sit aliquod eminentius, quemadmodum Generalissimum Genus est omni genere subalterno eminentius: quod dictũ est absurdissimum. Aliud, quod in natura Deitatis sint plures naturæ specificis differentijs distinctæ: eo quòd sub vno genere duæ ad minus species reperiuntur, & hæc omnia ex arbore Porphyriana clarescunt.

Deus non ponitur in genere.

Altera pars probatur sic. Omnis species sub aliquo genere per se posita, ex duabus adminus entitatibus per se constat, altera generis, quę rationem potentiæ habet, altera differentiæ, quæ rationem actus obtinet: sed Deus ex pluribus entitatibus constare nequit: ergo Deus tanquam species sub aliquo gen re non ponitur. Maior propositio nota est ijs, qui speciei naturam percipiunt Minor ex omnium Philosophorum, & Sanctorum Patrum vno ore manifestatur, affirmantium Deum esse perfectissimè simplicem, nullamque generis, & differentiæ compositionem in sui naturam admittere.

Species sub genere posita ex duob. conficitur

Tertia ex præhabitis innotescit, quia indiuiduum sub specie positum, est quid compositum.

Obiectio.

Qui aduersam partem tuentur, occurrunt dicentes, hanc propositionem scilicet, Quidquid generi subijcitur, pluribus entitatibus constat: habere locum in his tantum, quæ ex materia, & forma componuntur: at simplicia, vt substantias separatas, & accidentia esse simplices entitates ex pluribus entitatibus nullo modo compositas.

Euasio.

Contra hanc solutionem arguitur. Ea omnia quæ in aliquo genere collocantur, conueniunt in quidditate, & essentia illius generis, quod de illis vnuocè prædicantur, atque specificis differentijs ab inuicem distinguuntur.

Exempli causa, homo, & equus conueniunt in natura, & quidditate animalis: Albedo, & nigredo in natura, & quidditate coloris: distinguuntur postea sub eodem genere suis specificis differentijs: Homo ab equo per rationalitatem: & albedo à nigredine, verbi gratia, per disgregatiuum visus: ergo si Deus sub genere per se continetur, nunc necessariò habet aliquam essentialem differentiam, qua à cæteris sub eodem genere contentis, distinguitur. Sed sicut Philosophus in libro 6. Topicorum in explanatione loci 31. Differentia non distinguit, nisi addita generi, ergo erit necessariũ Deum ex duabus entitatibus componi.

Posita sub genere conueniunt in quiddita te illius generis.

Aduersus hanc solutionem, Nominales iterum obijciunt dicentes, quod compositio Metaphysica speciei, non est ex veris partibus; sed sunt diuersi conceptus, quorum vnus se habet vt determinabilis, alter vt determinans, eamdem essentiam significantes. vnde non sequitur quod huiusmodi conceptus generis, & differentiæ ponant in Deo plurium entitatum compositionem.

Obiectio.

Contra, Genus, vt Genus significat rationem quæ est extra essentiam differentiæ: similiter Differentia vt sic, est extra naturam generis: alioquin Genus non contraheretur ad esse specificum per differentiam tanquam per nouum gradum perfectionis: ergo Genus, &

Euasio.

& Differentia formaliter significant duas entitates; & ita in Deo essent plures entitates; quamuis vnam solam naturam specificam constituant, & significent.

Si quis respondeat, Simplex eminenter, vel virtute plura continens, posse esse fundamentum plurium cóceptuum: talis est Deus &c.

Simplex quomodo sit fundamentum plurium cóceptuũ.

Occurritur huic obiectioni, Simplex eminenter, vel virtute plura continens, potest esse fundamentum plurium conceptuum, quibus plura correspondent, sola ratione ad minus distincta. Sicut Deus qui est illimitatæ, & infinitæ naturæ, est fundamentum multorum attributorum, quæ sola ratione à diuina natura distinguuntur nullamque compositionem in eo faciunt. Sed Genus, & Differentia præter distinctionem, quam ab inuicem habent, etiam compositionem aliquam semper insinuant, neque de aliquo intelliguntur, quin cum compositione intelligantur, vel ad modum rei compositæ, si verus sit intellectus.

Continẽs perfectiones omniũ generum in nullo genere cõtinetur.

4 Præterea, ad eamdem Conclusionem principaliter arguitur. Illud quod essentialiter in se comprehendit perfectiones omnium generum, in nullo genere clauditur. Sed Deus comprehendit in se essentialiter perfectiones omnium generum, ergo Deus in nullo genere clauditur. Maior fit nota ex eo, quòd in quocumque vno genere clauderetur, cæterorum generum perfectiones essentialiter non haberet. Minor habetur ex libro quinto Metaph. textu 21. ad calcem, vbi dicitur reperiri quoddam ens perfectum vniuersali perfectione, in quo omnium generum perfectiones congregantur, & hæc dispositio, vt ibidẽ Auerroes dicit, est solius primi principij, qui est Deus.

5 Præterea, Illud Genus sub quo Deus ponitur, aut est finitæ aut infinitæ perfectionis. Si infinitæ, ergo ea omnia, quæ in ipso genere reponuntur sũt perfectionis infinitæ, sed hoc est falsum, igitur &c.

Consequentia probatur, illud genus prædicatur in quid, de omnibus sub ipso contentis: ergo necessarium est, quod subiectum, & prædicatum in perfectione essentiali adæquẽtur. Falsitas deinde fit manifesta ex eo, quod nullam tunc differentiam haberet, per quã ipsum genus contraheretur; quia cum sit perfectionis infinitæ, nullam aliam differentiæ perfectionem reciperet: at si illud genus sit perfectionis finitæ; ergo in Deo est aliqua perfectio finita, quæ cum in ipso sit essentialis, sequitur quod Deus sit natura finitæ, quod est absurdum maximum.

Huic rationi quidam respondent dicentes, eam generis naturam, sub quo Deus continetur, neque finitam; neque infinitam perfectionem habere; sed quamdam vtrique

communem; quemadmodum Ens in communi, nec est finitum, nec infinitum, sed ad vtrumque se habet indifferens.

At huic solutioni negatur similitudo ex eo, quod cum nomen analogum non significet naturam rebus analogatis communem, ob id hanc indifferētiam habere nequit, quod in vniuocis admitti non potest. Si quidem natura omnis vniuoca, sicut certam essentiā habet, quæ ab vniuocatis abstrahitur, ita certam essentiæ perfectionem habere debet, quæ sit finita vel infinita.

6 Præterea, omne illud quod in genere substantiæ per se ponitur, habet quidditatem distinctam a suo esse, sicut in reliquis Prædicamentis accidit: Sed quidditas Dei ab esse ipsius Dei non distinguitur, ergo Deus in genere substantiæ per se non continetur. Minoris probatio sic habetur: Quidquid est in aliquo, quod est præter illius essentiam, oportet esse causatum, vel à principijs essentiæ, sicut accidentia propria à principijs speciei causantur; vel ab aliqua causa exteriori, sicut calor in aqua ab igne efficitur: ergo si esse Dei ab illius essentia distinguitur, vel est in ipso effectum à principio exteriori, & hoc non, quia Deus est omnium rerum prima causa efficiens: si priori modo; ergo aliqua res est sibi sufficiens causa vt sit in suo esse causato, quod est falsum. Maior deinde confirmatur authoritate Auicennæ in sua Metaph. dicentis nullam naturam posse esse in genere, nisi suum esse sit ab essentia distinctum.

Positum in genere substātia hēt quidditatem distinctā à suo esse.

Confirmatur ex eo, quod quidditati rei, vt humanitati ex hoc, quod est humanitas, non debetur esse in actu, nisi ex hoc, quod in hoc vel in illo suscipitur: potest enim cogitari humanitas, & tamen ignorari, an aliquis homo sit, & quia quidditas generis, vel speciei, non secundum vnum esse, sed secundum vnam rationem communem omnibus communicatur, ideo manifestum est, quod esse illius non est sua quidditas: hanc rationem magnifacit S. Thomas in libro primo Sentent. distin. 8. quæst. 4. artic. 2. atque ex hac habita determinatione, idem S. Thomas, prima parte, quæst. tertia, artic. 5. colligit quod Dei nulla sit diffinitio, quia genere, & differentia caret, quæ sunt diffinitionis partes: nullaque de eodem demonstratio, nisi per effectum; quia cum demonstrationis medium sit diffinitio, ob id, si Dei nulla est diffinitio, nulla de Deo est demonstratio.

Diffinitionis partes sunt genus, & differētia

CON-

CONCLVSIO

Secunda.

Deus non est in genere per reductionem.

1 EA omnia quæ per reductionem in genere ponuntur, ideo sic in eo ponuntur, quia minus perfecta sunt quàm sint ea quæ per se ibi ponuntur: sed nihil est, quod sit Deo perfectius, & ad quod ipse Deus reducatur, ergo Deus per reductionem in genere non ponitur. Minor non indiget probatione; & Maior ex se ipsa est apertissima.

2 Præterea, Vnum ad aliud reduci, est referri ad aliquod, quod sit illo prius natura, vel ordine generationis, aut perfectionis: sed nullum ens est prius Deo, in quocumque modo prioritatis, ergo Deus ad nullum genus reducitur.

3 Præterea, Quod est in aliquo genere siue per se, siue per reductionem clauditur infra limites illius generis: sed Deus infra limites alicuius generis non clauditur: ergo Deus in nullo genere per reductionem continetur.

Circa hanc Conclusionem, notandum quod S. Thomas in libro primo sent. dist. 8. q. 4. art. 2. ad tertium, & apertius de potentia q. 7. art. 3. ad septimum, sustinet Deum esse in genere substantiæ per reductionem: sed in p. p. q. 3. art. 5. Concl. 2. totum id prorsus negat, quod alibi prius affirmauerat.

Conciliatio doctrinæ S. Thomæ ex Caietano. Hinc Caietanus, vt S. Thomæ doctrinam conciliet, distinguit quod esse in aliquo genere tanquam Principium, duobus modis contingit: vno modo vt principium contentum, quemadmodum punctus, & vnitas sunt in Prædicamento Quantitatis vt principia cōtenta: altero modo vt principium continens: & sic, inquit Caietanus, intelligebat S. Thomas Deum esse in Prædicamēto substantiæ reductiuè, idest tamquam principium continens. Sed hæc Caietani Solutio non adimit verborum S. Tho. contradictionem. Etenim in primo sent. & apertius de pot. ad septimum ijsdem exemplis vtitur, scilicet puncto, & vnitate, quibus in p. p. negatiuam partem declarat; in alijs locis ad tuendam partem affirmatiuam; eadem exēpla ponit. Ergo in eo sēsu quo in summa negat Deum esse in genere reductiuè sicut punctum, & vnitatem; in quæst. de pot. affirmat. inquit. n. sic. Potest dici quod sit in genere per reductionem sicut principiū, & sicut pūctus est principium quantitatis continuæ, & sicut vnitas in genere numerorum.

Opinio S. Thomæ à Capreolo explanata est probabilior. Capreolus autem dicta S. Thomę subtilius perscrutatus, in libro 1. Sent. dist. 8. quæst. 2. scribit quod S. Thomas iuuenis existēs, eam opinionem in præfatis locis habuit, quàm postea in Summa retractauit.

Propterea ad sententiam in Summa decisam standum est: atque concludendum quod Deus neque per se, neque per reductionem ad Prædicamentorum seriē pertinet, eo quod sit infinitæ perfectionis, & vltra omne genus se extendat. tamen omnium entium primū principium, & penes hanc intelligentiam determinant Scolastici, vt Alexander Alensis p. p. summæ, q. 48 m. 4. art. 2. & 3. & lib. 10. Metaph. tex. 8. S. Tho. in summa vbi supra, & lib. 1. Contra gentes cap. 25. Henricus de Gandauo p. p. art. 26. q. 2. D. Bonauentura in lib. 1. Sent dist. 8. Aegidius, Tho. ab Argentina, & Richar Scotus ibid. q 3. & in capite de substantia. Pau. Venetus in eodem Capite de substantia, p. p. not. 4. Dominicus Sotus q. 1. art. 2. ad vltimum. Toletus ibidem q. 2. ac tandem Petrus Fonseca in libro 5. Metaphys capite 8. q. 1. pertotum.

Notandū circa opi. Scoti. Notandum circa hæc dicta, quod Scotus, quia sustinet ens, & substantiam dici de Deo, & de creaturis vniuocè; ideò ea sola ratione probat Deum in genere non contineri, quia est res infinita; & quod sub genere continetur est quid finitum. Species etenim Prædicamentalis constat ex genere, quod est in potentia vt cōtrahatur per differentiam tanquam per actum eius: sed id quod est in potentia ad nouā perfectionem non potest esse infinitè perfectum, vnde sequeretur esse aliquid in Deo quodammodo imperfectum. Altero medio vtitur, quia si illud genus sub quo Deus ponitur sit Entitas ex se necessaria, ergo includit suam differentiam diuisiuam; siquidem Genus sine differentia diuisiua non est in actu vltimo; quod si eam includit, ergo nō est genus, quia genus differentiam non includit. Si autem sit Entitas ex se non necessaria, ergo aliquid ex sui natura necessarium, vt Deus, ex entitate non necessaria cōstituitur; qđ fieri nequit: quo medio Auicennas etiam. in lib. 8. Metaph. c. 4. vtitur.

SECTIO Tertia.

Argumenta prioris opinionis diluuntur.

Reliquum est, vt ea argumenta diluantur, quibus Authores prioris opinionis affirmant Deum ad Prædicamētorum seriem per se pertinere. Vnde ad primum respōdetur, authoritatem Aristotelis ex textu 7. libri 10. Metaph. desumptam, esse intelligendam de mensura proportionata; hanc namque oportet esse mēsurato homogeneam; Deus autem non est mensura alicui enti proportionata: tamen dicitur omnium mensura ex eo quod vnumquodque tantum habet de esse, quantum ei appropinquat. Solutio ex S Tho. p. p. q. 3. art. 3. ad secundum quæ Solutio, etsi quo ad rem, & quo ad Aristotelis mentem sit vera, vt paulò inferius expli- *Mensura est eiusdē generis cū re mensurata.*

pli-

plicabitur: tamen intentionem Auerrois, à S. Thoma in argumento citatam non saluat, eo quod primum motorem esse omnium substantiarum mensuram homogeneam ibidem afferat. Caietanus hanc tacitam obiectionem fortassis videns, inquit S Thomam ad mentem quoque Auerrois optimè satisfacere: quapropter ipse distinguit Genus dupliciter sumi; propriè, & hoc modo Deus non est mensura homogenea generis substantiæ; imo suddit, neque Auerroes ponit aliquam intelligentiam sic homogeneam substantiæ. Alio modo largè pro coordinatione, & ita Deus est mensura homogenea coordinationis substantiarum, magisque accidentium, quia ipse est substantia, & nō accidens: & hoc Auerroes intendit; quod tamen est esse mensuram omnium generum extra ea; quam solutionem habet etiam Thomas ab Argentina in libro 1. sent. dist. 8. q. 1. art. 1. ad primum, & eam sequitur Petrus Fonseca in libro 9. Metaph. cap. 8. q. 1. sect. 3. ad primū locum Aristotelis.

Solutio ex Caietano de verbis S. Thomæ.

Genus dupliciter sumitur.

Sed hi mentem Auerrois attigisse nequaquam videntur: nam si totum illud commentum inspiciatur, tunc apparebit Auerroem affirmare primum motorem esse mensuram homogeneam in genere substantiæ Prædicamentalis. inquit .n. quod quemadmodum albedo est mensura omnium colorum, & vnitas omnium vnitatum, ita primus motor est mensura omnium substantiarum: vnde Commentator talem homogeneitatem ponit inter Deum vt mensuram, & alias substantias, qualis est inter vnitatem, & numerum, inter albedinem, & cæteros colores.

Cōtra Caietanum.

Diceremigitur, quod quemadmodum S. Thomas de potentia q. 7. art. 3. ad tertium propter hanc Auerrois authoritatem, quam ibi ponit; concessit Deum esse primum in genere substantiæ, quamuis reductiuè: ita in summa non curando qualis fuerit Auerrois opinio, respondet simpliciter ad authoritatem Aristotelis videlicet quod est intelligenda de mensura proportionata, vnde neque Auerroem in solutione nominat; quasi innuat non esse sustinēdum in eo sensu quo loquitur.

Alia Sol.

Ad argumentum tamen in gratiam iuniorum sic respondeamus, cum de ratione mensuræ sit in cognitionem mensurati ducere, sicut Auicennas in lib. 10. Metaph. cap. 2. scribit, quod idem Aristoteles ibi docet: ideò dicimus quod cuiuslibet rei habētis causam; mensura est dupliciter vna intrinseca, & altera extrinseca: mensura intrinseca est illius quidditas per quam ipsa res cognoscitur quanta sit secundum quantitatem perfectionis: mensura verò extrinseca est ad quam comparando mēsuratum, cognoscimus illius quantitatem siue dimensiuam,

Mensura rei habētis causa est duplex intrinseca, & extrinseca.

manet adhuc confusus, videlicet quale Animal sit, tunc per superadditum conceptum rónale, qui est conceptus determinans, concipio hominis naturam. Hæc compositio est in conceptibus: quia conceptus conceptui additur: Eodem modo, aiunt hi, res se habet, cum aliquid de Deo, vel alio simplici eminenter vel virtute plura continente concipimus: quia si tunc addimus conceptum determinantē conceptui determinabili, tale simplex sine suæ simplicitatis interitu potest plurium prædicatorum conceptuum esse fundamentum: quia compositio non est in re, sed in conceptibus, qui à re simplici desumuntur.

His dictis, ad antiquiores præfatos Magistros redeamus, qui sustinētes Deum propriè, & per se in Prædicamentis cōtineri, his authoritatibus, & rationibus suam opinionem confirmant.

1 Aristoteles in libro 10. Metaph. textu 2. vbi loquitur de mensura rerum, docet id quod est mensura omnium quæ sunt in aliquo genere, esse aliquid illius generis, inquit sic: Semper n. mensura eiusdem generis est: magnitudinum namque magnitudo, & secundum vnūquodque longitudinis longitudo, latitudinis latitudo, vocū vox, grauitatis grauitas, vnitatis vnitas, ac similium: Sed Deus cum sit perfectissima substantiarum, ergo Deus continetur in Prædicamento substantiæ. Minor est Auerrois ibidem dicentis, quod illud minimum, quo omnes substantiæ mensurantur, est primus Motor.

2 Præterea, Aristoteles in libro 12. eiusdem operis ad initium primi Capitis, textu 2. affirmat substantiam esse omnium Entium primum Ens: deinde in textu 5. eamdem substantiam diuidit in substātiam mobilem, & immobilem: ac tandem in textibus 35. 36. & 37. eiusdem libri ponit primum principium qui est Deus apud Aristotelem est in Prædicamento substantiæ.

3 Confirmatur per eumdem Philosophum in libro 1. Ethicorum capite 6. assignantem exempla eorum quæ in Prædicamentis reponuntur, atque inter ea præcipuè in Prædicamento substantiæ Deum numerat, ergo Deus &c.

4 Præterea, Aristoteles in lib. 7. Metaph. textu 4. postquam diuisit ens in decem Prædicamenta, comparat Ens inter se, & dicit, aliorum Prædicamentorum nullum esse separabile, nisi solam substantiam. Quod dictum exponens S. Thomas, inquit esse verum ratione Dei, ita vt substantia Prædicamentalis sit ab omni substantia separata, quia Deus qui est substantia, nullo accidente afficitur. Quis non videt in genere substantiæ Prædicamentalis Deum ab Aquinate reponi?

5 Confirmatur eadem Conclusio authoritatibus Sanctorum Patrum D. Augustinus in li-

libro 5. de Trinitate cap. 8. & 10. inquit quod quædam Prædicamenta dicitur propriè de Deo, vt Substantia, & Relatio. Alia non nisi Metaphoricè, vt situm esse, habere locum, & tempus. Item Boetius in lib. 1. de Trinitate inquit substantiam continere vnitatem, Relationem verò multiplicare Trinitatem. Ac tandem Damascenus in capite 9. Elementarij fatetur incorporeum esse Differentiam substantiæ, eamque Deum, & Angelum continere, igitur, &c.

6 Præterea Substantia quæ est generalissimum genus, & substantia incorporea prædicatur de Deo, & de substantijs creatis vniuocè, idest secundū idem nomen, & eandem Diffinitionem, & in quæstione quid est; ergo Deus in Prædicamento substantiæ per se reponitur. Prior pars antecedentis ex diffinitione substantiæ probatur. Substantia diffinitur, quod sit Ens per se existens, & spiritus est substantia corpore carens, vel à corporis natura seiuncta: quæ diffinitiones æquè conueniunt Deo, & cęteris rebus, quæ sub his generibus collocantur. Altera pars fit nota ex hoc, quod si quis petat, quid sit Deus, rectè respondebit qui dixerit, quod est substantia, & familiarius quod est spiritus: iuxta illud Ioan. 4. Deus spiritus est.

7 Præterea, Si quid est, quod impediat Deum sub genere contineri, hoc est, aut quia est simplex, aut quia est infinitus: sed neque hoc, neque illud impedit, ergo Deus spectat per se ad Prædicamentum. Maior propositio deducitur manifesta ex eo, quod qui negant Deum in Prædicamentis reponi, ex his duobus potissimè argumenta deducunt, quia est simplex, & infinitus. Minor quo ad priorem partem probatur: Angeli, & Accidentia sunt simplices naturæ, tamen in genere per se collocantur. Altera pars ex hoc suadetur, quia si esset linea infinita, à genere quantitatis non excluderetur, ergo neque Deus à genere substantiæ excluditur.

8 Præterea Omne quod potest intelligi modo determinato, & indeterminato, in aliquo genere continetur sicut indiuiduum vel species: quia quod dicit Genus modo indeterminato, dicit species modo determinato non significato, & indiuiduum modo determinato significato: sed Deus potest intelligi modo determinato sicut à nobis intelligitur, & modo determinato, veluti à beatis intelligitur, ergo Deus est in genere.

9 Præterea Subiectū, & prædicatum ex Prædicamentis sumuntur: sed Deus in propositione potest esse aut subiectū, aut prędicatum, ergo Deus est in Prædicamentis.

10 Tandem S. Thomas in libro 1. sent. dist. 8 quæst. 4. art. 2. ad tertium, & de potentia q. 7. art. 3. ad vltimum expresse fatetur Deum reductiuè contineri in genere substātiæ: ergo?

SE-

SECTIO Secunda,

Deum neque per se, neque reductiuè in aliquo genere poni, alij verius fatentur.

VErior, nec non probabilior omnium Theologorum, & Philosophorum sententia est, (paucis præfatis exceptis) Deum neque per se, neque reductiuè ad Prædicamentorum ordinē pertinere. Quod quidem assertum tùm Philosophorum, cùm sanctorum Patrum authoritatibus, & rationibus manifestare haud multum difficile est. Nec mihi scrupulum adimit id quod quidam fatentur scilicet, Genera posse bifariam considerari; aut eo modo, quo in libro vulgato Prædicamentorum tractantur; vel quo simpliciter tractari possunt. Fateor .n. me videre non posse, quo alio pacto ab ipso modo Logico ipsa Prædicamēnta tractari possint, nisi à Metaphysico, à quo Logicus ea desumit. In qua quidem Metaphysica consideratione necessarium est dicere, ea omnia quæ sub Metaphysicis Prædicamentis collocantur componi ex genere, & differentia, vel ex aliquibus, quæ in horum locum constituantur.

Logicus sumit Prædicamenta à Metaphysico.

Præterea, sola Metaphysica & Logica inter omnes disciplinas in toto entis genere versantur; atque hæ solæ de omnibus, (etsi non eodem modo) differunt, sic Aristoteles in capite 2. libri quarti Metaph. docet. Vnde factum est, quod illa, omnium domina, & hæc omnium communis facultas dicatur; vt ex cap. 6. lib. 1. Poster. instruimur, & cū Prædicamenta cōplectantur omniū entium genera, quæ sunt aut esse possint, hinc fit, ipsamet neque simpliciter, neque simplicius tractari posse, quàm à Logico, vel à Metaphysico pertractētur, & quia necessarium est, illud totum quod aut sub Logico, aut sub Metaphysico genere Prædicamentali continetur, aliqua compositione componi, ideo fit consequens vt Deus simplicissimus ab omni genere prorsus excludatur.

Prædicamenta nō possūt tractari simplicius quā à Metaphys. vel Logico tractantur.

Quod si quis iterum instet, non esse eadem Prædicamēta, quæ à Logico, & à Metaphysico pertractantur: vel hæc aliqua plura, quàm illa complecti. Iam in superiori Disputatione sect. 6. ad quartum dictum est, Prædicamenta esse eadem, quæ à Logico, & à Metaphysico tractantur; imo Logicus desumit ea à Metaphysico, cui in hac re subalternari, nonnulli rectè affirmant, & à quo in solo modo considerandi differt. Quapropter fieri nequit quo ad hanc partem, vt horum artificum vnus plura quàm alter complectatur. Sed his tanquam notis dimissis ad aliorū authoritates,

&

&rationes veniamus, quib. propositam Cõclusionem firmius probare possimus.

Aristoteles in libro 12. Metaphy. loquens de prima omnium intelligentiarum, affirmat eàm esse purissimum, & simplicissimum actum, in quo nulla compositio reperitur: & Auerroes in libro Destructionum, capite 7. satis exactè probat, atque ingeniosis rationibus concludit Deum nullo modo esse in genere: imò apertè ibidem ostendit intellectum non dici de Deo, & de cæteris separatis substantijs, nisi analogicè; quod etiam Auicennas in libro 8. suæ Metaphysicæ, capite 4. non longè à fine clarè demonstrat: ergo ad mentem horum Philosophorum Deus in nullo genere continetur, eo quod cum sit purissimus actus, nullam compositionem admittit.

Intellectus dicitur de Deo, & de intelligentijs analogicè.

2 Confirmatur Cõclusio ex sententijs Sanctorum Patrum: ac Dionysij Areopagitæ in primis, qui in libro de Diuinis nominibus, sæpius scriptum reliquit, Deum præstantiori modo esse quàm substantiam. Damasceni deinde in libro Orthodoxæ fidei, docentis Diuinam essentiam esse omnibus substantijs superuenientem, & ab omni substantia exceptam. Boetij quoque in libro de Trinitate, cap. 5. & 6. affirmantis Decem omnino esse Prædicamenta, quæ de rebus omnibus prædicantur, vt Substantia Quantitas &c. at hæc cum quis in Diuinam vertit prædicationem, cuncta mutantur quæ prædicari possunt. Substantia etenim in illo non est verè substantia, sed vltra substantiam, ac tandem D. Augustini, (vt reliquos missos faciam) qui in libro de Cognitione veræ vitæ, capite 3. scribit Deum nullis verbis propriè exprimi, nulla posse cogitatione comprehendi: quod nec esset, si Deus in Prædicamentorum serie per se constitueretur, veluti reliqua entia constituuntur.

3 Præterea, Si Deus in aliquo Prædicamento per se ponitur in eo tanquam Genus, vel vt Species, vel vt Indiuiduum; sed nullo horum modorum in eis ponitur, ergo Deus simpliciter, & absolute in Prædicamentis non ponitur. Maior fit manifesta ex dictis, quia hæc tria tantum ad Prædicamentorum seriem per se spectant. Minor quo ad singulas partes probatur. Quo ad primam sic. Genus sub aliquo Prædicamento positum, est subalternum. Quod si Deus hoc modo in Prædicamento ponitur; tũc duo absurda ex inde oriuntur. vnum quod supra Deum sit aliquod eminentius, quemadmodum Generalissimum Genus est omni genere subalterno eminentius: quod dictu est absurdissimum. Aliud, quod in natura Deitatis sint plures naturæ specificis differentijs distinctæ: eo quòd sub vno genere duæ ad minus species reperiuntur, & hæc omnia ex arbore Porphyriana clarescunt.

Deus non ponitur in genere.

P Altera

Altera pars probatur sic. Omnis species sub aliquo genere per se posita, ex duabus adminus entitatibus per se constat, altera generis, quę rationem potentiæ habet, altera differentiæ, quæ rationem actus obtinet: sed Deus ex pluribus entitatibus constare nequit: ergo Deus tanquam species sub aliquo genere non ponitur. Maior propositio nota est ijs, qui speciei naturam percipiunt. Minor ex omnium Philosophorum, & Sanctorum Patrum vno ore manifestatur, affirmantium Deum esse perfectissimè simplicem, nullamque generis, & differentiæ compositionem in sui naturam admittere.

Species sub genere posita ex duob. conficitur

Tertia ex præhabitis innotescit, quia indiuiduum sub specie positum, est quid compositum.

Qui aduersam partem tuentur, occurrunt dicentes, hanc propositionem scilicet, Quidquid generi subijcitur, pluribus entitatibus constat: habere locum in his tantum, quæ ex materia, & forma componuntur: at simplicia, vt substantias separatas, & accidentia esse simplices entitates ex pluribus entitatibus nullo modo compositas.

Obiectio.

Contra hanc solutionem arguitur. Ea omnia quæ in aliquo genere collocantur, conueniunt in quidditate, & essentia illius generis, quod de illis vniuocè prædicantur, atque specificis differentijs ab inuicem distinguuntur.

Euasio.

Exempli causa, homo, & equus conueniunt in natura, & quidditate animalis: Albedo, & nigredo in natura, & quidditate coloris: distinguuntur postea sub eodem genere suis specificis differentijs: Homo ab equo per rationalitatem: & albedo à nigredine, verbi gratia, per disgregatiuum visus: ergo si Deus sub genere per se continetur, nunc necessariò habet aliquam essentialem differentiam, qua à cæteris sub eodem genere contentis, distinguitur. Sed sicut Philosophus in libro 6. Topicorum in explanatione loci 31. Differentia non distinguit, nisi addita generi, ergo erit necessariū Deum ex duabus entitatibus componi.

Posita sub genere conueniunt in quiddita te illius generis.

Aduersus hanc solutionem, Nominales iterum objiciunt dicentes, quod compositio Metaphysica speciei, non est ex veris partibus; sed sunt diuersi conceptus, quorum vnus se habet vt determinabilis, alter vt determinans, eamdem essentiam significantes. vnde non sequitur quod huiusmodi conceptus generis, & differentiæ ponant in Deo plurium entitatum compositionem.

Obiectio.

Contra, Genus, vt Genus significat rationem quæ est extra essentiam differentiæ: similiter Differentia vt sic, est extra naturam generis: alioquin Genus non contraheretur ad esse specificum per differentiam tanquam per nouum gradum perfectionis: ergo Genus,

Euasio.

&

& Differentia formaliter significant duas entitates; & ita in Deo essent plures entitates; quamuis vnam solam naturam specificam constituant, & significent.

Si quis respondeat, Simplex eminenter, vel virtute plura continens, posse esse fundamentum plurium cōceptuum: talis est Deus &c.

Simplex quomodo sit fundamentum plurium cōceptuū. Occurritur huic obiectioni, Simplex eminenter, vel virtute plura continens, potest esse fundamentum plurium conceptuum, quibus plura correspondent, sola ratione ad minus distincta. Sicut Deus qui est illimitatæ, & infinitæ naturæ, est fundamentum multorum attributorum, quæ sola ratione à diuina natura distinguuntur nullamque compositionem in eo faciunt. Sed Genus, & Differentia præter distinctionem, quam ab inuicem habent, etiam compositionem aliquam semper insinuant, neque de aliquo intelliguntur, quin cum compositione intelligantur, vel ad modum rei compositæ, si verus sit intellectus.

4 Præterea, ad eandem Conclusionem principaliter arguitur. *Continēs perfectiones omniū generum, in nullo genere cōtinetur.* Illud quod essentialiter in se comprehendit perfectiones omnium generum, in nullo genere clauditur. Sed Deus comprehendit in se essentialiter perfectiones omnium generum, ergo Deus in nullo genere clauditur. Maior fit nota ex eo, quòd in quocumque vno genere clauderetur, cæterorum generum perfectiones essentialiter non haberet. Minor habetur ex libro quinto Metaph. textu 21. ad calcem, vbi dicitur reperiri quoddam ens perfectum vniuersali perfectione, in quo omnium generum perfectiones congregantur, & hæc dispositio, vt ibidē Auerroes dicit, est solius primi principij, qui est Deus.

5 Præterea, Illud Genus sub quo Deus ponitur, aut est finitæ aut infinitæ perfectionis. Si infinitæ, ergo ea omnia, quæ in ipso genere reponuntur sūt perfectionis infinitæ, sed hoc est falsum, igitur &c.

Consequentia probatur; illud genus prædicatur in quid, de omnibus sub ipso contentis: ergo necessarium est, quod subiectum, & prædicatum in perfectione essentiali adæquētur. Falsitas deinde fit manifesta ex eo, quod nullam tunc differentiam haberet, per quā ipsum genus contraheretur; quia cum sit perfectionis infinitæ, nullam aliam differentiæ perfectionem reciperet: at si illud genus sit perfectionis finitæ; ergo in Deo est aliqua perfectio finita, quæ cum in ipso sit essentialis, sequitur quod Deus sit naturæ finitæ; quod est absurdum maximum.

Huic rationi quidam respondent dicentes, eam generis naturam, sub quo Deus continetur, neque finitam; neque infinitam perfectionem habere, sed quamdam vtrique

communem; quemadmodum Ens in communi, nec est finitum, nec infinitum, sed ad vtrumque se habet indifferens.

At huic solutioni negatur similitudo ex eo, quod cum nomen analogum non significet naturam rebus analogatis communem, ob id hanc indifferētiam habere nequit, quod in vniuocis admitti non potest. Si quidem natura omnis vniuoca, sicut certam essentiā habet, quæ ab vniuocatis abstrahitur, ita certam essentiæ perfectionem habere debet, quæ sit finita vel infinita.

6 Præterea, omne illud quod in genere substantiæ per se ponitur, habet quidditatem distinctam a suo esse, sicut in reliquis Prædicamentis accidit: Sed quidditas Dei ab esse ipsius Dei non distinguitur, ergo Deus in genere substantiæ per se non continetur. Minoris probatio sic habetur: Quidquid est in aliquo, quod est præter illius essentiam, oportet esse causatum, vel à principijs essentiæ, sicut accidentia propria à principijs speciei causantur; vel ab aliqua causa exteriori, sicut calor in aqua ab igne efficitur: ergo si esse Dei ab illius essentia distinguitur, vel est in ipso effectum à principio exteriori, & hoc non, quia Deus est omnium rerum prima causa efficiens: si priori modo; ergo aliqua res est sibi sufficiens causa vt sit in suo esse causato, quod est falsum. Maior deinde confirmatur authoritate Auicennæ in sua Metaph. dicentis nullam naturam posse esse in genere, nisi suum esse sit ab essentia distinctum.

Positum in genere substātia hēt quidditatem distinctā à suo esse.

Confirmatur ex eo, quod quidditati rei, vt humanitati ex hoc, quod est humanitas, non debetur esse in actu, nisi ex hoc, quod in hoc vel in illo suscipitur: potest enim cogitari humanitas, & tamen ignorari, an aliquis homo sit, & quia quidditas generis, vel speciei, non secundum vnum esse, sed secundum vnam rationem communem omnibus communicatur, ideo manifestum est, quod esse illius non est sua quidditas: hanc rationem magnifacit S. Thomas in libro primo Sentent. distin. 8. quæst. 4. artic. 2. atque ex hac habita determinatione, idem S. Thomas, prima parte, quæst. tertia, artic. 5. colligit quod Dei nulla sit diffinitio, quia genere, & differentia caret, quæ sunt diffinitionis partes: nullaque de eodem demonstratio, nisi per effectum; quia cum demonstrationis medium sit diffinitio, ob id, si Dei nulla est diffinitio, nulla de Deo est demonstratio.

Diffinitionis partes sunt genus, & differētia

CON-

CONCLVSIO

Secunda.

Deus non est in genere per reductionem.

1 EA omnia quæ per reductionem in genere ponuntur, ideo sic in eo ponuntur, quia minus perfecta sunt quàm sint ea quæ per se ibi ponuntur: sed nihil est, quod sit Deo perfectius, & ad quod ipse Deus reducatur, ergo Deus per reductionem in genere non ponitur. Minor non indiget probatione; & Maior ex se ipsa est apertissima.

2 Præterea, Vnum ad aliud reduci, est referri ad aliquod, quod sit illo prius natura, vel ordine generationis, aut perfectionis: sed nullum ens est prius Deo, in quocumque modo prioritatis, ergo Deus ad nullum genus reducitur.

3 Præterea, Quod est in aliquo genere siue per se, siue per reductionem clauditur infra limites illius generis: sed Deus infra limites alicuius generis non clauditur: ergo Deus in nullo genere per reductionem continetur.

Circa hanc Conclusionem, notandum quod S. Thomas in libro primo sent. dist. 8. q 4. art. 2. ad tertium, & apertius de potentia q. 7. art. 3. ad septimum, sustinet Deum esse in genere substantiæ per reductionem: sed in p. p. q. 3. art. 5. Concl. 2. totum id prorsus negat, quod alibi prius affirmauerat.

Hinc Caietanus, vt S. Thomæ doctrinam conciliet, distinguit quod esse in aliquo genere tanquam Principium, duobus modis contingit: vno modo vt principium contentum, quemadmodum punctus, & vnitas sunt in Prædicamento Quantitatis vt principia cõtenta: altero modo vt principium continens: & sic, inquit Caietanus, intelligebat S. Thomas Deum esse in Prædicamẽto substantiæ reductiuè, idest tamquam principium continens. Sed hæc Caietani Solutio non adimit verborum S. Tho. contradictionem. Etenim in primo sent. & apertius de pot. ad septimum ijsdem exemplis vtitur, scilicet puncto, & vnitate, quibus in p. p. negatiuam partem declarat; in alijs locis ad tuendam partem affirmatiuam; eadem exẽpla ponit. Ergo in eo sẽsu quo in summa negat Deum esse in genere reductiuè sicut punctum, & vnitatem; in quæst de pot. affirmat. inquit .n. sic. Potest dici quod sit in genere per reductionem sicut principiũ, & sicut pũctus est principium quantitatis continuæ, & sicut vnitas in genere numerorum. *Conciliatio doctrinæ S. Thomæ ex Caietano.*

Capreolus autem dicta S. Thomę subtilius perscrutatus, in libro 1. Sent. dist. 8. quæst. 2. scribit quod S. Thomas iuuenis existẽs, eam opinionem in præfatis locis habuit, quàm postea in Summa retractauit. *Opinio S. Thomæ à Capreolo explanata est probabilior.*

plicabitur tamen intentionem Auerrois, à S. Thoma in argumento citatam non saluat, eo quod primum motorem esse omnium substantiarum mensuram homogeneam ibidem afferat. Caietanus hanc tacitam obiectionem fortassis videns, inquit S Thomam ad mentem quoque Auerrois optimè satisfacere: quapropter ipse distinguit Genus dupliciter sumi; propriè, & hoc modo Deus non est mensura homogenea generis substantiæ; imo suddit, neque Auerroes ponit aliquam intelligentiam sic homogeneam substantiæ. Alio modo largè pro coordinatione, & ita Deus est mensura homogenea coordinationis substantiarum, magisque accidentium, quia ipse est substantia, & nó accidens: & hoc Auerroes intendit; quod tamen est esse mensuram omnium generum extra ea; quam solutionem habet etiam Thomas ab Argentina in libro 1. sent. dist. 8. q. 1. art. 1. ad primum, & eam sequitur Petrus Fonseca in libro 9. Metaph. cap. 8. q. 1. sect. 3. ad primũ locum Aristotelis.

Solutio ex Caietano de verbis S. Thomæ.

Genus dupliciter sumitur.

Sed hi mentem Auerrois attigisse nequaquam videntur: nam si totum illud commentum inspiciatur, tunc apparebit Auerroem affirmare primum motorem esse mensuram homogeneam in genere substantiæ Prædicamentalis. inquit .n. quod quemadmodum albedo est mensura omnium colorum, & vnitas omnium vnitatum, ita primus motor est mensura omnium substantiarum: vnde Commentator talem homogeneitatem ponit inter Deum vt mensuram, & alias substantias, qualis est inter vnitatem, & numerum, inter albedinem, & cæteros colores.

Cõtra Caietanum.

Diceremigitur, quod quemadmodum S. Thomas de potentia q. 7. art. 3. ad tertium propter hanc Auerrois authoritatem, quam ibi ponit; concessit Deum esse primum in genere substantiæ, quamuis reductiuè: ita in summa non curando qualis fuerit Auerrois opinio, respondet simpliciter ad authoritatem Aristotelis videlicet quod est intelligenda de mensura proportionata, vnde neque Auerroem in solutione nominat; quasi innuat non esse sustinẽdum in eo sensu quo loquitur.

Alia Sol.

Ad argumentum tamen in gratiam iniorum sic respondeamus, cum de ratione mensuræ sit in cognitionem mensurati ducere, sicut Auicennas in lib. 10. Metaph. cap. 2. scribit, quod idem Aristoteles ibi docet: ideò dicimus quod cuiuslibet rei habẽtis causam; mensura est dupliciter vna intrinseca, & altera extrinseca: mensura intrinseca est illius quidditas per quam ipsa res cognoscitur quanta sit secundum quantitatem perfectionis: mensura verò extrinseca est ad quam comparando mẽsuratum, cognoscimus illius quantitatem siue dimensiuam,

Mensura rei habẽtis causa est duplex intrinseca, & extrinseca.

vt per palmum cognoscimus quantus sit pannus: siue virtualem, verbi gratia in genere coloris, albedo est perfectissimus omnium colorum; vnde si quis cupiat scire, quis color sit perfectior, rubedo an viriditas, tunc per comparationẽ ad albedinem, dicimus illum esse perfectiorem, qui ad albedinem magis propinquat: & in genere Animalium, homo est omnium Animalium mensura sicut Aristoteles in lib. 10. Metaph. scribit, quare illud Animal dicitur perfectius, quod ad hominis perfectionem magis appropinquat.

Mensura extrinseca duplex

Vlterius dicimus, quod mẽsura extrinseca secundum perfectionem rerum est duplex: vna est excedens, & extra omne genus sui mensurati, ita tamen quod est principium eminentissimum omnis generis sui mensurati: verbi gratia bonitas diuina respectu omnis bonitatis creatæ: altera est proportionata, & contenta in genere sui mensurati, vt homo respectu cæterorum Animalium, & albedo respectu cæterorũ colorum. Respondemus igitur quod cum Aristoteles scribit oportere mensuratum esse primum, & perfectius, & aliquid sui generis; loquitur de mensura extrinseca proportionata, & contenta in genere sui mensurati: cuius comparatione entia illius generis secundũ suas speciales considerationes comparantur; vt rubedinis ac viriditatis perfectio per respectum ad albedinem spectatur. Leo similiter, & Equus quis eorum sit perfectior per comparationem ad hominem cognoscuntur: & quod hæc sit Aristotelis intentio ex eo cognoscitur quod ibidem Contra Platonem loquitur, ostendens illud vnum abstractum ac per se subsistẽs ab eo positum, non posse esse mensuram omnium entium, eo quod cum reliquis entibus non sit eiusdem generis. Deus autem est mensura extrinseca excedens, & extra omne genus sui mensurati, nec proportionata: ita tamen quod est principium eminentissimum omnis generis sui mensurati: & ex eo est mensura omnium, quod vnumquodque tantum habet de esse, quãtum ei appropinquat, sicut S. Thomas optimè dicebat. Quod fortè alij vocant fieri comparationem entium in perfectione, & entitate sub rationibus transcẽdentibus, videlicet quatenus Entia sunt; quia vnaquęque res cognoscitur esse tanto perfectior, quanto magis ad perfectionem Diuinam accedit.

Deus est mensura rerum extrinseca excedens.

Obiectio.

Contra hanc solutionem arguitur quod Deus nullo modo sit Entium mensura. Etenim quælibet Entitas quæ non est Deus distat in infinitum ab ipso Deo, quia Deus est infinitæ naturæ ac perfectionis: & quia finiti ad infinitum nulla est proportio, sicut in lib. 3. Physicorum dicitur, ergo non vna magis quàm altera distat, vel ei appropinquat.

1. Solutio.

Huic obiectioni triplici solutio

lutione occurritur, quarum prima in hoc consistit, videlicet, Quodlibet ens citra Deũ est quasi medium inter duo extrema, quorũ vnum est Deus, qui est perfectissimum Ens, alterum est ipsum non ens siue nihil. Dicitur autem vnam creaturam magis quàm aliam Deo appropinquare non penes aliquam proportionem ad ipsum, ita vt vna in duplo, & altera in triplo ei appropinquet, vel ab eo distet: sed ex eo quod plus vel minus ab altero extremo videlicet à non ente recedit; à quo tunc plus recedit quanto illius entitas est perfectior; sicut numerus denarius dicitur magis approximari numero infinito quàm senarius, quia ab vnitate magis distat, quamuis eorum vterque in infinitum distet à numero infinito.

2. Solut. Secundus modus dicendi est aliorum qui dicunt, quod cum in Deo sint plures gradus perfectionum non re, sed ratione distincti, videlicet, esse viuere, velle, intelligere, scire, & huiusmodi; ideo aliqua dicuntur magis vel minus Deo appropinquari, ex eo quod plures aut pauciores gradus harum perfectionum participant, quamuis hi gradus in infinitum distent ab illis qui in Deo reperiuntur.

3. Solut. Tertius modus est quorumdam distinguentium quod perfectio Dei duobus modis consideratur: vno, secundum seipsam, & sic formaliter est infinita; Altero, quatenus à creaturis est imitabilis, & participabilis, & sic non est infinita, eo quòd nulla creatura participare potest perfectionem infinitam sub ratione qua est infinita: & ita diuina perfectio est creaturarũ mensura, vt est à creaturis imitabilis: & hoc modo concludunt Deum posse habere rationem mensuræ omnia mensurantis penes accessum, & recessum ad ipsum; quia non omnia in æquali gradu entitatis, & perfectionis participant, & imitantur diuinam perfectionem. Consule Zimaram in theoremate 13. & Paulum Soncinatem in libro 10. Metaph. quæst. 2. per totum.

Perfectio Dei quomodo est creaturarum mensura.

Ad secundum ex multis Aristotelicis authoritatibus collectum: respondetur primò ex illa diuisione non probari Deũ esse per se in Prædicamento; quia vbi substantiam diuisit in sensibilem, & insensibilem; non diuidit postea substantiam in sensibilem in primam, & secundam: sed quærit vtrum sit dare tantùm vnam substantiam insensibilem, aut plures, & dato quod insensibiles sint plures, non sequitur quod ipsarum quælibet sit in Prædicamento, quamuis aliquæ earum in ipso reperiantur. Ita Paulus in capite de substantia. Alij respondent quod substantia quæ dicitur de Deo, & de reliquis substantijs sumitur analogicè, quæ secundum analogiam est omnibus substantijs communis: & ita Auicennas

Explanatio verborum Aristotelis.

cennas in lib 6. suæ Metaph. sentit.

Ad tertium ex 6. capite libri 1. Ethicorum acceptum; dicitur quod si Aristoteles nomine Dei, solum Deum intelligit, nulli dubium est, quin ipsum inter ea exempla ponat; quæ ad seriem Prædicamentorum aliquomodo spectat. Sed dicendum videtur quod ibi nomine Dei intelligitur quælibet separata substantia, quæ apud antiquos sub Dei nomine comprehenditur: ita nomine mentis, intelligit animam, quæ non per se, sed reductiuè ad Prædicamentum spectat.

Ad quartum respondetur, quod Aristoteles in libro 7. Metaphysicæ textu 4. ostendit substantiam esse priorem omnibus accidentibus, quia nullum accidens sine substantia reperitur, sed aliqua substantia reperitur sine accidente: ex his tamen verbis non sequitur, quod Deus sub Prædicamento substátiæ contineatur, neque S. Tho. vnú verbum de Deo ibi facit, vt quidam sibi imponunt: sed simpliciter ostédit solam substantiam esse separabilem, quia contingit aliquam substantiam sine accidente reperiri: verba huius Doctoris aperta sunt.

Ad quintum, quod ex sanctorum patrum authoritatib. constituitur: dicendum est sanctos patres assignare in Deo substantiam, & relationem propriè, quatenus distinguuntur contra substantiam, & relationem Metaphoricè sumptas; verumtamen neque substantia, neque relatio, quæ de Deo prædicantur, sunt Entia prædicamentalia, sed transcédentia siue analoga.

Substantia, & relatio dicũtur de Deo non sunt Prædicamẽtales.

Ad sextum negatur antecedens: nam si substantia, & spiritus, & multa alia de Deo, & de creaturis communiter prædicantur, non vniuocè, sed analogicè de illis dicuntur; & ad illius probationem respondetur quod si omni substantiæ conueniat ex æquo non esse in subiecto, & omni spiritui carere corpore: tamen illa Entitas quæ nomine substantiæ, aut spiritus significatur, & de qua negatur esse in subiecto; aut habere corpus, non vniuocè, sed analogicè de Deo, & de creaturis dicitur, & analogicè de ipsis in quid prædicatur.

Substantia, & spiritus dicuntur de Deo, & creaturis analogicè

Ad septimum dicitur quod Deus in nullo genere constituitur propter illas causas, videlicet, quia simplex, & quia infinitus: ad illius probationẽ respondetur, quod Angelos, & accidentia esse simplicis naturæ dupliciter intelligitur, aut quia careant omni, & quacũque compositione, & hoc est falsum; aut quia non componuntur ex materia, & forma; & sic dicuntur simplicia.

Angeli, & accidẽtia quõ dicũtur simplices.

Ad confirmationem de linea infinita, iam dictum est de quo infinito intelligitur: infinito aũt secundum propriam rationem, v.g. si daretur linea infinita, non repugnat esse in genere, quia est perfectionis finitæ, & ad certam entis naturam

ram

ram determinatum: sed Deus est infinitæ, & illimitatæ perfectionis, vt dictum est.

Ad octauũ negatur Minor; ad cuius probationem respondetur, quod aliud est, aliquid intelligi modo indeterminato, & aliud intelligi modo imperfecto: intelligi modo indeterminato, est intelligi tanquã aliquod commune pluribus, & hoc modo Deus à nobis nõ intelligitur: sed intelligi modo imperfecto, est totam rei naturam plenè non capere: quomodo Deus dicitur intelligi modo imperfecto, quia illius naturam plenè non capimus, cognoscendo nunc per speciem in ænigmate: Beati verò facie ad faciem ipsum intuentur.

Modus intelligendi indeterminatè distinguitur à modo intelligẽdi imperfectè.

Ad nonum cõceditur, quod in propositione Deus possit esse subiectum vel prædicatum; ex quo tamen non sequitur, quod quemadmodum reliqua subiecta, & prædicata Dialectica sumuntur ex Prædicamentis, tanquam ex rebus, aut per se, aut reductiuè in ipsis contentis, ita Deus in ipsis contineatur; quia Deus est extra omne genus, & cuiuscumque generis principium, vt dictum est.

Ad decimum, iam dictum est Sanctum Thomam retractasse eam sententiam in prima parte Summæ, in qua standum est, vt Capreolus præfatis locis scribit.

DISPVTATIO

Decimaseptima.

An substantiæ separatæ citra Deum ad aliquem Prædicamentorum ordinem per se pertineant.

SECTIO

Prima.

Rationes eorum proponuntur, qui rati sunt substantias separatas citra Deum, ad ordinem Prædicamenti substantiæ per se non pertinere.

Multi Philosophorum rati sunt substantias abstractas, quas ipsimet intelligẽtias, & Theologi Angelos vocant, ad ordinem Prædicamentorũ, immò neque etiam ad seriem Prædicamenti substantiæ pertinere. Hi sunt Plotinus Enneadis sextæ, lib. 1. capite 2. Ammonius ad initium ferè capitis de substantia. Boetius ibidem. Auerroes ad Isagogem Porphyrij capite de Specie. Dexippus in libro 2. quæst. in Prædicamentis, cap. 5. & 6. Magnus Albertus in Prædicamẽtis. Aegidius Romanus in quol. 1. q. 8. ac recentiorum quidam, qui authoritatibus & rationibus probant substantias separatas

riam addimit, igitur non eodem modo in illis reperitur, ergo neque vniuocè.

5 Præterea, Quæcumque in aliquo genere conueniunt, distinguũtur deinde ab inuicem specificis differentijs: sed substantiæ abstractæ carent specificis differentijs, quibus distinguantur à substantijs corporeis contentis sub genere Prædicamenti substantię, ergo substantiæ abstractæ. Sub genere non continentur. Maior est nota: Minor probatur. Simplicia se ipsis constituuntur, & distinguuntur, ergo Carent specificis differentijs, quibus ab alijs sub eodem genere contentis distinguantur.

7 Pręterea, Illud à quo in simplicib. sumitur ratio generis, & differentiæ aut est vna realitas, aut plures; si vna, ergo cũ cõte nta in genere cõueniant, & ꝑ differentiã distinguantur, sequitur quod vnã & realitas sit simul causa conuenientiæ, & differentię, quod est falsum. Si plures realitates, ergo ipsæ substantiæ abstractæ non erũt simplices.

8 Præterea, Corruptibile, & incorruptibile differunt genere, sicut Aristoteles in libro 10. Metaph. textu 26. scribit: sed substantiæ abstractæ sunt incorruptibiles, & multæ corporeæ corruptibiles, ergo aliquod commune genus habere non possunt.

9 Præterea, Substantiæ abstractæ distinguuntur ab inuicem specie; nam secundum S. Thomam, vnumquodque indiuiduum ipsarum constituit propriam speciem; quod, & apud Scotum de superioribus verificatur. Ergo hæ omnes habẽt proprium genus in quo conueniunt, & propriam differentiam specificam, qua ab inuicem distingũntur: igitur si cum corporalibus substantijs in Prædicamento substantiæ conueniunt; tunc substantiæ abstractæ habebunt duas specificas differentias, quarum vna ab inuicem distinguũtur, & altera ab his quæ corporales substantiæ sunt.

Vnũquodque indiuiduum intelligẽtiarũ constituit propriam speciem.

10 Confirmatur tandem ex vltimo attributo substantiæ, quod est posse suscipere contraria, & maximè proprium ipsius substantiæ esse dicitur: sed sola substantia corruptibilis potest suscipere contraria, sicut Aristoteles in libro 1. de cælo textu 20. docet, ergo substantiæ abstractæ ad seriem Prædicamenti substantiæ per se non spectant.

SECTIO

Secunda.

Ponuntur aliquæ distinctiones ad veritatem propositæ quæstionis manifestandam.

SIt primum notandum; Genus est duplex, vnum quod Logicũ nominatur, aliud quod Physicum dicitur. Genus Logicum est illud, quod ab vnitate

Genus duplex Logicum, &

Physicũ genus logicũ quomodo ab intellectu cõcipitur. tate alicuius secundæ intentionis sumitur, & cui aliqua natura diuisibilis specificis differentijs in plures species, fundamentaliter correspondet Exẽpli gratia, dum noster intellectus vno suo primo actu apprehẽdit naturam substantiæ, ac deinde alio actu considerat illius naturam conuenire vniformiter omnibus substantijs, quia omnes per se subsistunt, ita vt earum nulla subiecto insit, tunc dicit eas omnes eiusdem generis esse. Similiter apprehendens omnes lineas esse longitudines absque latitudine, quarum extrema sunt puncta; & huiusmodi ratio omnibus lineis equaliter conuenit, tunc dicit omnes lineas siuè corruptibiles siue incorruptibiles esse eiusdem generis. Genus verò Physicum sumitur ex vnitate materiæ, aut potentiæ: & quia omnibus formis generabilibus, & corruptibilibus competit eadem potentia, scilicet Materia priuationi subiecta, ideo dicit omnes has formas esse eiusdem generis: & sumitur nũc genus Physicum, non tantùm pro naturis quas naturalis considerat, sed etiam Metaphysicus, vt tantum sit dicere genus Physicum, ac si diceretur genus reale. *Gen' Physicum.*

Sit secundum notandum ex S Thoma p. p. q. 50. art. 2. ad primum, & in tractatu de Ente cap. 6. quod ratio generis, & differentiæ non eodem modo sumitur in substantijs materialibus, & immaterialibus. In naturis etenim materialibus cum determinans sit aliud à determinato, ideo in his ratio generis sumitur à materia, quæ naturam rei determinabilis habet, & ratio differentiæ à forma, quæ determinantis rationem habet; vt super Porphyr. cap. de differentia Disput. 6. per totum diximus. Sed in abstractis, quia sunt Entia simplicia, ideò determinans non est aliud à determinato, sed earũ vnaquęquæ secundum seipsam, determinatum gradum in entibus tenet: ob id Genus, & Differentia in ipsis secundum vnam, & eamdem rem, penes diuersam considerationem nostri intellectus habitam, sumitur. Nam quatenus noster intellectus contemplatur eam rem vt indeterminatè; tunc ratio generis in ea accipitur, sed prout determinatè ipsam spectat, tunc differentiæ ratio in ea accipitur. Exempli causa: vna Intelligentia scilicet Gabriel, dupliciter consideratur. Vnomodo inquantum est quædam quidditus immaterialis, & potentialis respectu esse quod recipit, & ita ab ea sumitur ratio generis, videlicet hoc genus, substantia spiritualis, quod omnibus substãtijs spiritualibus est commune. Altero modo concipitur quatenus habet determinatum gradum spiritualitatis, in quo ab alia intelligentia distinguitur; & ita ab ea sumitur ratio speciei per differentiam constitutæ. Vnde est vna met realitas, à qua duo conceptus sumuntur, generis scilicet

Ratio generis, & differentia nõ sumitur eodem modo in naturis materialib', & immaterialib'.

Genus, & Differentia in abstractis quomodo sumatur.

licet, & differentiæ, ficut vnamet realitas funt Animal, homo, & rationale, à qua tres conceptus videlicet Generis, speciei, & differentiæ fumuntur.

Sit tertium notandum ex eodem S. Tho. in quæst. de spiritualibus creaturis art. 1. ad 24. & in lib. 2. Sent. dist. 3. quæst. 1. art. 5. quod in rebus materialibus funt duo, à quibus ratio generis, & differentiæ fumitur. Vnum à quo proximè, aliud à quo remotè, & originaliter. Proximum est ipsa natura speciei, quæ nata est fundare diuersos conceptus. Nam cum vnaquæque species verbi gratia homo, cötineat duo, illud quod cum alijs est fibi cō cōe, fcilicet natura fenfitiua, per quam cum brutis conuenit; & determinatum gradum, nempè intellectiuam naturam, per quam ab ipsis differt, ideo nata est duos conceptus fundare, & ita ab vna, & eadem re, proximè, & immediatè fumitur ratio generis, & differentiæ. Illud autem à quo remotè, & originaliter, funt materia, & forma; nam quatenus materia est quid imperfectum, potentiale determinabile, atque per formam perfectibile, habet rationem generis: at forma quatenus est quid determinans, & perficiens materiam ad certum, & determinatum gradum perfectionis habet rationem differentiæ. Sed in rebus immaterialibus, eo quod in ipsis non est distinctio. proximi, & remoti fundamenti, generis, & differentiæ quia ibi non est compositio ex pluribus partibus, ob id ab vna, & eadem natura vt conceptibili conceptu determinabili fumitur ratio generis, & vt conceptibili conceptu determinante, fumitur ratio differentiæ, & hoc est quod S. Thomas in libro 2. contra gentiles cap. 95. ait, quod ex ipsa ratione naturæ absolutè, & indeterminatè considerata fumitur genus, ex terminatione verò illius fecundum quod est in tali gradu entis, fumitur ipsius differentia specifica: ex hoc 3. not. inferuntur quædam Correlaria.

In rebus materialibus fumitur ratio generis, & differentiæ a duobus.

1 Primum. Genus, & Differentia tam in rebus materialibus quam in abstractis conueniunt in duobus. In vno, quod Genus in vtrisque dicit naturam determinabilem, & differentia naturam determinantē in altero, quod ea natura à qua proximè fumitur ratio Generis, & differentiæ est vna, & eadem fecundum rem in vtrisque, differens tantùm ratione.

2 Secundum, Genus, & Differentia in rebus materialibus primordialiter, & originaliter fumuntur à diuersis partibus speciei, fcilicet à materia, & à forma, at in abstractis ab vnamet natura, diuerfimode cō ceptibili, & significabili fumuntur.

3 Tertium, de natura generis, & differentiæ fimpliciter, & fecundum ea quæ per fe fibi conueniunt, exigitur tantùm,

&

& sufficit, quod Differentia explicet certum, & determinatum gradum entis, non extraneæ naturæ, à generis natura, cuius est formaliter diuisiua; quia cum adueniens generi, constituat speciem, debet eam ponere in determinatò gradu Entis, in illo scilicet quem explicat. Genus autem certam naturam significare oportet, vt transcendentia excludatur, & determinabilē formaliter, vt specialissima segregentur. Sed quod Genus, & Differentia à materia, & forma sumantur, accidit eis, quatenus contigit substantijs materialibus eadem applicari; vnde huic generi quod est Animal, quatenus genus, accidit quod à materia sumatur. Similiter accidit differentię, verbi gratia, Rationali, quod à forma sumatur, ex eo quod natura sensitiua per rationalitatem determinabilis sit in re materiali. Vnde si natura sensitiua esset determinabilis per rationale, & nō ratione materiæ, non minus Animal esset genus: similiter rationale non minus esset differentia si perfectio ratiocinatiua determina rei naturam sēsitiuam, absque eo quod Anima informaret corpus. Ex quo apertè fit manifestum, quod in acceptione generis, & Differētiæ in substantijs abstractis saluatur id quod est per se, videlicet, Genus significare certam naturam formaliter determinabilem, & Differentiam explicare Determinatam perfectionem formaliter constitutiuam

Genus significat certā naturam determinabilem per differentiam.

illius in certo gradu entis: & quamuis non saluetur illud quod est per accidens, scilicet genus sumi à materia, & differentiam à forma. Consule Caietanum in tractatu de Ente cap. sexto.

Sit quartum notādum principale ex S. Th. ibid. quod Differentiæ essentiales tam rerum materialiū, q̄ immaterialium, sunt nobis ignotæ. Verumtamen inter eas hoc interest; quod eæ quæ sunt rerum materialium differentiæ, significantur per propria accidētia; quæ ex naturæ essentia originantur, quemadmodum causa per suum proprium effectū signatur. Sed quia accidentia propria substantiarum immaterialium à nobis non cognoscuntur, hinc fit quod earum differentiæ, neque per essentialia, neque per accidentalia nobis significantur; quapropter ipsarum differentiæ, quo ad quid sint, penitus ignotæ remanent.

Differentiæ sunt nobis ignotæ.

Sit Quintum notandum Cū iam sit dictum, Genus in substantijs intellectualibus sumi ex ipsa intellectuali natura indeterminatè considerata, differentia autem ex determinatione ad talem gradum entiū; ideo remanet inquirendum, ad quid hæc determinatio accipienda sit. Pro cuius rei clariori intelligentia, notandæ sunt aliquæ propositiones de substantijs materialibus, ex quibus eadem ratio in naturis immaterialibus deducetur.

Prima, Omne indiuiduum di-

distinctum realiter à suo esse, habet plura prædicata quidditatiua, quorum successu magis, ac magis ad suum esse appropinquat.

Indiuiduum habet plura prædicata quidditatiua inter se ordinata.

Secũda. Inter prædicta quidditatiua prædicata, talis ordo reperitur, quod vnumquodque tanto est actualius, quanto ad esse appropinquat, & tanto est potentialius, quanto ab esse remouetur, verbi gratia, Socrates distinctus realiter à suo esse essentiæ, habet plura prædicata quidditatiua, scilicet, substantiam, corpus, viuum, animal, homo, tunc clarum est, quod Socrates quatenus substantia elongatur valdè à sua existentia: adhuc enim quod Socrates sit, exigitur non solum quod sit substantia, sed etiam quod sit corpus: cum accipitur in quantũ corpus, tunc vicinior erit ad existentiam habendam, licet adhuc ab ea satis elongetur. Vlterius cum ad illius existentiam non sufficiat quod sit substantia corporea, requiritur quod sit etiam viuens, qui vt sic, ad ipsum esse magis appropriat: sed neque hoc sufficit, eo quod vlterius requiritur, quod sit animal, & cum inspicitur in quantum animal, tunc proximior ad existentiam inuenitur: at non satis est, quod sit substantia animata sensitiua, exigitur vlterius, quod sit rationalis; nam sub genere nihil ponitur, quod sub aliqua specie non contineatur: cum autem considerátur vt substantia, animata, sensitiua, rationalis, tunc esse actualis existentiæ suscipere potest, quoniam nihil aliud formale intrinsecum requiritur ad hoc, quod sit, licet requirantur causæ extrinsecæ, & proprietas indiuidualis, vt conditio existentis. Manifestum est igitur prædicta prædicata, ita se habere, quod id quod propinquius se habet ad existentiam, comparatum ad remotius, se habet vt actuale ad potentiale, sicut homo ad animal, animal ad viuum, viuum ad corpus, corpus ad substantiam: & ex consequenti illud quod ipsi esse est proximius, est actualius, & illud quod ab ipso esse est remotius, est potentialius.

Positum sub genere continetur necessario sub aliqua specie illius generis.

Genus sumitur à potentia, differentia ab actu in materialib.

Tertia propositio, Genus in rebus materialibus sumitur ab eo, quod est potentiale, Differentia ab eo, quod est actuale. Hinc conficitur regula generalissima, quod Genus, & Differentia in omnibus sumuntur á tota essentia rei secundum elongationem, & propinquitatem ad ipsum esse existentiæ: Differentia enim est, quæ dat vltimum cõplementum, & quæ ad esse conducit: sed Genus est determinabile, & dicitur propinquius, vel remotius, secundum quod per plures, vel pauciores differentias appropinquat ipsi esse existentiæ.

Natura substãtiarum abstractarũ cõcipitur

Ex his dictis nunc ad immateriales substantias deueniendo, dicimus, quod cum illarum natura, duobus con-

Q ceptibus

duob' modis. ceptibus concipi possit, videlicet, vt potentialis, & determinabilis ad esse, & vt taliter determinata, & propinqua ad esse: atque ex primo sumatur genus, & ex secundo Differentia: hinc fit vt gradus specificus in ipsis sumatur secundum maiorem, & minorem propinquitatem ad esse. Etenim quanto aliqua natura intellectualis, plus à potentialitate recedit, & ad esse atque ad actum appropinquat, tanto nobilioris, & superioris gradus est, vtpotè propinquior perfectissimo Enti qui est Deus per maiorem participationem diuini esse: at quanto magis ab ipso esse, & actualitate distat, tanto imperfectioris gradus est, vt potè magis elongatā à primo actu, & de diuino esse minus participans. Sed quēadmodū Sanctus Thomas scribit in tractatu de natura generis, nos nequimus hos gradus cognoscere, sed illi tantum eos cognoscunt, qui suam propinquitatem ad Deum, & à rebus compositis elongationem speculantur. Consulantur de his Caietanus in tractatu de Ente, capite 6. Franciscus Ferrariensis in libro secundo, contra gentes super caput 95. & Dominicus Flandrensis in libro tertio Metaphys. quæst. 9. articulo primo ad tertium.

Res posita in Prædicamento diffinitur Sit septimum notandum ex Auicenna in sua Metaphysic. quod nulla natura in Prædicamento reponitur, cuius esse ab essentia non distinguatur: cuius asserti duplicem rationem assignat. *tur esse ab essentia.*

Priorem, ex eo quod illud cuius quidditas est suum esse, est ipsum esse subsistens: nam si quidditas lapidis esset esse lapidis, tunc ipsum esse in nullo reciperetur, & ita ad nullum gradum Entitatis determinaretur: sicut calor separatus si daretur, tunc non esset determinatus ad aliquem gradum caloris, sed in summo gradu esset, illud verò, quod in Prædicamentis ponitur, ad aliquem gradum Entis determinatur: verbi gratia, homo ad genus Substantiæ, linea ad genus Quantitatis, albedo ad genus Qualitatis determinatur: rursus ex eo fit manifestum, quod omne contentum in aliquo genere, necessario sub aliqua specie illius generis continetur; & per consequens habet differentiam contrahentem ipsum genus ad aliquem gradum entitatis.

Præterea, quæ in genere continentur, habent diffinitionem, quæ ex genere, & differentia conficitur, sicut Aristoteles in libro septimo Metaphys. docet: ergo habent duas entitates, vel reales, vt in rebus materialibus, vel conceptibiles, vt in immaterialibus, scilicet genus, quod rationem potentialitatis habet, & differentiam, quæ rationem actus continet, vt dictum est.

Sit septimum Notandum, quod

Genus, vt sic abstrahit ab omnibus suis differentijs.

quod quemadmodum Genus subalternum, vt puta animal, quatenus genus abstrahit ab omnibus suis differentijs diuisiuis: vnde illa communis natura de se, neque est rationalis, neque irrationalis; sed quatenus est idem cum homine, vel cum equo, tunc est rationalis, vel irrationalis, sicut super Porphyrium sæpè diximus; ita generalissimum genus, vtputa substantia, secundum se, neque est corporea, neque incorporea; quo pacto etiam natura communis corruptibili, & incorruptibili, neque corruptibilis est ex sua ratione, neque incorruptibilis, neque simplex, neque composita; sed quatenus est idem re ipsa cum suis speciebus, tunc est corporea, vel incorporea: corruptibilis, vel incorruptibilis: simplex vel composita: homo etenim est substantia corporea, siue composita corruptibilis: Angelus est substantia incorporea incorruptibilis; Cælum substantia corporea incorruptibilis; & hoc idē quod de substantia dicitur, etiam de cæteris generalissimis intelligatur; nam Qualitas genus summum, vt est idem re cū qualitatibus non habentibus partes integrantes, veluti cum intellectu, & voluntate, non componitur ex partibus integrantibus: vt est idem cum huiusmodi partes habentibus, vt puta cum candore, & figura, tunc est qualitas composita. Quantitas item, vt est idem cum linea, constat ex partibus permanentibus; vt idem cum tempore, ex successiuis partibus componitur; tamen etsi neque qualitas in sua ratione includit simplicitatem aut compositionem; neque quantitas permanentiam, aut successionem: & sic de reliquis generalissimis intelligatur.

SECTIO

Tertia.

Substantias abstractas ad ordinem Prædicamentorum per se pertinere, tanquam verius ac probabilius assertum ponitur.

VErior, & probabilior sententia, cum Grecorum tùm Latinorum est, Substantias abstractas ad ordinem Prædicamentorum substantiæ per se spectare. Quam quidem opinionem inter Græcos habet Porphyrius ad caput de Specie; Alexander, vt refert Simplicius in expositione Prædicamenti Substantiæ; Simplicius ad calcem Antepradicamentorum; & ad initium Prædicamenti Substantiæ, soluens argumentum Plotini aduersus Aristotelem, quod in primo tractatu de generibus entis confecerat, Themistius in initio libri 3.

Physicorum. Inter Latinos autem S. Thomas p. p. quæst. 5. art. 2. ad primum. In tractatu de Ente capite 6. in quæst. de spiritualibus creaturis artic. 1. ad 24. in libro 2. Contra gent. cap. 95. in lib. 2. Sent. distinct. 3. quæst. 1. art. 5. Dominicus Flandrensis in libro 3. Metaph. quæst. nona artic. 1. ad tertium Paulus Soncinas in libro 12. Metaph. quæst. 47. Paulus Venetus in capite de Substantia. Sotus ibidem quæst. 1. art. 2. Toletus quæst. 2. Burleus in eodem capite, ac tandem Petrus Fonseca in libro 5. cap. 8. Metaph. quæstione quarta per totum.

CONCLVSIO

Prima.

Sit igitur prima Conclusio. Substantiæ abstractæ ad ordinem Prædicamenti Substantiæ per se pertinent. Probatur.

1 Authoritate Porphyrij, qui in Isagoge ad caput de Specie diuidit substantiam, in substantiam corpoream, & incorpoream, ergo quemadmodum substantia corporea constituit vnum genus sub genere substantiæ, ita substantia incorporea, aliud genus sub eodem genere substantiæ constituet.

Contra Auerroë. Nec vera est solutio, quam eo in loco Auerroes affert, videlicet, quod Porphyrius assignat substantiam, pro genere generalissimo, non quod res ita se habeat, sed tantùm per modum exempli. Vel vt alij inquiunt, Porphyrius loquitur secundum opinionem Platonicorum ponentium continuum componi ex non quantis: ob id substantiam corpoream vocat substantiam tribus dimensionibus dimensionatam; incorpoream autem substantiam punctualem, lineam, & superficialem: quæ quamuis ex materia, & forma conficiatur, tamen partibus tribus dimensionibus extensis caret. Hæc solutio est nulla, eo quòd Porphyrius ad initium sui operis testatur se doctrinam Aristotelicam se sequuturum: vt constat Aristotelem in libro sexto Physicorum probasse continuum non posse componi ex non quantis: & Plato, id attestante Aristotele in libro septimo Metaphysic. posuit genera, & species Prædicamenti Substantiæ esse quasdam substantias simplices abstractas à materia: Porphyrius autem ponit aliqua genera, & species Prædicamenti substantiæ componi ex materia, & forma.

2 Præterea Aristoteles in libro 12. Metaph. textu 5. diuidit Ens in substantiam, & in alia nouem Prædicamenta: deinde diuidit substantiam in sensibilem, & in insensibilem; post habitam cōsiderationem

de

de substantia sensibili, probat esse substantiam insensibilem abstractam, & immobilem; quærens postea an hæc sit vna vel plures, & determinat quod plures: vnde apparet aliquas substantias abstractas in genere contineri.

Entitas finita sub aliquo genere cōtinetur.

3 Præterea, Omnis Entitas finita vel limitata est in aliquo genere; sed intelligentiæ sunt Entitates finitæ, & limitatæ, ergo sunt in aliquo genere: Maior propositio ex dictis liquidò apparet, nam si habet esse limitatum, necessum est quod ad aliquod genus sit definitū; quod .n. ad nullum genus definitur, & per se subsistit, vnde aut quomodo limitatum esse habet? Minor est manifesta, quia solus Deus est ens infinitum, & illimitatum.

4 Præterea, Omne illud cuius esse distinguitur ab essentia, reperitur in Prædicamento: sed esse intelligentiarum distinguitur ab earum essentia, ergo intelligentiæ reperiūtur in Prædicamento; Maior ex dictis patet; Minor ex eo probatur, quod esse intelligentiarum est receptum in ipsarū essentia. Igitur: & has rationes sufficere credimus.

CONCLVSIO II.

Sit secunda Conclusio. Intelligentiæ componūtur ex genere, & differētia, probatur his rationibus.

1 Quandocunque aliquod genus æqualiter diuiditur in aliqua duo, si vnum diuisorū est compositum ex genere, & differentia, & alterum: sed genus generalissimum substātiæ, prima sui diuisione diuiditur immediatè, & æqualiter in substantiam corpoream, & incorpoream: ergo cum substantiæ corporeæ, puta homo, equus, & cæterea huiusmodi, sint cōpositæ ex genere, & differentia; ergo, & intelligentiæ quæ sunt substantiæ incorporeæ, componūtur ex genere, & differentia.

Natura finita conceptibilis conceptu confuso, & determinato, componitur ex genere, & differentia.

2 Præterea, Omnis natura finita, & limitata, quæ est conceptibilis conceptu confuso, & determinato, componitur ex genere, & differētia: sed Intelligentiæ sunt naturæ conceptibiles duobus conceptibus, videlicet vno confuso, & altero determinato; ergo Intelligentiæ componuntur ex genere, & differentia. Maior fit nota ex his quæ dicta sunt. Minor sic probatur. Si intelligentia aliqua concipiatur vt substantia, tunc magis confusè concipitur, quàm sicut spiritus concipiatur: & ab hoc communi conceptu sumitur ratio generis: concipitur postea conceptu contrahente, & determinante illum conceptū communem, & constituente speciem in esse determinato, & ab hoc sumitur ratio differentiæ.

3 Præterea, Genus generalissimum substantiæ, prædicatur essentialiter, & intrinsecè de intelligentijs: ergo, & differentia prædicatur essentialiter de eisdem Antecedens pro

batur ex eo quod quælibet intelligentia est substantia. Consequentia manifestatur sic, vnaquæque intelligentia ex sui natura distinguitur ab omnibus alijs, eiusdem generis, ergo per aliquam essētialem differentiam distinguitur; & ita ex genere, & differentia constituitur.

CONCLVSIO III.

Sit tertia Conclusio. Substantiæ abstractæ distinguūtur genere Physico à substantijs corruptibilibus. Probatur.

1 Ea sunt diuersorum generum, quorum potentiæ non reducuntur ad vnum aliquem modum potētialitatis: sed substantiæ corruptibiles reducuntur ad vnam potentiam, quæ nullo modo est actus, & semper coniungitur priuationi alicuius formæ, quam apta nata est recipere: substantiæ verò abstractæ habent vnum modum potentialitatis, scilicet esse quidditatem subsistentem, & simplicem potentialem respectu esse; ergo omnes substantiæ abstractæ sunt diuersi generis à substantijs corruptibilibus. Maior propositio probatur, quia sicut à potentiali sumitur genus, ità à diuersis potentialibus oportet sumere diuersa genera. Minor ex supra dictis patet. Ex quâ Conclusione sequitur quod hæc sint duo prima genera substantiarum, quibus in genere substantiæ non datur aliud superius genus: cum sit nulla potentia, ad quam hi duo modi potentiarum enumerati reducantur.

SECTIO
Quarta.

Aduersus singulas Conclusiones dubitatur.

1 Arguitur primò contra illud quod dictum est, videlicet differentias in intelligentijs sumi à diuersis gradibus perfectionis, quibus vnâ est primo actui, altera propinquior. Quæcumque differunt secundum actum magis, & minus perfectum, differunt solū accidentalibus differentijs: sed dictum est quod intelligentiæ differunt secundum actum magis, & minus perfectum; ergo intelligentiæ differunt tantùm accidentalibus differentijs; tunc vlterius, differentiæ accidentales non diuidunt genus; neque speciem constituunt, quemadmodum Porphyrius in capite de Differentia docet; igitur intelligentiæ non distinguuntur per actum, magis, & minus perfectum. Maior probatur ex hoc, quod magis, & minus non variant speciem; vnde albedo magis, & minus perfecta, est vnius speciei. *Magis & minus nō variant speciem.*

2 Præterea dictum est substantiam incorpoream constituere vnum genus omnium intelligentiarum, eo quod sub eo continentur.

Con-

Contra, vbi sunt verum genus, & veræ species, ibi reperitur artificialis diuisio illius generis per duas differentias; quarum vna sit positiua, & altera priuatiua, verbi gratia diuiditur per corporeum, & incorporeum; Animal per rationale, & irrationale: ergo si incorporeum est vnum genus commune omnibus intelligentijs; tunc genus incorporeum diuidetur per has duas differentias: vnde necessarium erit aliquibus intelligentijs assignare vnam solam differentiam, sicut homini vna sola datur; & aliquibus dabitur alia differentia communis, scilicet priuatiua; quemadmodum omniũ brutorum datur vna differentia communis priuatiua, videlicet irrationalis.

3 Præterea arguitur, quod intelligentiæ non componantur ex genere, & differentia. Differentia prædicatur in quale de illa specie cuius est differentia, sic Porphyrius in capite de Differẽtia, & Aristoteles in libro 5 Metaph docent. Sed illud quod totam rei naturam dicit, prædicatur in quid, & non in quale, ergo differentia in intelligentijs non dicit totum quidquid dicit species, sed partem: quod in simplicibus esse nequit, ergo in ipsis non est dare differentiam.

4 Præterea, Quando conceptus sunt eiusdem rei simpliciter, & æque determinati sub indeterminato conceptu generis; qua ratione vnus eorum esset conceptus speciei, eadem ratione, & alius; sed in simplicibus conceptus speciei, & differentiæ constituentis speciẽ, (si qua esset) essent eiusdem rei omnino, nec differrent, vt totum, & pars, essent etiam æquè determinati: ergo qua ratione vnus esset cõceptus speciei, eadem ratione, & alius; & ita differentia iam non esset differentia, sed species, quare &c.

5 Præterea, in compositis aliud est, quod differt, & quo differt; quod constituitur, & quo constituitur: sed simplicia se ipsis constituuntur, & se ipsis differunt: Igitur cum differentia sit, qua species sub genere constituitur, & ab alia specie distinguitur, patet qđ differentia in compositis, & non in simplicibus habet locum.

6 Præterea, Si intelligentiæ in aliquo genere conueniunt, ergo in aliquo vniuoco conueniunt; sed intelligentiæ in nullo vniuoco conueniunt: ergo neque in aliquo genere.

Prima propositio fit ex eo nota, quod Genus est vniuocũ his quorum est genus. Minor probatur: si intelligentiæ in aliquo vniuoco conuenirent, ergo quia ab inuicem distinguuntur, tunc per aliquod additum distinguerentur, quod est falsum, eo quod simplicia se totis distinguuntur.

7 Præterea, Genus intelligentiarum si datur, oportet quod sit incorporeum aut immateriale: sed in ratione incorporei, & immaterialis conuenit

anima, & accidentia saltem spiritualia, ergo non datur vnum genus quod sit proprium intelligentijs.

8 Contra tertiam Conclusionem arguitur quod substantiæ materiales, & immateriales non distinguantur genere Physico. Genus sumitur a potentia, & ab indeterminatione vt dictum est, sed omnium substantiarum tam materialium, quàm immaterialium est eadẽ potentia, & indeterminatio respectu differentiæ determinantis, ergo earumdem est vnum, & idem genus Physicum. Maior ex dictis est nota. Minor hoc modo probatur. Potentia à qua Genus sumitur in vtrisque est receptiua actus determinantis, & non minus vna quàm altera; ergo non distinguitur, & ita idem genus.

SECTIO Quinta.

Dubitationes præfata soluuntur.

AD primum solutio ex D. Thoma in tractatu de ente capite 6. colligitur: videlicet, Perfectius, & minus perfectum duobus modis attenduntur, vel penes modum habendi aliquam vnam formam simpliciter; vel penes ipsas formas habitas magis, & minus: primo modo non variant speciem; nam gradus perfectionis in recipiendo eamdem formam non diuersificat speciem, sicut albius, & minus album in participando eiusdem speciei albedinem; Sed secundo modo speciem variat: nam ea quę diuersos gradus perfectionis non eiusdem formæ sed diuersarum formarum suscipiunt, specificè distinguuntur, vt notum est de homine, & boue; modò quia intelligentiæ recipiunt diuersas formas in diuersis gradibus perfectionis in ipsis formis participatis, ob id specie distinguuntur; vt in exemplo de prædicatis quidditatiuis dictum est.

Magis & minus perfectũ quãdo variẽt speciem.

Ad secundum negatur Maior, quæ vniuersaliter est impossibilis, sicut S. Thomas in tractatu de Ente, capite 6. ad mentem Aristotelis in libro 2. de Animalibus colligit. Cuius negationis multiplex ratio assignatur: Vna quia Differentiæ priuatiuæ, neque verè diuidunt genus, neque verè constituunt speciem, sed vocabulorum penuria cogit nos, priuatiuis differentijs vti, de qua re nos super Porphyrium capite de differentia, Disput. 4. diximus. Altera, quia quando aliquod genus continet plures, quam duas species immediatè, non potest diuidi duabus veris differentijs, idest positiuis, non extraneis inter se contrarijs, & conuertibilibus cum his quorum sunt differentiæ, sed si sit diuidendum, differentijs eius potestatem euacuantibus, oportet quod diuidatur pluribus duabus.

Cap. 3.

Differentia priuatiuè nec diuidunt gen⁹, nec speciẽ verè constituunt.

Tertio,

Intelligẽtia carẽt genere subalterno.

Tertio, intelligentiæ carent genere subalterno, vt S. Thomas in tractatu de natura generis testatur; eo quod earum perfectio ex pluribus coniunctionibus differentiarum non consurgit, sicut perfectio specierum in his inferioribus, quibus genus commune non sufficit, & differentia, sed omnes cõtinentur immediatè sub natura incorporea; & ita genus earum, si per veras differentias debet ad illas descendere, oportet multimembrem fieri diuisionem, nobis tamen ignotam; quod si bimembri diuisione contraheretur, tunc altera earum esset priuatiua, & non vera; neque vnam priuatiuam loco plurium in ipsis assignare possumus, quemadmodum irrationale in diuisione animalis, loco plurium differentiarum assignatur, ex eo quod vltimæ differentiæ ignorantur. Consule nostram Disputationem assignatam per totum.

Ad tertium negatur Minor: natura enim intelligentiarum quatenus consideratur conceptu determinabili, tunc vt sic, sumitur in ea ratio generis, sed quatenus consideratur cõceptu determinato, tunc in ea sumitur ratio differentiæ, quæ de ipsis prædicatur in quale, sicut ipsi differentiæ prædicari conuenis.

Ad quartum respondetur, quod conceptus eiusdem rei simpliciter, qua ratione vnus eorum esset conceptus speciei, eadem ratione & alius: hæc propositio est vera, si conceptus significarent eamdem rẽ sub eadem ratione: at si sub diuersa, nihil prohibet. Modo hi conceptus significant eamdem rem; sed vnus eorum sub determinabili modo, & alter sub determinato; quare sub ratione generis, & sub ratione speciei: siue differentiæ concipitur, neque vna harum ratio num includit alteram, sed potius excludit.

Simplicia seipsis cõstituũtur quomodo intelligatur.

Ad quintum dicitur, quod simplicia se ipsis cõstituuntur, & se ipsis differunt: hæc propositio est vera de cõstitutione, & distinctione Physica, non autem Metaphysica: igitur cũ intelligentiæ componantur ex genere, & differentia, conueniunt in genere, & constituuntur in specie atque ab inuicẽ distinguuntur per differentias nobis tamen ignotas.

Ad sextum negatur Minor, ad cuius probationem respondetur, quod distinguuntur ab inuicem per differentias, quæ Metaphysicam compositionẽ conficiunt vt dictum est

Ad septimum conceditur, quod Genus omnium intelligentiarum sit substantia incorporea, sed completa, & perfecta: vnde ad argumentum negatur Minor. Anima etenim si sit substantia incorporea, non tamen est completa in specie, sed est pars speciei. Et Accidentia quamuis multa sint spiritualia, in alio genere ponuntur.

Anima nõ est species: sed pars speciei.

Ad octauum negatur Minor, scilicet, quod substantiarum ma-

materialiũ, & immaterialium sit eadem potentia receptiua; quia priorum potentia receptiua est cum aliqua priuatione, non autem posteriorum, vt in Cõclusione dicebatur. Quę dicta sufficiant.

SECTIO Sexta.

Argumenta prioris opinionis negantis substantias abstractas spectare per se ad ordinem Prædicamenti substantiæ soluuntur.

AD primum respondetur communiter, intẽtionem Aristotelis esse hãc, videlicet, quod Intelligentiæ sunt actus puri, & simplices respectu cõpopositionis Physicæ, quia sũt formæ ab omni materia separatæ, compositionem tamen Metaphysicam, ex genere, & differentia confectam excludere non intendit: quæ compositio sufficit ad hoc quod aliqua sub genere collocentur.

Ad obiectionem respondetur dupliciter; Primò non conuenire per se generi, & differentiæ quod à materia, & forma sumantur, sed eis accidit vt dictum est.

Secundò respondetur quod Genus, & Differentia sumuntur à materia, & forma in cõpositis; vel ab aliquo habente vicem materiæ, & formæ, vt esse indeterminatum, & determinans in intelligentijs, vt ibidem dicebatur.

Ad secũdum negatur, quod intelligentiæ non distinguantur per actum, & potentiam; eo quod vt dictum est, in ipsis est quid potentiale, & actuale; & cum dicitur, æterna carent potentia, verum est de potentia Physica, non autem de potentia Metaphysica; qualis est potentia generis determinabilis per actum differentiæ. *Aeterna carent potentia, Physica non Metaphysica*

Ad tertium dicitur intentionem Aristotelis eo in loco nõ esse inuestigare principia Intelligentiarum; sed prius agere de principijs substantiæ sensibilis, eo quod appareat nobis maximè substantia, sicut in libro 2. de anima dicitur, vt inde ex ea perueniat ad inuestigationẽ substantiarum immaterialium, in quibus si materia, & forma Physicè non reperiantur; compositio tamen Metaphysica in eis est, quæ sufficit ad hoc quod sub genere constituantur.

Ad quartum distinguitur, quod substantia quæ tanquam Genus assignatur, consideratur duobus modis, vno modo absolutè, & quatenus ab omnibus speciebus abstrahit, & ita neque est corporea neque incorporea, neque corruptibilis, neque incorruptibilis, neque simplex neque composita, sicut Animal de se neque est rationale neque irrationale. Altero modo consideratur prout reipsa est idem cum suis speciebus, & ita cum substantijs *Substãtia vt genus abstrahit ab omnibus differentijs.*

tijs corporeis est corporea, cum incorporeis incorporea, cum incorruptibilibus, & simplicibus, incorruptibilis, & simplex, cum corruptibilibus, & compositis corruptibilis, & composita, & sic cum singulis proprias conditiones induit.

Ad quintũ negatur Minor, quia cum ratio substantiæ sit per se subsistere, & in subiecto non esse; hoc totum est omnibus substantijs commune; quod autem substantia dicat compositionem ex materia, & forma; & ab illis adimat omnem compositionem hoc ei accidit quatenus substantia est vna res cum suis speciebus.

Ad sextum negatur Minor, nam substantiæ materiales, & immateriales positæ sub genere substãtiæ distinguuntur per differentias corporeum, & incorporeum, nam hoc modo ipsam substantiam summum genus Porphyrius diuidit; Incorporeum namque assignatur loco intellectualis, quæ constituit vnum genus contra corpus distinctum.

Ad septimum, respondetur; quod etsi in Intelligentijs sit vnamet realitas, à qua ratio generis, & differentiæ sumitur; verumtamen eademmet realitas est apta nata fundare duos cõceptus videlicet naturæ determinabilis, & naturæ determinantis. Genus, igitur & differentia in eadem Intelligentia quamuis sint vnamet res, tamen ratione distinguuntur, quatenus alius est conceptus differentiæ. Homo .n. Animal, & rationale, sunt tres conceptus, sicut tria Prædicabilia, & tamen non sunt nisi vna realitas, & ita vnamet realitas diuersimodè cõcepta potest esse causa conuenientiæ, & disconuenientiæ, vt dictum est.

Vna realitas pluribus modis concipitur.

Ad octauũ dr̃, qđ corruptibile, & incorruptibile differunt genere Physico, nẽpè vt ea q̃ in materia non cõueniunt, differant genere Physico: at Logicè loquendo nihil prohibet, vt quæ non conueniunt in materia naturali, tamen conueniant in genere Logico, quatenus conueniunt in vna communi ratione, vel substantiæ, vel qualitatis, vel alterius huiusmodi: Consule de hac propositione S. Thomam in libro 10. Metaphysicæ: Toletum in capite de substantia quæst. 2. ad quintum. Petrum Fonsecam in libro 5. Metaph. quæst. 4. sect. 2. & nostram Disputationem 2. super Porphyrium de Vniuersalibus in genere, Dilucid. 2. Cuius determinationis oppositum sentiunt Ioannes Gandauensis in libro decimo Metaphysicæ, quæst. 22. & Marcus Zimara in Theoremate 62. sicut ibi dicimus.

Corruptibile, & incorruptibile differunt genere Physico.

Ad nonum cõceditur quod substantię abstractæ habent vnum genus commune, nempè substantiam incorpoream, in quo omnes immediatè conueniunt, ac deinde specificas differentias quibus ab inuicem distinguuntur, & in propria specie constituuntur. Sed necessarium non est, quod si cõueniunt

Substãtiæ abstractæ habent vnum genus commune, & vnam differẽtiam communẽ quæ à sub

stantijs compositis distinguuntur. ueniunt in generalissimo cum substātijs corporalibus, quod aliam differentiam habeant, qua vnaquequæ ipsarum à corporeis rebus distinguatur, & in propria specie constituatur:adhoc .n. sat est, quod per differentiam communem incorporeum distinguatur à corporeis rebus; quemadmodum omnia bruta sub genere Animalis,per communem differentiam videlicet irrationale, ab homine separantur: deinde ipsorum vnū quodque sua specifica differentia nobis tamen ignota à reliquis sub eodē genere distinguitur, & in propria specie constituitur.

Ad decimum respondetur, quod Contraria in eo loco, non sumuntur restrictè,pro ijs solis quæ ad corruptionem disponunt,sicut Intelligebat Aristoteles in libro 1. de Cælo, quando dicit quod sola substantia sensibilis potest suscipere contraria; sed pro his omnibus quæ quocumque modo in eodem subiecto esse simul non possunt: qua quidem ratione dicimus in cælo dari contrarios astrorum situs, vt solis in oriente, & occidente; & in substantijs separatis dantur contrarij affectus,& amoris,& odij: & de tota hac Disputatione dictum sit satis.

DISPVTATIO

Decimaoctaua.

An corpora Cælestia in Prædicamēto Substantiæ contineantur: sitq; Substantia Generalissimum Genus.

SECTIO

Prima.

Auerroes opinatur corpora Cælestia in Prædicamento Substantię non contineri.

AVerroes ad Isagogē Porphyrij in capite de Specie, & clarius ad librum 10. Metaphysicæ Com 26. quem deinde sequuntur Ioannes de Gandauo,in libro 10 Metaph. quæst. 22. & Augustinus Niphus in eodem libro Disputatione nona, & alij Aueroistæ. Arbitratus est,substantiam nō præcisè sumptam esse summū Genus:eo quod omnes substātias abstractas in Prædicamento reponi haud credat: propterea affirmat Porphyriū in libro Prædicabiliū capite de Specie assignare substantiam, non quod res ita se habeat, sed tantum per modum exempli, ac propterea Corpus esse genus generalissimum dicit.

Sed

Sed quia in libro 2. Cæli textu Com. 49. remouet corpus cæleste à Prædicamento Substantiæ, fit conseqnens apud eumdem, non corpus absolutè, sed corpus generabile, vel vt alij dicunt, substantiam generabilem, (quã vnam existimat constare ex materia, & forma) esse summum genus huius Prædicamenti. Quod assertum habet quoq; Aegidius Romanus, vt refert Paulus Venetus in capite de Substantia.

1 Potissimum huius sententiæ fundamentum illud est, quod ex Aristotele in libro 10. Metaphysicæ textu 26. colligitur, scilicet, corruptibile, & incorruptibile differunt genere; & ita se habent quod corruptibile dicit potentiam ad corruptionem; incorruptibile autem priuationem talis potentiæ significat: hinc arguunt sic: si daretur aliqua natura cõmunis, quæ esset genus corruptibilium, & incorruptibilium substantiarum; tunc in ipsa natura communi esset potentia ad corruptionem propter substãtias corruptibiles, & priuatio talis potentię, propter incorruptibiles: sed hoc contradictionem implicat, ergo, & illud.

2 Confirmatur hæc eadem opinio ex vltimo attributo substantiæ Prædicamentalis, quod est posse suscipere contraria, & maximè proprium substantiæ esse dicitur: sed sola substantia corruptibilis potest suscipere contraria, vt Aristoteles docet in libro primo de Cælo textu 20. quo in loco omnem contrarietatem à corpore Cælesti remouet, igitur substantia in communi sumpta non est genus generalissimum.

Hinc Ioannes Gandauensis in præfato loco, negat authoritatem Porphyrij, dicẽs quod quia fuit illius opinionis, & plus credendum est Aristoteli, & Cõmẽtatori quàm Porphyrio: vnde apud ipsum neque substantia corporea est generalissimum; sed hæc prædicantur de corruptibili, & incorruptibili analogicè secundum prius, & posterius; sicut Ens analogicè prædicatur de decẽ generibus: vnde substantia per prius prædicatur de substantia incorruptibili, cum hæc sit principium substantiæ corruptibilis. *Ioannes de Gãdauo.*

SECTIO

Secunda.

Substantiam esse generalissimum Genus, atque Corpora Cælestia sub eo contineri ostenditur.

Quod Auerrois opinio à veritate multum distet, testatur superior Disputatio, in qua cõcluditur omnes Intelligentias, pręter primã quę est Deus benedictus, in Prædicamento contineri; quod de corporibus cælestibus etiam affirmatur: quãpropter substantia erit generalissimum genus *Impugnatur opinio Auerrois.*

nus

nus ad omnes substātias materiales, & immateriales, corruptibiles, & incorruptibiles, quales sunt corpora Cælestia, quæ sunt incorruptibilia. Dicēdum igitur est quod omnes substantiæ (citra primam intelligentiam) quæcumque illę sint incorporales, seu corporales, corruptibiles, vel incorruptibiles, sub genere Prædicamentali Substantiæ continentur: atque ab inuicem genere Physico distinguuntur, vt supra dictum est. Ex quibus iam dictis hoc vnum sequitur, scilicet, quod hæc tria, substantiæ materiales corruptibiles, vt hæc inferiora; substantiæ materiales incorruptibiles vt corpora cælestia, & substantiæ abstractæ, sunt tria prima genera substantiarum, sub genere generalissimo substantiæ contenta: & quemadmodum substantiæ corruptibiles reducebantur ad vnam potentiam, quæ semper coniungitur priuationi alicuius formæ, quam est apta nata recipere; & substantiæ abstractæ habent potentialitatem respectu esse, tamen sine priuatione, ita corpora cælestia reducuntur in vnam potentiam quæ de se nō est actualitas, in quo cū rebus corruptilibus conueniunt, & nunquam priuationi coniunguntur, in quo rebus immaterialibus conformantur; vnde corpora cælestia inter ea duo extrema, medio modo se habent.

Tria prima genera sub genere substantia cōtenta.

Si quis obijciat Boetium affirmare Aristotelem relictis extremis agere de substantia cōposita media, quæ apud ipsum est substantia corruptibilis. Respondet Paulus, quod Boetius per extrema intēdit Deū, & materiam primam; quoniā in tota latitudine entiū, Deus est gradus summus, cū sit actus purissimus, & materia est gradus infimus cum sit pura potentia; Cæteræ autem substantiæ dicuntur mediæ, quia inter ea duo extrema suo modo mediant.

SECTIO Tertia.

Quid Aristoteles intelligat per Substantiam Genus generalissimum.

At quid Aristoteles intelligat per Substantiam Genus: generalissimum omissis nunc multorum Philosophorum sententijs: dicimus esse vnum genus inter secundas substantias, nempè substantiam finitam, & completam in communi sumptam. Hinc Peripatetici Interpretes distinguunt, quod substātia duobus modis capitur, vno modo pro perfecta natura quæ per se subsistit, & subiectū est: & hæc est quæ a Philosopho diuiditur in primam, & secundam, & vt sic nō est generalissimum, sed quid analogum, quoniam secunda non subsistat nisi per primam in qua est. Deinde inter secundas est vna quæ est genus genera-

Aristoteles quid intelligat per genus generalissimum.

neralissimum, quę etiam vocatur substantia, & est quædam natura perfecta, quæ est primum Prædicabile, & principium eorum omnium, quæ in tali linea continentur. Nec ab rè non dicimus naturam compositam, sed perfectam, vt includerentur intelligentiæ, quę non sunt compositæ saltem compositione Physica; & hæc sint breuiter dicta. Argumenta Auerrois iam soluta sunt in superiori Disputatione sect. 4. ad octauum, & decimum.

DISPVTATIO
Decimanona.

An Ens dicatur purè æquiuocè de 10. Generibus.

SECTIO
Prima.

Opinio Rabbi Moysis, & Porphyrij dicentium Ens dici purè æquiuocè de 10. generibus, proponitur.

RAbbi Moyses (referente S.Thoma in quæstionibus de potentia Dei, quæst. 7. art. 7.) Porphyrius in capite de Specie, quorum placitū deinde Aureolus in libro 1. Sent. dist. 2. q. 1. sequitur, sicut apud Capreolum in eadem Distinctione patet, dicunt Ens purè ęquiuocè prædicari de decem generibus: ita vt secundum nomen tantùm de illis dicatur, ratio verò vniuscuiusque ipsorum secundum illud nomen sit diuersa; hæc etenim est æquiuocorum natura, vt Aristoteles in Prædicamentis docet. At quibus medijs ad id asserendum Rabbi Moyses moueatur, non est notum; verumtamen ex ijs rationibus quæ à S.Thoma præfato loco ponuntur, nonnullas colligere licebit.

Aeterno, & temporali nihil est commune nisi nomen.

1 Aristoteles in libro 10. Metaph. textu 26. inquit, quod æterno, & temporali nihil est commune nisi nomen; sed multæ substantiæ sunt æternæ, & multa accidentia temporalia, ergo substantiæ, & accidenti nihil est commune nisi nomē; & ita Ens non prędicatur de illis nisi purè æquiuocè.

2 Præterea, Quando aliquid prædicatur secundum nomen de pluribus, & non secundum aliquam eamdem rationem, prædicatur de illis purè æquiuocè: sed ens prædicatur de substantia, & de accidente secundū nomen, & non secundū aliquam eamdem rationem, ergo Ens prædicatur de substantia, & de accidente purè æquiuocè. Maior ex æquiuocorum diffinitione fit nota: Minor probatur: remoto genere, remouetur ratio significata per nomen,

men, verbi gratia si remoueatur substantia, remouetur ratio animalis; & si remoueatur animal, remouetur ratiò hominis: sed ens quod reperitur in substantia, remouetur ab ente, quod in accidentibus reperitur; ergo, & ratio entis quod reperitur in substantia remouetur à ratione entis quod reperitur in accidentibus. Minor manifestatur ex hoc, quod ratio entis in substantia non datur per additamentum, sicut ea quæ in accidentibus reperitur.

3 Præterea, Vbi nulla est similitudo, ibi nō potest aliquid communiter prædicari nisi æquiuocè: sed inter substātiam, & accidēs nulla est similitudo cum hæc sit rerum differentiū eadem qualitas, ergo substantiæ, & accidenti nihil est commune nisi nomen.

4 Plus differunt substantia, & accidens quæ in nullo genere conueniunt, quàm Canis latrabilis, & Piscis marinus, qui in genere substantiæ conueniunt: sed Canis latrabilis, & Canis marinus purè æquiuocantur in Cane, eo quòd non conueniunt in vna propria ratione Canis, ergo à fortiori substantia, & accidens erunt purè æquiuoca æquiuocata.

5 Præterea, Quod hæc sit Porphyrij opinio, ex illius verbis fit manifestum; dum in tractatu de quinque Vniuersalibus capite de Specie in explanatione arboris inquit, si quis omnia Entia vocet, æquiuocè nuncupabit: & subdit, cum verò decem sint prima, communio secundum nomen est solum, non tamen secundum rationem, quę secundum nomen est. Igitur ens ad mentem Porphyrij prædicatur æquiuocè de decem generibus.

6 Præterea, ad eamdem sententiam Petrus Aureolus his medijs arguit. Si entis ratio sit aliquo modo vna respectu decem generum; ita vt ipsa decem genera non solum Entis nomine, sed etiam in aliqua vna ratione, quequæ illa sit, conuenirent: ergo sequitur qđ decem prima genera non sint seipsis primò diuersa; sed consequens est falsum, ergo, & antecedens: ergo solo entis nomine conueniunt, & ita ens de illis æquiuocè prædicatur. Falsitas primò manifestatur ex cōmuni Philosophorum placito, & colligitur ex Auerroe in lib. 8. Metaph. textu. com. 24. & clarius ex Aristotele in lib. 10. Metaph. tex. 24. quo in loco asserit, Prædicamenta esse seipsis totis distincta, & primò diuersa. Consequentia probatur, ea quæ in aliquo conueniunt præterquam in nomine, & in aliquo differunt, non sunt primò diuersa, sed differentia, sicut Aristoteles in lib. 10. Metaph. textu 24. docet, ergo si decem genera in aliquo vno conueniunt, non erunt seipsis primo diuersa, sed differentia.

7 Præterea, Si entis ratio respectu decem generum, est aliquo modo vna, tunc quæritur,

tur, illa vna ratio aut est respectiua aut absoluta; sed neque est absoluta neque respectiua, ergo respectu decem generum non est aliquo modo vna. Maior quo ad sufficientiam diuisionis fit ex hoc clara, quod absolutum, & respectiuum distinguũtur per affirmationem, & negationem, scilicet per esse ad aliud, & non esse ad aliud, inter quæ nullum mediũ cadit. Minor probatur, Illud quod immediatè diuiditur in oppositas rationes, non habet aliquam earum, sed ab vtraque abstrahit: sed Ens diuiditur in absolutum, & respectiuum quæ sunt opposita immediata, ergo nullam earum habet, sed vtraque abstrahit: nõ .n. potest esse respectiua tantum cum sit communis rebus absolutis: nec item absoluta tantùm, cum sit communis respectiuis, igitur.

8 Præterea, Si ens vendicat sibi rationem aliquo modo vnam, tunc queritur an rationes particularium Entium sint prorsus eedem cum illa, vel aliquid illi addant: primum affirmari non potest, quia sequeretur Entia particularia esse omnino eadem inter se: neque secundum, qui sequeretur Entia particularia, ex parte aliqua non esse essentialiter entia; quod ex hoc manifestatur; quia quidquid additur rationi entis vt ens est, non potest esse essentialiter ens: quemadmodum quidquid additur rationi albi, (verbi gratia qđ moueat gustum) non potest esse essentialiter album: & hæc sunt potissima eorum argumenta, quibus affirmant ens purè æquiuocè de decem generibus prædicari.

SECTIO

Secunda.

Ens non dici purè æquiuocè de decem generibus ostenditur.

SI prædicari æquiuocè, sumatur purè, videlicet quatenus contra prædicari vniuocè vel analogicè distinguitur: ita vt prædicari æquiuocè non sit aliud quam aliquod prædicatum prædicari de pluribus secundum idem nomen tantum, sed rationes ipsorum subiectorum sint secũdum idẽ nomen diuersę; quemadmodũ Canis secundum nomen tantum dicitur de sydere, & latrabili, & de marino cane, sed ratio ipsorum secundum idẽ nomen est diuersa, eo quòd alia sit ratio canis latrabilis, & alia ratio canis marini, vt ex Aristotele in Anteprædicamentis colligitur: tunc vniuersalis est Philosophorum sententia Ens sic de decem generibus non prædicari; quod probare haud multum difficile erit. Prædicari purè æquiuocè quid sit.

1 Primo, authoritate Aristotelis in libro 4. Metaph. capite 2. quo in loco sic scribit, Ens multipliciter quidem dicitur, verum ad vnum: vnamque

que quamdam naturam, & nõ æquiuocè, sed quemadmodũ omne salubre ad sanitatem.

2 Confirmatur authoritate Alexandri, & Auerrois qui super eumdem locum Aristotelis affirmant, ens nec vniuocè, nec æquiuocè, sed analogicè dici, quod est quoddam medium inter æquiuocum, & vniuocum.

3 Præterea, arguitur rationibus. Si ens merè æquiuocè prędicatur de substantia, & de accidente, ergo non esset vna scientia de ente quæ diceretur Metaphysica: probatur consequentia ex eo quod omnia quæ in aliqua scientia considerantur, oportet quod in vna ratione formali obiecti conueniant: igitur cum æquiuoca secundum quod huiusmodi in aliqua ratione formali nõ conueniant; sequitur quod si Ens dicatur purè æquiuocè de substãtia, & accidente, quod substantia, & accidens non sint de consideratione Metaphysicæ, quod est falsum. Hanc rationem innuit Auerroes in lib. 4. Metaph. Com. 2. ad initium, vbi ait. Cum autem declarauit quod vna scientia debet considerare de ente secũdum quod est ens: vult declarare quod hoc nomen, ens, dicitur multis modis, & non æquiuocè sicut canis de cane latrabili, & marino: neque vniuocè vt Animal de homine, & equo: sed sicut est de nominibus quæ dicuntur de rebus attributis eidem, & sunt media inter vniuoca, & æquiuoca. Cui opinioni concordat etiam Albertus in eodem libro tractatu primo cap. 3. cum dicit, ideò non equiuocè dicitur secundum veram æquiuocationem, secundum quam solum nomen est commune, & ratio substãtiæ, & naturæ diuersa est; & ad vnam naturam non dependet ipsa diuersitas.

Ea quæ in aliqua scientia considerãtur cõueniunt in vna ratione formali obiecti.

4 Præterea, In purè æquiuocis, quæ æquiuoca à casu dicuntur, nullus ordo aut respectus vnius ad alterum attenditur: sed Ens quod prædicatur de substantia, & de accidente, prædicatur de vno per respectum ad alterum, & è contra, ergo Ens non dicitur de illis merè æquiuocè. Maior sic probatur, in purè æquiuocis est omnino per accidens quod idem nomen diuersis rebus attribuatur, quia nomen vni rei impositum nõ significat ipsam habere ordinem ad alteram, verbi gratia hoc nomen Canis quod imponitur Cani latrabili, nullum ordinem vel respectum habet ab Canem marinum; sed est prorsus per accidens, quod hic, & ille nominetur Canis. Minor probatur ex eo quod substantia habet ordinem causæ respectu accidentis, vt in libro 7. Metaph. dicitur. Consulatur pro hac ratione S Thomas in libro primo contra gentes cap. 33. & de potentia q. 7. art. 7. ad septimum.

In purè æquiuocis non est ordo.

5 Præterea, Quando vnum dicitur de pluribus secundum puram æquiuocationem, tunc noster intellectus per vnum

eorum

eorum non ducitur in alterius cognitionem: sed ex accidentibus deducitur intellectus in cognitionem substantiæ, ergo Ens non secundum puram æquiuocationem de substantia, & de accidente prædicatur. Minor propositio probatur authoritate Aristotelis in lib. 2. de anima textu 11. vbi scribit, Accidentia magnam partem conferunt ad cognoscendum quodquid est. Maior ex eo fit nota, quod cognitio rerum non ex vocibus, sed ex ratione nominum dependet. Hanc eamdẽ rationẽ habet S. Th. in lib. 1. cõtra gentes c. 33.

Intellectus deducitur ex accidẽtibus in cognitionem substantiæ.

Circa maiorem propositionem huius rationis, in qua dicitur quod vnum æquiuocorum non potest ducere in alterius cognitionem; notat Franciscus Ferrariensis quod huiusmodi purè æquiuoca duobus modis considerantur. Vno modo absolutè, & quia vt sic, cõtingit ea in aliquo alio quam in nomine esse similia, tunc vnum ipsorum in alterius cognitionem ducere potest. Altero modo formaliter, 1. quatenus æquiuoca sunt, & sic alterum eorum in alterius cognitionem non ducit. exempli gratia, si sint duo homines qui casu vocentur Socrates: tunc ex vnius cognitione non potest quis in alterius cognitionem venire, eo quod rerum cognitio ex solis vocibus non dependet. At si hi duo in aliquo alio ab ipso communi nomine conueniant, vel quia cicatricem siue nasi curuitatem, vel aquilinitatem vterque eorum habet, tunc ex nomine vnius, in alterius cognitionem quis facilè deducetur.

Vnum æquiuocorum quõ ducat in cognitionem alterius.

6 Præterea, Si Ens dicitur purè æquiuocè de substantia, & de accidente, ergo nulla argumentatio posset fieri procedendo ab accidente ad substantiam, & à substantia ad accidens: sed cõsequens est falsum ergo, & antecedens. Falsitas manifestatur ex tota Aristotelica doctrina, in qua ex accidente ad substantiam, & è contra sepe arguitur. Antecedens probatur ex hoc quod æquiuocatio nominis, processum argumentationis impedit. Ex S. Tho. ibidem.

Ad intelligendum id quod in antecedentis probatione dicitur, sciendum quod in omni argumentatione, est necessarium extrema in vno medio conuenire atque vniri; hoc autem ex æquiuocatione nominis tollitur. Nam si dicatur, Omnis Canis latrat, Sydus cæleste est canis, ergo Sydus cæleste latrat; notum est extrema non vniri in medio, cũ nomẽ pro medio assumptum, habeat aliam significationem in maiori, & in minori.

Extrema argumẽtationis in vno medio vniũtur.

7 Præterea, Si Ens merè æquiuocè diceretur de substantia, & de accidente, ita vt nullam inter se conuenientiam habeant, ob quam Entis nomine appellentur; ergo nullus conceptus de ipsis Omnibus, quatenus sunt Entia formari potest, quemadmodum de homine gallo, & de gallo aue, qua-

tenus, huic nomini respondēt; quod esse falsum, est perspicuum. Imo neque entibus realibus & rationis nulla commu nis passio conueniret, quatenus entia sunt; quod est falsū, eo quòd his omnibus inest pos se concipi; quod etiam extenditur ad non Entia, vt ad chimeram, & hippocentaurum, quatenus sunt entia ficta: igitur Ens purè æquiuocè non dicitur.

In æquiuocis nō est contradictio

8 Præterea in æquiuocis nulla contradictio reperitur, imo multiplicitas, & æquiuocatio tollit omnem contradictionē: quapropter hæ propositiones nō contradicūt, Canis latrat, Canis non latrat, eo quia respectu diuersorum, ambæ sunt verè: sed esse, & non esse prædicantur sicut contradictoria, vnde hæ cōtradicūt, Socrates est ens, Socrates est nō ens, ergo ens non est commune communitate nominis tantum: & ex his fit manifestum Ens non purè æquiuocè de decem generibus prædicari.

SECTIO Tertia.

Respondetur rationibus contendentium Ens purè æquiuocè de decem generibus prædicari.

AD primū negatur Maior; ad authoritatem ex Aristotele deductam respōdetur, communitatem esse duplicē, vnam, quæ communitas naturæ dicitur, & penès modum essendi attenditur; alteram Logicæ, quæ penès modum concipiendi sumitur. Quando Aristoteles dicit, Eterno, & temporali non esse quid commune nisi nomen, intelligit de cōmunitate naturæ; Etenim quæ diuersum modum essendi habent, non communicant in aliquo secundum esse quod naturalis considerat. Verumtamē in aliqua communi intentione Logica eamet communicare, nihil est quod impediat. Nam corpus cæleste, & elemētare apud Philosophum naturalem non sunt vnius generis, & tamen apud Logicum sunt vnius generis. Aristoteles in illis verbis non intendit vnitatem analogicam, sed vniuocā tantum excludere, ostendendo quod corruptibile, & incorruptibile non conueniunt in genere Physico. Solutio est apud S. Tho. de potentia, q.7. art. 6. ad primum in oppositum.

Commūnitas duplex.

Corpus cæleste, & elemētare sūt vnius generis logici.

Ad secundum negatur Minor, ad cuius probationem respondetur, quod remotio generis ad duo comparari potest, scilicet ad vniuocationē, & ad analogiam: remotio seù diuersitas generis, etsi vniuocationem tollat; tamen analogiam non aufert. Nam Sanum quatenus dicitur de vrina, est in genere signi, & secundum quod dicitur de medicina est in genere causæ: nihilominus Sanum de his duobus dicitur

Diuersitas generis tollit vniuocationē nō analogiam.

secun-

secundum analogiam. Ita Ens de substantia, & de accidente dicitur analogicè, vt suo loco dicetur. Ex S. Tho. ad secundum.

Ad Tertium negatur Minor, ad cuius probationem distinguitur quod similitudo duobus modis capitur; vno modo propriè, quæ est rerum differentium eadem qualitas, & hæc inter substantiam, & accidens non reperitur, sicut argumentum probat: altero modo communiter pro omni conuenientia in aliqua communi ratione:& sic inter substantiam, & accidens est aliqua similitudo videlicet causati ad causã: & hoc est quod S.Thomas vbi supra ad quartum dicit, quod substantiæ, & accidentis non est ea similitudo quæ attenditur secundum formam vnius rationis: sed eam quæ est inter causatum,& causam nihil prohibet.

Similitudo quæ reperitur inter substantiã & accidens, & quæ nõ.

Ad quartum negatur Maior videlicet quod substantia, & Acidens plus differant, quàm Canis latrabilis, & piscis marinus:& ad illius probationem respondetur, quod Canis latrabilis, & Piscis marinus ex vna parte; substantia, & accidens ex altera duobus modis considerantur: vno modo secundum rationem Canis, & sic plus differunt Canis latrabilis,& marinus,quàm substãtia, & accidens, quia illi non conueniunt in ratione canis neque vniuocè neque analogicè,sed substantia,& accidẽs in ratione analogica entis conueniunt. Altero modo considerantur tanquam species Animalis, & sic Canis latrabilis, & Marinus plus conueniunt, quia sub eodem genere Animalis continentur:sed substãtia, & Accidens in nullo genere vniuoco conueniunt,eo quod ipsamet sint genera. Quapropter argumentum non concludit id quod intendit.

Ad quintum ex authoritate Porphyrij. sunt qui dicunt eã non esse huius Philosophi intentionem. Quæ solutio neque Simplicio neque Boetio placet asserentibus hanc esse Porphyrij mentem videlicet Ens purè æquiuocè de decem generibus prædicari.Imo vt in capite de specie,scribit,opinatur ipse quod hæc eadem sit Aristotelis sententia;quem cũ iam citauerit,subdit,& si omnia quis entia vocet, æquiuocè (inquit) nuncupabit, sed non vniuocè.Quamobrem apponens illud verbum, (inquit) quod ad Aristotelem refert, videtur insinuare quod hæc eadem sit Aristotelis mens, & intentio.

Opinio Porphyrij de ente.

Ad sextum negatur Consequentia, ad illius probationẽ respondetur, quod si ea, quæ in vna natura vniuoca conueniunt, (nam de his Aristoteles loquitur) non possunt esse primò diuersa, eo quod in vno aliquo simplici conueniunt,& ex consequenti non differant se totis, sed proprijs,& peculiaribus differentijs. Verumtamen ea quæ,in sola cognatione analogica communicant,

posse esse primò diuersa, non est dubium, cuiusmodi sunt decem prima genera generalissima.

Ad septimum est omnium Thomistarum communis solutio, quod ratio entis sit absoluta; & elicitur ex S Tho. de verit. quæst. 21. art. 1. ad primũ nam cum ens sit illud cui conuenit esse, constat quod in hac descriptione aut ratione nullud respectus implicatur. Vnde ad argumentum formaliter negatur Minor, ad cuius probationem respondetur, quod ratio Entis est duplex, vna confusa, & est illa quæ omnes simplices entitates confusè, & indeterminatè representat, vt si dicatur Ens est id quod est; & hæc cum sit quodammodo abstracta, est absoluta; quia Ens quatenus confusè concipitur, non intelligitur in habitudine ad aliud. Altera est distincta, & est ea, quæ determinatè, & expresè representat entitates; & quia huic correspõdet in re quid respectiuum, ideo huiusmodi est simpliciter absoluta, & simpliciter respectiua: nam ens est commune rebus absolutis rationibus absolutis, & rebus respectiuis rationibus respectiuis. De hac solutione vide Capreolum in libro 1. Sent distinct. 2. quæst. 1. Paulum Soncinatem in lib. 4. Metaph. quæst. 1. ad tertium, & Petrum Fõsecam 4. Metaph. cap. 2. q. 2. sect. 10. ad secundum.

Entis ratio est absoluta.

Entis ratio confusa & distincta

Franciscus Maironus in tractatu de vniuocatione entis, opinatur rationem entis abstrahere ab absoluto, & respectiuo; sed vt in argumento dicitur, quia rationes absoluti, & respectiui videntur omnino immediatæ, ideo præfata solutio, quo ad Logicum negociũ spectat, melior apparet.

Ad octauum dicitur quod ratio entis est duplex, vna confusa, altera distincta: tunc rationes particularium entium, eorum videlicet, in quæ Ens proximè diuiditur, vel comparantur ad rationẽ entis confusam aut distinctam: si cum priori conferantur tunc rationes particularium addunt aliquid enti, quod additum non est aliquis gradus naturæ sed quædam illius expressio, quemadmodum S. Tho. de verit. quæst. 1. art. 1. & quæst. 21. art. 1. non semel scribit; nam quod ratio entis dicit confusè, & implicitè, rationes particularium entium dicunt distinctè, & explicitè ea quæ per ens immediatè significantur. At si cum posteriori conferantur, tunc nihil illi addunt, sed omnes simul sunt ipsa ratio entis, seu potius ipsæ rationes entis, cum ens non habeat vnam rationem simpliciter. De hac solutione consule Capreolum in libro 1. sent. distinct. 2. quæst. 1.

Ratio entis distincta & cõfusa.

DI-

DISPVTATIO Vigesima.

An ens dicatur vniuocè de Decem generibus.

SECTIO Prima.

Ens ad mentem Scoti, & sectatorum dicitur vniuocè de Decem generibus.

SCotus in libro 1. Sent. dist. 3. quæst. 1. & in lib. 3. dist. 8. quæst. 2. & in libro 4. Metaph. quæst. 1. quem deinde suæ doctrinæ sectatores, vt Ochamus, & Gabriel in lib. 1. dist. 2. Gregorius dist. 8. Antonius Andreas in lib. 4. Metaph. quæst. 1. Herueus quolib. 2. quæst. 3. art. 2. & Multi alij sequuntur, & defendunt: putat Ens de decem generibus vniuocè idest secundum idem nomen, & eamdem rationem prædicari; sumendo vniuocè quatenus distinguitur contra prædicari æquiuocè, analogicè, & denominatiuè. At inter cæteros scoti sectatores Antonius Andreas quamdam distinctionem de vniuocatione assignat dicens, triplicem esse vniuocationem, vnam Logicam, alteram Physicam, tertiâ verò Metaphysicam. Vniuocatio Logica est vnitas primæ intentionis, vel alicuius realitatis conceptæ sub intentione secunda; exempli gratia, Vnitas Animalis sub intentione generis, vel vnitas rationalis sub intentione differentiæ concepta, est vniuocatio Logica, eo quod Logicus considerat secundas intentiones primis adiunctas. Ex qua declaratione duo subinfert, vnum, quod transcendens est propriè vniuocũ vniuocatione Logica; quia etsi nulla secunda intentio putà generis vel differentiæ, conueniat alicui trascendenti extra genus existenti, tamen intentio vniuersalitatis quæ est Logica, sibi competit. Alterum est, quod aliquid potest esse vniuocum vniuocatione Logica, & æquiuocum æquiuocatione Physica: Genus etenim est æquiuocum æquiuocatione Physica, & vniuocum vniuocatione logica.

Vniuocatio triplex.

Vniuocatio logica quæ sit.

Vniuocatio Physica, est vnitas naturæ ex natura rei, omni operatione rationis circumscripta; & de qua Aristoteles; tex. 24. in lib. 7. Physicorum intendit, quando dicit, quod in specie specialissima est propria comparatio, & non in genere; quatenus species dicit vnam naturam vniuocam, non autem genus, sed latent æquiuocationes in generibus: Genus enim dicitur æquiuocum æquiuocatione opposita vniuocationi Physicæ, eo qđ vna natura illi non correspondet.

Vniuocatio physica quæ sit.

Vniuocatio Metaphysica est vnitas alicuius primæ intentio-

Vniuocatio metaphysica.

tionis abstrahibilis per intellectum à pluribus ex natura rei, circumscripta quacumque intentione secunda vel Logica: & hoc modo trascendentibus non repugnat vniuocatio: vnde fit quod aliquid sit vniuocum Metaphysicũ, quod non est vniuocum Physicum.

Posita hac distinctione, assignant has Conclusiones; Ens quatenus Ens, licet non sit vniuocum vniuocatione Physica; tamen vniuocatione Logica, & Metaphysica, est vniuocum. Circa quas Conclusiones hoc vnum est animaduertendum, quod si argumẽta, & rationes Scoti, & Discipulorum, probent Ens quatenus Ens vniuocè prædicari de Deo, & de Creaturis, de substantia, & de accidente; nos tamen ea tantũ potiora ponemus, quæ ad præsens negocium faciunt, videlicet Ens quatenus Ens de decem generibus vniuocè prædicari.

1 Primo, Aristoteles in lib. 2. Metaph. textu 4. quo in loco probat causam entitatis, & veritatis esse maximè Ens, & maximè verum, assumit hanc propositionem. Vnumquodque verò ipsum maximè aliorum est, secundum quod alijs vniuocatio inest. Quod est ac si diceret. Vnũquodque quod est causa vt reliqua sint talia, necessarium est vt in seipso sit tale, vt patet de igne, qui cum sit causa caliditatis aliorum, in seipso est calidissimus: Sed ens est causa quod in reliquis entibus sit vniuocatio, ergo ens in seipso est maximè vniuocum.

Cõfirmatur authoritate Auicennæ in libro 1. suæ Metaph. cap. 2. vbi ait quo substantia, & quantitas non habent intentionem communem nisi entis; cuius quædam sunt quasi species, & quædam quasi accidentia propria, & in libro 5. subinfert hæc verba. Omnes quidem imaginant. certitudinem entis, dubitant autem vtrum sit agens vel patiens.

Cõfirmatur hoc totum per Auerroem, qui in lib. 4. Metaph Com 2. inquit quod in ente inueniuntur Prædicamenta essentialia, sicut inueniuntur in genere quod dicitur vniuocè. Ergo ens prædicatur vniuocè de decem generibus.

2 Præterea rationibus arguitur sic. Omnis intellectus de vno conceptu certus, & de alio dubius, habet conceptum de quo est certus, alium à conceptu de quo est dubius. Sed intellectus hominis potest esse certus de aliquo, quod sit ens, & deinde dubius an sit substantia vel accidens: ergo conceptus entis est alius ab hoc, & illo conceptu: & cum neuter illorum sit, sed in vtroque ipsorum includatur, sit vt sit vniuocus. Maior probatur ratione, & exemplo: ratione, quia idem intellectus non potest esse dubius, & certus de eodem conceptu, alioquin sequeretur contradictio, videlicet quod esset certus, & non certus respectu

pectu eiusdem. Exemplo sic: Dum quis conspicit à longe rē moueri, concipit eam esse ens, sed dubitat quod ens sit, substantia vel accidens: quod est signum quod conceptus entis sit distinctus à conceptu substantiæ, & accidentis, & quod illis sit communis Minor probatur huiusce modi exemplo. Omnes Philosophi sunt certi quod lumen est ens, dubitant nihilominus an sit substantia vel accidens: ergo ens dicit vnum conceptum vniuocū substantiæ, & accidenti, & per consequens de illis vniuocè prædicatur.

3 Præterea, Omnis conceptus prædicabilis de pluribus secundum idem nomen, & eamdem rationem est vnus vnitate vniuocationis: nam hęc est vniuocorum descriptio in Antepradicamentis assignata: sed conceptus entis est prædicabilis de decem generibus secundum idem nomen, & eamdem rationem, ergo cōceptus entis de decem generibus vniuocè prędicatur. Minor fit nota ex hoc quod Ens dicitur in quid, & includitur quidditatiuè in entibus inferioribus; & ita secundum idem nomen, & eamdem rationem, vnde, & vniuocè.

4 Præterea, Par ratio esse censetur in accidente, quatenus de omnibus accidentibus prædicatur, atque de ente, prout de omnibus entibus dicitur: imo Maior ratio videtur de ente respectu omnium entium, quam de accidente respectu omnium accidentiū: sed accidens prædicatur vniuocè de nouem generibus accidentium, ergo, & Ens de omnibus entibus vniuocè prædicatur. Maior quo ad vtramque partem probatur; & primo quod de vtroque sit par ratio; nam vtrumque dicitur analogum ab his qui contrariam sententiam tuentur, videlicet ens de entibus, & Accidens de accidētibus: & quod de ente sit maior ratio, ex hoc fit notum, quod ens est prædicatum magis essentiale omnibus entibus, quam quodcumque aliud prædicatum. Minor probatur; Diffinitio accidentis, siue ea quæ à Porphyrio ponitur, scilicet posse adesse, & abesse præter subiecti corruptionem: siue illa quæ in Antepradicamentis assignatur, videlicet, quod est esse semper in subiecto; conuenit æqualiter omni accidenti; ergo accidens secundum idem nomen, & eamdem rationem de omnibus accidentibus prædicatur.

5 Præterea, Si Ens non prædicatur vniuocè de substantia, & de accidente, ergo sequitur quod noster intellectus nequeat per cognitionem accidentis in cognitionē substantiæ deduci: sed consequens est falsum, ergo, & antecens. Falsitas manifestatur ex doctrina Aristotelis affirmantis in libro 2. de anima, accidentia magnam partem conferre ad cognoscendum quod quid est. Sequela probatur sic. Substantia

Accidentia magnā partem conferūt ad cognoscēdum qđ quid est.

tia non immutat immediatè nostrum intellectum ad intellectionem sui pro statu huius vitæ, nisi per speciem accidentis sensibilis: sed nullus conceptus substantiæ potest haberi per immutationem sensibilis accidentis, nisi ille posset abstrahi à conceptu accidentis, & ille sic abstractus est vniuocus, alioquin non esset abstrahibilis: talis autem conceptus maximè videtur conceptus entis, cum nihil sit superius substantia, & accidente, nisi ens, & nullus alius esset quidditatiuus. Maior huius probationis sic manifestatur: Quidquid præsens immediatè immutat intellectum, tunc eiusdem absentia potest naturaliter ab intellectu cognosci, quando non immutatur: vnde in lib. 2. de anima text. 70. dicitur, quod ideo visus est perceptiuus absentiæ luminis idest tenebrarum, quia visus à lumine immediatè immutatur, igitur si intellectus ad actum intellectionis substātiæ ab ipsa substantia immediatè immutatur, sequitur quod si substantia non esset præsens, posset ab intellectu naturaliter cognosci, quod est manifestè falsum. Nullus igitur conceptus quidditatiuus habetur naturaliter de substantia immediatè à substantia causatus, sed tantum ab accidente primo abstractus.

6 Præterea, Illud quod dicit aliquam vnam realitatem, vel prima intentionem conceptam sub aliqua intentione Logica, est vniuocum saltem Logica vniuocatione: sed ens communiter sumptum est huiusmodi, igitur, &c. Maior ex vniuocorū diffinitione liquet. Minor fit euidens, quia si ens communiter sumptum non cōcipiatur sub intentione generis, concipitur tamen sub intentione vniuersalitatis; & ita est vniuocum substantiæ, & accidenti.

7 Præterea, Prima dignitas, siue primum principium complexum non est multiplex, ergo neque Ens est multiplex, ergo est vniuocum. Antecedens probatur: nam si prima dignitas, vel primum principium complexum esset multiplex, tunc esse distinguēdum, quia omnis propositio in significatione multiplex distinguitur: sed primum principium complexum non distinguitur, cum sit notissimum, & firmissimum, vt in lib. 4. Metaph. dicitur, aliter esset incertum; & ita omnis demonstratio esset ex incertis, inquam vel formaliter aut virtualiter ipsum ingreditur. Prior consequentia probatur: primum principium complexum constituitur ex ente, ergo si illud non est multiplex, neque Ens ex quo cōstituitur, erit multiplex. Posterior cōsequētia patet, quia si non sit vniuocum, ergo erit æquiuocum vel analogum; qui termini sunt multiplex. Prima dignitas non est multiplex.

8 Præterea, Nullus terminus æquiuocus vel analogus distribuitur per signum distributiuum pro omnibus sub se contentis: Sed ens distribuitur vni-

ca

cā distributione pro omnibus entibus:ergo non est æquiuocum,neque analogum,ergo vniuocum. Maior probatur, quoniam cum dicitur omnis Canis latrat, tunc per illud signum distributiuum (omnis) non fit distributio pro Cane Cælesti, ex eo quod propositio potest esse vera, quamuis Canis Cælestis non latret: & etiam cum dicitur, omne Sanum currit, distributio non fit pro medicina vel vrina. Minor probatur, quia cum dicitur Omne Ens est, sequitur, ergo substantia est, ergo accidens est.

9 Præterea, Si ens non est vniuocum omnibus entibus,ergo Entia non dicuntur magis, & minus entia: sed hæc dicuntur magis, & minus, ergo ens ad ea omnia est vniuocum.

Res conferuntur adinuicem secundum magis & minus duobus modis.

Maior innotescit ex hoc quod duobus modis licet nobis fingere, res plures conferri inter se secundum magis, & minus. Primo modo secundum vnam, & eamdem rationem omnibus communem, secundo modo secundum earum particulares rationes:at hoc secundo modo comparatio secundum magis, & minus est impossibilis, nam quantitas non minus perfectè est ens per se extensum, quam substantia sit Ens per se existens, quod,& in cæteris id perspicuum est. Igitur nisi ens esset vnius,& eiusdem rationis in omnibus, non dicerentur quædam magis,& quędam minus entia.

10 Præterea, à quibuscumque similibus potest abstrahi aliqua vna natura, in qua fiat eorum inter se, quatenus similia sunt, comparatio, tunc illa natura abstracta est vnius, & eiusdem rationis in omnibus: sed omnia entia, quatenus Entia sunt similia, ergo ab omnibus entibus potest abstrahi natura entis, quæ in omnibus erit vnius, & eiusdem rationis, & ita vniuoca.

SECTIO

Secunda.

Ens nulla vniuocatione prædicari vniuocè de substantia, & Accidente ostenditur.

Cæterorum Philosophorum ferè omnium probatissimum est assertum, ens de decem generibus vniuocè nūquam prædicari. Ad cuius intellectum, sciendum est, quod cum Vniuoca iuxta Aristotelis doctrinam, sint illa quorum nomen est commune, & ratio substantiæ secundum illud nomen est eadem: ex hac diffinitione cognoscitur quod tres conditiones ad vniuocorum naturam requiruntur, quarum prior est, quod vniuocata in vno nomine conueniant: posterior in vna, & eadem ratione, secundum illud nomen: tertia, quod illa vna ratio omnibus vniuocatis æqualiter cōueniat:& hæ ad vniuocum Logicum

Cōditiones tres ad vniuocorū naturam reqsitæ.

gicum requiruntur; in quo, seruato eodem modo prædicandi stat Logica vniuocatio, eo quod Logicus spectet ipsas res, quatenus secundis intentionibus subijciuntur, & quo ad modos prædicandi. Neque abrè in tertia Conditione dicitur, quod illa vna ratio omnibus vniuocatis æqualiter cõueniat, vt excludatur participatio eiusdem rationis priori aut posteriori, perfectiori vel imperfectiori modo. Vnde Animalis nomen, eiusque ratio, quantum est ex se, ab homine, & equo æqualiter participatur. Quod si quis obijciat, homo est perfectius Animal quã Equus: & inter numeros ordo prioris, & posterioris reperitur; nihilominus Animal dicitur vniuocè de homine, & equo; & numeri ratio de omnibus numeris vniuocè prædicatur: ergo illa tertia conditio non est necessaria. Respondetur quod homo, & Equus duobus modis considerantur; vno, sub ratione Animalis, quatenus vterque est substantia animata sensitiua, & sic ratio Animalis vtrique æqualiter conuenit: altero, quatenus inter se comparantur, scilicet prout homo comparatur equo, & ita vnum eorum est altero perfectius, sed huiusmodi comparatio vniuocationẽ non aufert; quod, & de numeris quoque est affirmandum, omnes, etenim quatenus numeri, numerorum participant rationem, licet ad inuicem cõparati ordinem prioris, & posterioris inter se habeant; qui ordo sic spectatus, vniuocationem ipsorum non tollit. His positis, nunc probatur quod Ens nullo modo de decem generibus vniuocè prædicatur.

Homo & equus duobus modis cõsiderantur.

1 Primo, Aristoteles in libro primo Physicorum textu 13. disputans contra Parmenidem, & Melissum asserentes omnia entia esse vnum, supponit vnum principium tamquã omnibus notum, videlicet, Ens multipliciter dicitur, hæc sũt illius verba. Principium autem maximè est omnium propriũ, quoniam multipliciter dicitur quod est. Ex quibus verbis apertè colligitur Ens non esse vniuocum, neque posse vniuocè prædicari.

Ens multipliciter dicitur.

Ad hanc authoritatem quidam Scotistarum distinguunt, quod multiplex est duplex, vnum quod vocant multiplex multiplicitate suppositorum, & hoc multiplex vniuocationem non tollit; Animal etenim hoc modo dicitur multiplex, quia multas species sub se habet: & etiam homo, eo quòd multi homines sub homine cõtineantur. Aliud dicitur multiplex multiplicitate significatorum; sicut hoc nomen Canis dicitur multiplex multiplicitate significatorum, quia multa significat. Tunc dicunt quod Aristoteles contra Parmenidẽ intẽdit ens esse multiplex multiplicitate suppositorum, quod multiplex vniuocationem nõ tollit: sed multiplex significatorum omnem vniuocationem aufert.

Multiplex duplex.

Glossa Scotistarum.

Sed

Impugnatio glossæ.

Sed hæc solutio aduersatur textui & litteræ Aristotelis, q in illo loco statim suddit, ens dici de decem generibus: sed notum est decem genera esse significata, & non supposita entis: quod omnes expositores ibi affirmant, ergo glossa & solutio Scotistarum est nulla. Vide impugnationẽ glossæ Scotistarum apud Zimaram in tabulis super Aristotelem, litera, Ens.

2 Preterea Aristoteles in lib. 4 meta. ad initium capitis secundi, scribit quod ens dicitur de omnibus entibus, sicut sanum de sanis, vnde dicit: sed quemadmodum salubre omne ad sanitatem, hoc quidem in conseruatione, aliud verò in actione, aliud quia est signum sanitatis: sed clarum est, quod salubre non dicitur de sanis merè vniuocè, ergo neq; ens. Quapropter Auerroes ibi ita ait, hoc nomẽ, ens, dicitur multis modis, sed non equiuocè sicut canis, qui dicitur de latrabili, & de marino; neq; vniuocè vt Animal de homine & Asino; sed est de nominibus quæ dicuntur de rebus attributis eidem, & sunt media inter vniuoca & æquiuoca.

Vnius scientiæ est speculari ipsũ ens.

3 Preterea Aristoteles in eodem 2. capite textu 6. subiungit apertis verbis, quod si ens non sit vnius rationis, tamen vnius sciẽtiæ est ipsum ens speculari: sed perspicuum est ea quæ non vna ratione dicũtur, non esse vniuoca, ergo neque ens vniuocè prædicatur. Ex quo loco duo colliguntur, vnum, quod cum Aristoteles ad initium huius capitis dixit ens multipliciter dici, non intellexit ens merè æquiuocum, eo quod merè æquiuoca sub vnius scientiæ consideratione non iacent: aliud quod non est merè vniuocum, vt in littera apertè dicitur, sed medio modo se habet, vt dicetur.

Aequiuoca merè non spectant ad vnã sciẽtiam.

4 Præterea aduersus eãdem positionem arguitur. Si ens dicitur vniuocè de decem generibus, ergo sequitur quod ens sit vniuersale, & sub ratione alicuius vniuersalis de ipsis prædicetur: at consequens est falsum, ergo & antecedens. Probatur priori loco consequentia, omne simplex prædicatum vniuocum, quod essentiali prædicatione dicitur de pluribus, est aliquod vnum de numero vniuersalium, quia hoc modo prædicari, est tantùm de ratione alicuius vniuersalis, vt omnes fatẽtur. Falsitas multis modis manifestatur, primo authoritate Aristotelis in lib. 4. metaph. tex. 6. vbi affirmat vnum & ens, non habere rationem vniuersalis, & ita scribit, & propterea si ens aut vnum, nõ est vniuersale & idem in omnibus, aut separatum, sicut fortassis non est: nihilominus & hæc ad vnum, illa verò consequenter. Ex quo loco colligitur ens ad mentem Aristotelis non habere rationem vniuersalis: neque etiam separatum: an autem vniuersale sit separatũ, sub dubitatione dicit: quia in libro 7. ostendit quod non sit separatum.

Ens non est vniuersale prædicabile.

Vnum & ens non habẽt rationem vniuersalis.

Ad

Solutio. Ad hãc rationem Antonius Andreas in lib. 4. metaph. q. 1. hac distinctione vtitur, vniuersalia sunt duplicia, quædam quæ in linea prædicamentali ordinantur, cuiusmodi sunt illa quinque, quæ in libello Porphyrij pertractantur, quorum necessariò aliud est genus, aliud species, aliud differentia &c. Alia sunt vniuersalia trãscendentia, quæ dicuntur vniuocè de suis inferioribus: & horum non est necessarium, quod aliud sit genus, aliud species &c. modo autem ens est vniuersale transcendens, quod nullius illorum quinque vniuersalium nomẽ vel rationem sortitur. Quam distin. insinuat Scotus in libro 1. Sen. distin. 1. quæst. 3.

Vniuersalia duplicia apud Scotistas.

Impugnatio. 1 Contra hanc solutionem multipliciter arguitur. Propria ratio prædicabilis diuisi à Porphyrio in suo libello, conuenit ipsi enti. Prædicabile etenim, de quo Porphyrius agit, est quod est aptum natum prædicari vniuocè de multis, secundum esse distinctis, ergo ens continetur sub membris diuidentibus illud vniuersale, quod à Porphyrio consideratur, alioquin aliquid contineretur sub diuiso, quod sub mẽbris diuidentibus non contineretur, quod est contra Aristotelicam doctrinam in libro 2. Post. textu 20. ergo ratio tenet quod si ens est vniuersale prædicabile, necessario erit vnum illorum quinque à Porphyrio assignatorum

Prædicabile quid sit.

2 Secundo, Aristoteles in libro 1. Topicorum capite 3. assignat quattuor prædicata tantum, videlicet, Genus, Diffinitionem, Propriũ & Accidens, & ad hoc quod aliquod prædicatum sit topicum, requiritur solùm quod possit vniuocè prædicari de multis, de quibus considerationes topicæ terminari possint: ergo cum ens sit vniuersale vniuocè dictum de pluribus, de quibus considerationes topicæ terminari possunt: sequitur ad minus quod ens sit aliquod vnum horum quattuor prædicatorum, & cum non sit Proprium, aut Accidens vel Diffinitio, remanet quod sit Genus, & sic idẽ quod prius.

Prædicatã sunt quattuor.

3 Tertio, Si daretur huiusmodi vniuersale trãscendens, quod de suis inferioribus vniuocè prædicetur, mirabile est, quod neque Aristoteles, neque Porphyrius, neque aliquis Peripateticorum de ipso considerationem habuerit: quapropter necessarium est dicere, vel huiusmodi vniuersale transcendens nihil esse, aut Antiquos Peripateticos in vniuersalium consideratione dormitasse.

4 Præterea aduersus eãdem Conclusionem principaliter arguitur Si ens prædicatur vniuocè de substantia & accidente: ergo ens necessario est genus: sed consequens est falsum, ergo & antecedens, falsitas etiam apud Aduersarios est probatissima. Cõsequentia probatur. Si ens est vniuocum, significat plura secundum eamdem

dem rationem, (ex diffinitione Aristotelis) & per consequẽs significat vnum conceptũ communem, qui simpliciter conuenit omnibus significatis, hoc est enim significare secundum eamdem rationem: sed Animal aut corpus, non alia ratione est genus, nisi quia significat vnum hoc modo commune multis: ergo & ens pari ratione est genus.

Solutio. Huic rationi, Scotus & sequaces respondent, ens non esse genus hac vna ratione & causa, quia est transcendens, hoc est, quia vniuersaliter de omnibus prædicatur.

Impugnatio. Contra hanc rationem & causam arguitur sic. In definitione generis, nihil aliud ponitur, nisi quod de pluribus specie differẽtibus, in eo quod quid est prædicatur: ergo esse transcendens, nihil obstaret ad rationem generis, si ens esset prædicatum vniuocum.

Ens non potest esse genus. Ac præterea quod ens non possit esse Genus, asserit apertè Aristoteles in li. 3. metaph. textu 10. hac pulcherrima ratione. Omne genus est extra essentiam, & quidditatem differentiæ: sed ens est de essentia & quidditate rerum omnium, & per consequens cuiusque differentiæ: ergo ens non potest esse genus. Maior probatur. Genus (teste Porphyrio) se habet ad differentiam sicut materia ad formã, eo quod genus per differentiam contrahitur: sed contrahẽs est distinctum ab eo quod contrahitur: nam si Animal, verbi gratia includeretur in rationali, tunc per rationale non contraheretur: quoniam contrahere est addere nouum gradum, quod si rationale includeret Animal, tunc nouum gradum supra Animal non adderet. Minor apparet clara, ex eo quod quicunque gradus rerum, quomodocunque abstractus, includit ens: vnde nulla differentia assignari potest, quæ contrahat rationem entis, ac per consequens ens non potest esse genus.

Ens apud Scotum nõ est de essentia vltimarũ differentiarum. Non me latet Scotum in lib. 1. sent. dist. 3. quæst. 3. hanc rationem non recipere; imò negat ens esse de essentia vltimarum differentiarum, atque asserit rationale non includere ens: quod assertum hac ratione probat. Differentia est conceptus simpliciter simplex: species namque resoluitur in genus & differentiam, & genus rursus resoluitur in aliud superius vsque ad generalissimum: Differentia autem non resoluitur in genus & differentiam, aliàs differentia secunda iterum resolueretur, & ita speciei resolutio in infinitũ procederet, contra Aristotelẽ in lib. 8. metaph. tex. 19. hinc Scotus arguit. Si ens esset de essentia vltimarum differentiarum, verbi gratia, huius differentiæ Rationale: tunc esset resolubile in cõceptũ entis, & aliam differentiam contrahentem, & iterum illa secunda differentia per eamdem rationem includeret ens, ac per consequens esset resolubilis, vnde fieret

quod

quod resolutio in infinitum procederet.

Contra Scotum. Cui Scotisticæ rationi facili ac breui solutione occurritur, dicēdo, quod Aristoteles non ob aliam causam negat ens esse genus, nisi quia in ratione differentiarum includitur. Vnde in libro 4. Topicorum capite 6. & in 10. Metaph. tex. 6 & alibi, frequētissimè repetit ens sequi ad omnia.

Præterea, cum ens dicatur ab esse, primum quod noster intellectus de quacunque re concipit, est esse: quapropter si ens in natura vltimarum differentiarum non includitur, sequitur huiusmodi differentias esse nihil.

Ad rationem igitur Scoti, ex eodem Aristotele in libro 4. Metaph. tex. 3. habetur solutio, videlicet, quod cum ens sit vnicuique rei intimum, nullam facit compositionem, sed idem est ens homo, & homo, ens rationale, & rationale: quare licet ens sit de essentia differentiæ, ex eo tamen non sequitur, quod differētia sit resolubilis: eo quod ens non est de essentia differentiæ, sicut genus componens speciē; sed sicut quid conceptum in quacunque re, à qua nulla res est per abstractionem separabilis.

6 Præterea, Contra eamdem positionem sic arguitur. Nullum vniuocatum in ratione sui vniuoci habet aliquid plus quàm reliquum vniuocatum: sed substantia & accidens per Scotum sunt vniuocata in ente: ergo accidens non habet aliquid plus in ratione sui vniuoci, scilicet entis, quàm substantia. Discursus bonus, sed cōclusio falsa, ergo altera præmissarum; non Maior, quia hęc ex Ante prædicamētis colligitur: ergo Minor quæ est conclusio aduersæ opinionis. Falsitas conclusionis habetur in lib. 7. Metaph. tex. 2. & 3. vbi dicitur quod in ratione accidentis quatenus ens ponitur substantia, vnde Auerroes in com. 3. scribit quod sedens & stans non dicuntur entia sine substantia; sed in diffinitione substantiæ quatenus ens, non ponitur accidens Secundò manifestatur falsitas eiusdē cōclusionis ex dictis Antonij Trōbettæ, dicentis in hac eadem quæstione, in diffinitione accidētis quatenus ens, poni substantiam: quapropter hæc ratio ab eo solui non potest.

Vniuocatum vnū in ratione sui vniuoci nō habet plus quā reliquū vniuocatum.

Nec me præterit, quod nōnulli aduersus hanc rationem fatētur, videlicet, Aristotelem illis pręfatis locis non docere, accidētia quatenus entia sunt, includere respectum ab substantiam, sed tantùm quatenus accidentia: etenim idemmet Philosophus in eodem libro 7. ostendit se id intelligere de accidentibus nō modo quatenus accidētia sunt, sed etiam quatenus entia: exempla enim sani & medicinalis ibi posita, idem perspicuè ostendunt. Deambulatio, non tantùm, quatenus speciali ratione dicitur sana, sed etiam quatenus nulla adhibita limitatione, & nomi-

nomine appellatur, ad sanitatem refertur; atque ita res habet in cæteris. Nec est verum id quod quidam fatentur, videlicet quod Aristoteles in libro 7. Meth. tex. 16. 17. 18. intendit Accidentia tantúmodo copulata diffiniri per substantiam nō autem simplicia, nam Auerroes, Albertus, S. Thomas, Niphus, & alij, fatentur ibidem omnia accidentia diffiniri per substantiam: sed accidentia copulata, vt simitas nasi, per subiectum determinatum, cætera quæ simplicia vocat per subiectum, indeterminatū, vt album, quia de pluribus dicitur quibus albedo inest, per illud diffinitur, cui inest; consule præfatos expositores. Plures alias rationes, quæ ad hanc conclusionē confirmandā valerent, missas nunc facio; principaliores namque pro iunioribus huic loco apposuisse, sat esse iudicaui: remanet nunc vt argumenta alterius opinionis soluantur.

SECTIO

Tertia.

Argumenta Scoti soluuntur.

AD Primum quod ex authoritate Aristotelis in lib. 4. Metaph. text. 4. sumitur, respōdetur, quod Analoga secundum propriam proportionem, propter affinitatem quam cum vniuocis habent, nonnunquam appellantur vniuoca ab Aristotele, imò vt ipsemet in libro 5. de physico auditu scribit, medium vni extremorum comparatum, alterius extremi naturam induit, quapropter Analogum æquiuoco comparatum, appellatur vniuocum, eo quod æquiuocum diuersas rationes simpliciter sonat: ad veritatem autem illius maximæ propositionis, oportet qd causa & effectus nō in sola voce conueniant, sed in aliqua ratione formali, quæ aliquo modo in illis sit eadem: & hoc modo ratio entis in substantia & accidente est aliquo modo eadem.

Medium vni extremorū comparatū sapit naturam alterius extremi.

Ad confirmationem ex authoritatibus Auicēnæ & Auerrois appositam, dicitur quod hi Philosophi non intelligunt aliud nisi quod Prædicamenta conueniunt in conceptu entis, eo quia vnumquodque ipsorum dicitur ens: non tamen affirmant quod huiusmodi cōceptus dicatur de illis vniuocè, sicut Aduersarij deducunt; quod si Auerroes dicere videatur, in ente inueniri Prædicamenta essentialia, sicut inueniuntur in genere, quod vniuocè dicitur. Respondetur, mentem Auerrois non esse, quod ens dicatur vniuocè de decem generibus, quemadmodū Genus de suis speciebus vniuocè prædicatur: Sed intendit quod Analogia potest facere prædicatum essentiale, suis analoga-

tis, sicut genus vniuocum, essentiale prædicatum constituit. consulatur ibidem Auerroes.

Ad secundum dato nunc, quod ens dicat vnum conceptum alium à conceptibus suorum contentorum, ex hoc tamen non sequitur quod ille conceptus sit vniuocus: vnde si argumĕtum aliquid probat, alietatem conceptus, & non ipsius vniuocationem probat, quod ipsemet Scotus postea animaduertit, affirmans hoc eodem argumento, etsi non probatur vniuocatio conceptus certi comparatione incertorum, probatur tamen alietas: sic Caietanus in tractatu de Ente, quæstio. 3. adnotauit.

Sed si quis eodem argumento pertinaciter instaret: Respondetur, quod instans decipitur in hac consequentia, ens dicit vnum conceptum alium à conceptibus suorum contentorum, ergo est vniuocum: ad. hoc enim negatur consequentia, eo quod ad esse vniuocum non sufficit vnitas alicuius conceptus communis, sed necessarium est quod ille conceptus à suis inferioribus æqualiter participetur, & hoc in præsenti deficit, & quod conceptus entis non conuenit accidenti nisi per respectum ad substãtiam, vt supradictum est.

Deceptio aduersariorum.

Ad tertium duobus modis respondetur; vno, quod maior propositio est vera, quando ratio per nomen significata sub eodĕ nomine ab inferioribus æqualiter participatur altero, negatur minor, eo quod ens non prædicatur de substantia, & de accidente secundũ eamdem rationem æqualiter participatam: modò ratio entis non æqualiter participatur à suis inferioribus, cum vni per prius, & alteri per posterius conueniat. Ad probationem minoris in qua dicitur quod ens includitur quidditatiuè in omnibus entibus, ergo dicitur vniuocè de illis.

Ratio entis non participatur æqualiter à suis inferioribus.

Solutio petit difficultatem, an ens prædicetur quidditatiuè, quod nostræ intentionis limitem nunc transcendit, ob id nunc dicatur, quod ad vniuocationem non sufficit quod prædicatum sit quidditatiuum seu essentiale subiecto; sed præter hoc requiritur, quod illius ratio repræsentet æqualiter omnia de quibus dicitur, & hoc rationi entis non competit.

1 Contra solutionem sic obijcitur. Illud quod æqualiter prædicatur de omnibus generibus, prædicatur vniuocè: sed ens & vnum prædicantur æqualiter de omnibus generibus, ergo ens & vnum prædicantur de illis vniuocè. minor est Aristotelis in libro 10. Metaphys. textu 7. vbi ait ens, & vnum æqualiter prædicari.

Obiectio.

2 Præterea: Si ratio diuersimodè participata, idest secundum prius, & posterius, tollit vniuocationem; ergo sequitur quod ratio numeri nõ dicatur

vni-

vniuocè de omnibus numeris, cum prius dicatur de binario, quàm de ternario, sed hoc est falsum, igitur, solutio nulla.

Ensº & vnũ prędicari æqualiter de omnibus generibᵒ quõo intelligitur.

Ad primam obiectionem, dicitur, quod illa propositio ens & vnũ prædicantur æqualiter de omnibus generibus, habet duos sensus: vnus est, quod illa coniunctio (&) potest coniungere inter propositiones, vt sit sensus ens prædicatur æqualiter de omnibus generibus, & vnũ prædicatur æqualiter de omnibus generibus, & hoc modo quia ambæ illæ propositiones categoricæ sunt falsæ, ob id tota copulatiua est falsa. Alter est, quod potest coniungere inter terminos; vt sit sensus; ens & vnum prædicantur æqualiter de omnibus generibus: quo modo adhuc habet duplicẽ sensum, nam illa determinatio (æqualiter) vel determinat illud verbum prædicantur, & hoc modo est vera, & est sensus, ens & vnum prædicantur æqualiter, idest eodem modo de omnibus generibus, ita vt si vnum eorum prædicetur vniuocè, & alterum; quod si non vniuocè, neq; alterum. Vel determinat illam particulam, de omnibus generibus, & est sensus, ens & vnum prædicantur de omnibus generibus æqualiter, quia non per prius de vno quàm de altero, & sic est falsa: vnde committitur fallacia diuisionis. Sed dicatur breuius, quod ens & vnum prędicantur ęqualiter, quia ambo analogicè, & hunc sensum Aristoteles intendit.

Prius & posteriᵒ in ordine specierũ quando tollit vniuocationẽ in genere, & quando non.

Ad secundum dicitur, quod diuidentium aliquod commune, vnum esse prius altero, duobus modis intelligitur: vno modo secũdum proprias rationes aut naturas cuiuscumque diuidentis: altero modo secũdum participationẽ rationis illius communis, quod in ea diuiditur. Primum non tollit vniuocationem generis sicut patet in numeris, in quibus binarius secundum propriam rationem est naturaliter prius ternario: sed tamen participant eãdem rationem communis numeri. At secũdum tollit vniuocationem, & ideo quia in ratione ipsius entis, substãtia habet prioritatem eo quod est ens per se respectu accidentis quod est ens in alio, ob id ens esse nequit ipsorum genus, neque de eis vniuocè prædicari. Solutio habetur ex S. Th. in lib. 1. perihermenias, lectione 8. & p. p. q. 77. art. 4. ad primum, & li. 2. Sent. dist. 3. q. 1. art. 5. ad 3.

Accidẽs non prædicatur vniuocè de nouẽ generibᵒ

Ad quartum principale negatur minor, scilicet quod Accidens prædicetur vniuocè de omnibus nouem prædicamentis, eo quod pluribus prædicamentis nihil est vniocũ nisi fortè aliquis terminus secũdæ intentionis puta generalissimũ & prædicamentum. Ad probationem autem minoris, quæ à diffinitione accidẽtis sumitur, assignata, vel à Porphyrio, aut in Antepradicamentis, negandum est, quod ea accidẽtis diffinitio sit omniũ accidentium

S 2 pror-

prorsus eadem, eo quòd vnũquodque ipsorum nouem accidentium habet diuersum modum essendi in subiecto, per quem modum vnum ab alio distinguitur, vt dictum est.

Obiectio. Contra solutionem arguitur, si assignata diffinitio accidentis non sit omnium accidentium omnino eadem, igitur, vel Aristoteles, vel Porphyrius defecit, non assignando vniuscuiusque accidentis propriam diffinitionem.

Solutio. Respondetur satis fuisse accidentium quamdam vniuersalem diffinitionem, qua cognosceretur naturam omnium eorum esse, vt in alio sint, quod est commune omnibus: sed modus quo vnumquodque ipsorum in alio est, non erat eo in loco explicãdus: nam in lib.5.Metaph Phylosophus docet, quomodo vnumquodque ipsorum ad primã substantiam se habeat, remanet igitur qđ Accidens sit analogum ad nouem genera accidentium, non eo genere analogiæ, quæ per attributionem vnius ad alterum dicitur, sed quia vario modo ad substantiam refertur: quantitas enim tãquam ipsius mensura se habet; qualitas altero modo ad eã se habet, & sic de singulis. Consule Fonsecam in lib.4.Metaph. cap.2.q 2. sectio.9.ad decimum.

Ad quintum negatur Consequentia: ad cuius probationem dicitur quod argumentũ supponit falsum, l. quod substantia non immutet nostrum intellectũ ad sui ipsius intellectionem, nisi per speciem accidentiũ, quod Scotistæ concedunt, vt patet apud Paulũ Soncinatem in lib.7.Metaph.q.14. Nos verò dicimus substantiam per propriam speciẽ posse cognosci, vt ibidem ab eodem probatur, & quamuis Accidẽtia maximè conferant ad cognoscendũ quod quid est; non propter hoc Phylosophus asserit, quod totaliter conferrant, ita vt sine accidẽtiũ cognitione substãtia nullo modo cognosci queat.

Cum dicitur, Quidquid præsens immutat immediatè intellectũ, potest illius absentia ab intellectu naturaliter cognoscĩ quia non immutatur, vt patet de visu qui est perceptiuus absentiæ luminis, idest tenebrarũ, eo quod a lumine immediatè immutatur. Respondetur quod hæc propositio intelligitur vbi simpliciter est absentia obiecti, & quo ad eius substantiam, & quo ad illius operationes, vt in eodem exemplo manifestatur: nam quando lumen illiusque operatio abest, tunc ab oculo naturaliter cognoscitur, quod lumen non adest, quia non immutatur, modo quamuis in ostia consecrata non sit præsens substantia panis: tamen remanent Accidentia cũ operationibus substantiæ, cui inerant: ideò noster intellectus non potest naturaliter cognoscere absentiam substantiæ panis in ostia consecrata; sed sola fide illius absentiam percipit.

Ad sextũ negatur minor, ad cuius probationẽ respõdetur, quod

quod illa intentio Logica,quã ens dicit, non eſt vna vnitate vniuoca, ſed analogica, quia intentio vniuerſalitatis entis non participatur æqualiter à ſubſtantia & accidente, vt dictum eſt.

Multiplicitas duplex.

Ad ſeptimum. Reſpondetur quod multiplicitas eſt duplex, vna quæ dicitur multiplicitas æquiuocationis, altera analogiæ: hinc ad argumentum dicitur quod multiplex multiplicitate æquiuocationis eſt diſtinguendum, vt ſi dicatur canis mouetur, at multiplex multiplicitate analogiæ non eſt opus quod diſtinguatur, modo prima dignitas quæ eſt (nõ contingit idem ſimul eſſe & non eſſe) eſt multiplex multiplicitate analogiæ: quapropter, quod diſtinguatur vel ex alijs notioribus principijs deducatur, non eſt neceſſarium; ſed ad ipſius veritatem & cognitionem ſufficit ſuarum partium veritas,& terminorũ cognitio hinc Ariſtoteles in lib. 1.poſt.c.3. inquit: Sed eſt principium ſcientię, eſſe quoddam dicimus, quo terminos cognoſcimus: quem locum de dignitatibus plerique exponũt,quæ

Dignitates ꝑ ſolã terminorũ cognitionẽ innoteſcunt.

Dignitates per ſolam terminorum cognitionem innoteſcũt. hinc cum hæc prima dignitas ingrediatur, aut formaliter, aut virtualiter omnem demonſtrationem, nõ ſequitur quod demonſtratio ſit ex incertis; quia cognitis terminis videlicet eſſe & non eſſe, ſtatim cognoſcetur quomodo res demõſtrabilis ſe habeat ad ipſam demonſtrationem, & hoc analogum ſufficit ad cõtradictionem ſaluandã,& medium ſyllogiſticum. Conſule Paulum Soncinatem in lib 4. Metaph. q.7. & Fonſecã lib.4. c.2.q.2. ſect.11.ad 7.

Ad octauum negatur maior, quo ad terminum analogum: nam etſi dignum diſtributiuũ, non diſtribuat terminum merè ęquiuocum,cui iniungitur, tamen poteſt diſtribuere terminum analogũ,ita ſentit magnus Albertus in p. p. ſummæ q.141.vbi ſic ait,Analogum enim confundi & diſtribui poteſt etiam ſigno vniuerſali diſtributiuo, maximè reſpectu prædicati, quod per eamdem analogiam reducitur cum partibus diſtributi, vt eſt hoc prædicatum ens.

Ad nonum negatur conſequentia,quoniam in eadem ratione analogica poteſt fieri cõparatio multorum ſecundum magis & minus; etſi non tàm propria,quàm cũ fit in eadem ratione vniuoca, potiſſimum verò in ea ſpecifica, quæ in alias ſpecificas diuidi nequit: ſicuti cum duo corpora comparantur in ratione candidi, vel calidi,quod Ariſtoteles in lib. 7.Phyſic.cap.4.docuit.

In rõne analogica fit cõparatio multorũ ſecundũ magis & minus.

Ad decimum reſpondetur, quod ab ijs tantum quæ ſunt ſimilia ſimpliciter poteſt abſtrahi vna ſimpliciter natura vniuoca: modo entia quatenus entia non ſunt ſimpliciter ſimilia,ſed quodãmodo: ob id vna natura vniuoca ab eis abſtrahi non poteſt,& hæc ſint ſatis.

DISPVTATIO Vigesimaprima.

De multis modis Analogiæ, atque eorum discrimine.

SECTIO Prima.

Nomen & vocabulum Analogiæ explanatur.

PRiusquam id quod principaliter intenditur, videlicet de analogia entis respectu decem generum, manifestetur: necessarium est, vt de varijs analogiæ modis, & eorum discrimine, aliqua apponantur, quatenus tamen ad hoc nostrũ Logicum opus spectat, tunc enim faciliori apertiorique via quis percipiet, qualiter ens ad decem genera se habeat.

Analogiæ nomen so nat com paratione, & in 4. terminis ad minus exercetur

Sciendum igitur quod nomen Analogiæ est vocabulum Græcum, (ita Ammonius, Simplicius, & alij in capite de æquiuocis tradunt) & apud Latinos, sonat idem quod comparationem siue proportionem: atque vt ipsi Græci fatentur, ipsa analogia in quattuor terminis ad minus consideratur: verbi gratia pes hominis & pes lecticæ secundum analogiam dicitur pes; quamobrem quam proportionem pes hominis habet ad hominem, eamdem pes lecticæ habet ad lecticam: vnde secundũ proprium significatum Analoga dicũntur proportionalia, idest habentia inter se similitudinem proportionis, & nomen Analogum dicitur quod significat plura vt proportionalia sunt; quemadmodum pes dicitur de pede hominis & lecticæ. Visus de visu corporeo & intellectu; Principium de corde & de fundamento domus: & in hac significatione Aristoteles vtitur nomine Analogi, vt ex libro 3. cap. 4. lib. 5. & 6. lib 12 metaphy. in lib. 2. posteriorum cap. 16. ac præcipuè in lib. 5. ethicorum cap. 7. tamen vsu communi factum est apud Latinos vt Analogum sumatur pro omni nomine importante plura secundum quamdam habitudinem, vel ad vnum, vel inter se, vt paulo inferius explicabitur.

SECTIO Secunda.

Quæ sint Analoga inæqualitatis.

Modi principales analogiç sũt tres.

ANalogiæ modi principales sunt tres, quorũ prior dicitur inæqualitatis; posterior attributionis, tertius verò proportionis, siue proportionalitatis. Analoga inæqualitatis

litatis ea vocantur, quorũ nomen est commune, & ratio secundum illud nomen est omnino eadem, quo tamẽ ad perfectionem inæqualiter ab inferioribus participatur, v.g. Corpus prædicatur tàm de corpore cœlesti quàm de elementari, vtrumque etenim appellatur Corpus, & ratio corporeitatis, quæ trinam dimẽsionem significat, in vtroque est eiusdem rationis, sed inæqualiter participatur, eo quod in corpore elementari habeat esse corruptibile, in cœlesti autem incorruptibile. Similiter Animal & ipsius ratio prædicatur de omnibus suis speciebus specialissimis: ab homine tamen & ab equo inæqualiter participatur, eo quod natura Animalis ob perfectiorem differentiam cui coniungitur, perfectiori modo est in homine, in quo habet esse rationale, quã in equo, in quo cum irrationalitate inuenitur.

Analogia inæqualitatis quális apud naturalẽ & logicum.

Præterea notetur, quod Analoga inæqualitatis, aliter apud Philosophum, & aliter apud logicum appellantur. Philosophus qui naturas rerum considerat, videns quod esse corporis, in corpore cœlesti, est re ipsa diuersum ab esse quod habet in elemẽtari: & esse Animalis in homine est diuersum ab esse quod habet in equo, vnde re ipsa solum nomen remanet eis commune: ideo huiusmodi Analoga vocat æquiuoca: hinc Aristoteles in lib. 10. Metaph text 26. dixit quod corruptibili & incorruptibili nihil est commune videlicet vniuocum, & in lib. 7. physicæ auscultationis textu 13. scribit quod iuxta genus latent æquiuocationes; eo quod huiusmodi analogia nõ dicit vnam naturam simpliciter; sed multas naturas complectitur habentes inter se ordinem, atque S. Thom. in lib. 1. Sent d ist 19. vocat hanc analogiam, analogiam secundum esse tantùm. Logicus autem qui intẽtiones considerat, videns Animalis, siue corporis intentionem & quò ad nomen & quò ad ipsius nominis rationem ab omnibus inferioribus æqualiter participari, ob id huiusmodi analoga vocat vniuoca, vnde genus vniuocum constituit.

Prius & posteri. pfectius & imperfectius non tollunt logicam vniuocatio nem sed physicã.

Ex his tria colliguntur. Primum, etsi in huiusmodi analogis reperiatur prius & posterius vt in numeris: perfectius & imperfectius, vt in esse corporis, vel Animalis: nihilo tamen, si hæc impediant physicam vniuocationem, tamen logicam non tollunt; vnde Auerroes in lib. 12. Metaph. com. 2. ait, quod prioritas & posterioritas specierũ non impedit vnitatem generis, & de his nos abundè diximus in dispu. 9. de vniuersalibus, & in capite speciei, disp. 5. Secundum, hic modus Analogiæ non tollit, imò ponit contradictionem: nam hæc propositio est semper vera, elementum est corpus: & hæc semper est falsa, Cœlum non est corpus, eo quod ratio corporis vtrique conuenit, & si in esse non conueniant. Tertium,

tium, hic primus modus analogiæ, dicitur Analogia impropriissimè, vnde vera Analogia non est.

SECTIO

Tertia.

Analoga attributionis explanantur.

ANaloga secundum attributionem, ea sunt, quorum nomen est commune, & ratio secundum illud nomẽ est eadem secundum terminum; & diuersa secundum diuersas habitudines ad illum. Exempli causa, sanum est nomen commune pluribus. nam Animal dicitur sanum, Medicina sana, vrina sana, & dieta sana. Ratio autem omniũ horum, quæ dicuntur sana, quatenus talia, ad vnum terminum, videlicet ad sanitatem, diuersas habitudines dicit. Si quis enim assignat quid sit Animal quatenus sanum, respondebit quod est sanitatis subiectum: Medicina quatenus sana, est sanitatis effectiua: vrina sanitatis signum; dieta sanitatis conseruatiua.

Analogia attributionis duplex. Prætcrea sciendũ ex S.Thoma.p.p.q.13.art.5. quod Analogia secũdum attributionem est duplex, vna quæ est duorum ad vnum tertium, vel multorum ad vnum: & tunc fit, quando duos aut plura habẽt quamdam proportionem vel habitudinem, ad vnũ tertium, à quo talia denominãtur: quo pacto Medicina, vrina, & dieta, dicuntur sana per habitudinem, & respectum quẽ habent ad Animal sanum, quod est vnum quid tertium ab illis omnibus quæ nuncupantur sana. Alia Analogia est vnius ad alterum, exempli causa; si sumantur duo, videlicet Animal & medicina tantùm, tunc sanum dicitur de illis per respectum vnius ad alterum; medicina enim dicitur sana, quatenus est sanitatis effectiua, quæ in Animali inuenitur, & hæc Analogia attributionis non alio nomine apud Aristotelem vocatur, quàm nomine eorum quæ ad vnum, vel ab vno dicuntur.

Analogia attributionis fit 4.modis. Analogia secundum attributionem, quattuor modis contingit fieri iuxta quattuor genera causarũ; Alia enim dicuntur Analoga secũdum causam finalem, eo quod ad vnum finem, quem respiciunt, ordinantur, iuxta quem modum sanum dicitur de medicina, de vrina, & de dieta, quia omnia hæc ad sanitatem in Animali existentem ordinantur, & hic modus assignatur ab Aristotele in lib.4. Metaph. text.2.

1 Alia dicuntur Analoga respectu causæ efficientis, vt Medicatiuum, seu Medicinale dicitur analogicè ab arte medicinæ, de medico qui habet illam, de instrumentis & medicinis quibus vtitur; qui modus à Philosopho ibi quoque ponitur.

2 Quæ

2 Quædam respectu causæ subiectiuæ siue materialis, quo modo ens dicitur analogicè de substantia, quę est simpliciter ens, & de accidentibus, quæ sunt entia secundum quid puta entis entia, cum omnia ordinentur ad substantiā, tanquam eorum subiectum.

3 Quædam tandem dicuntur Analoga respectu causæ formalis, seù exemplaris; (causa etenim exemplaris reducitur ad formalem, vt in lib. 2. physicorum dicitur,) & sunt ea omnia, quæ eodem nomine propter similitudinem significantur, vt homo de homine picto & viuo; nam homo pictus dicitur homo, quia ad exemplar hominis picti exprimitur, & ad hoc genus reducuntur omnes metaphoræ propter similitudinem, verbi gratia, Leo dicitur de Leone, & de homine iracundo, ob conuenientiam in ira, vel in fortitudine.

Analoga secundum attributionē apud Logicū vocātur æquiuoca.

Sciendum quod Analoga secundum attributionem, apud Logicum vocantur æquiuoca; quamobrem in Antepraedicamentis Aristoteles vocat Animal æquiuocum, ad Animal verum & pictum: Animal etenim pictum non purè æquiuocè, sed per attributionem ad Animal verum, dicitur Animal, atque in ratione illius quatenus Animal, ponitur Animal verū; nam si quis quærat quid sit Animal pictū in eo quod Animal, respondebitur quod est imago Animalis veri.

Præterea notandum quod æquiuocum est duplex, quoddam à casu, & quoddam à consilio.

Aequiuocū duplex à casu & à cōsilio.

Aequiuocum à casu dicitur illud quod habet plura significata ęquè principalia, ita vt non significet vnum ob similitudinē, vel relationem quam ad alterum habeat, verbi gratia hoc nomen Canis, dicitur æquiuocum à casu, eo quod Canis latrabilis cęlestis & marinus de quibus dicitur, nullam habent adinuicem similitudinem, aut habitudinem, sed casu factum est vt quisquis eorum, Canis nuncupetur. Equiuocum à cōsilio dicitur illud, quod plura significata habet, sed vnū principalius, & aliud minus principale, quod minus principale ad ipsum principalius habet quamdam relationem: verbi gratia homo significat principaliter hominem viuum, vt secūdario hominem pictum, qui dicitur homo per relationem ad hominem viuum, qui est hominis picti exēplar Cum dicitur modo, quod Analoga secundum attributionem apud Logicum vocantur æquiuoca, intelligitur de æquiuocis à consilio, quæ à Græcis assignantur media inter merè æquiuoca, idest æquiuoca à casu, & merè vniuoca, S. Thomas in libro primo Sent. distin. 19. hanc analogiam, vocat analogiam secundum intentionem tantùm, eo quod nomen Analogum non formaliter, sed tantùm secundum intentionem, idest denominationem sit commune: primo enim formaliter inest, reliquis verò extrinseca deno-

denominatione, vt infra dicetur. Hæc analoga secundum attributionem quamuis non sint proprijssimè analoga, iuxta rationem analogorum pluribus in locis ab Aristotele assignatam: verumtamen quia dicunt aliquas proportiones, vel multorum ad vnum; vel vnius ad alterum, extenso proportionis nomine ad omnem habitudinem; hinc fit vt apud Latinos dicantur analoga; dicuntur tamen magis propriè analoga, quàm ea quæ secundum inæqualitatem talia dicuntur.

Correlarium.

1 Ex his dictis, tria correlaria colliguntur. Primũ Aequiuoca à consilio & Analoga secundum attributionem non æquipollent, nam etsi Analoga distinguantur ab æquiuocis à casu, vel à fortuna, quæ merè æquiuoca dicuntur, sintque idem cum æquiuocis à consilio, tamen non conuertuntur, vt ea omnia, quæ sunt æquiuoca à consilio, sint analoga. Quædam etenim æquiuoca à consilio reperiuntur, quæ nullo modo sunt analoga: exempli causa, si quis pater ob Aui memoriam imponat filio nomen patris sui, hoc certè nomen à consilio imponitur, estque æquiuocum; tamen non est Analogum, quia nec propter proportionem, nec ob similitudinem rem eamdem significat.

2 Secundũ, Omnia alia æquiuoca, siue à casu, siue à consilio, pluribus impositionibus significant: Analoga autem non nisi vnica. Exempli causa, canis nomẽ postquã semel impositũ fuit ad significandũ canẽ latrabilem; deinde fuit impositum ad significandum marinum, vel Cœlestem. Similiter Socrates, quod est æquiuocũ à consilio, duabus impositionibus significat patrẽ, & filium. Analogum autem secundum attributionem, ex impositione significat vnum tantùm, vt animal ex impositione significat verum animal, sed ob similitudinem significat quoque animal pictum: Similiter sanum fuit impositum ad significandum animal, sed ob quamdam proportionem ad ipsum, significat etiam, medicinam, vrinã, & dietam.

3 Tertium, Analogum significat semper vnum per prius & aliud per posterius: & illud prius est principale significatum, cuius respectu reliqua diffiniuntur: exempli gratia Sanum significat prius animal, quod est sanitatis subiectum, & quod dicitur formaliter sanum, respectu cuius reliqua dicuntur sana, atque in horum ratione illud ponitur: vt si medicina dicitur sana, id pro tanto est, quia est sanitatis in animali effectiua: sed æquiuocum siue à casu, siue à consilio, non significat per prius vnũ quàm aliud, neque vnum per aliud diffinitur.

Hinc apparet quàm irrationabiliter quidam reprehenderint nostram doctrinam de natura Analogorum, quam super Porphyrium pluribus locis attuli-

tulimus: dicunt enim hanc esse nostram intentionem videlicet nomen analogum esse illud quod est pluribus commune: tamen de illis dicitur secundum prius & posterius, ita vt nomen analogum de vno prius de reliquis verò posterius dicatur. Vnde impingunt nos affirmasse prius & posterius per se gignere analogiam. Etenim nos non negamus illamet verba (videlicet nomen analogum dici secundũ prius & posterius) in nostris commentarijs apposuisse, vt patet in Disputatione nona de vniuersalibus Diluc. 1. not. 2. & in cap. de Proprio Diluc. 5. sed an nostra fuerit intentio, prius & posterius gignere per se analogiam, sit qui sano intellectu iudicet, & claro oculo videat nostra commentaria in præfatis locis, semper enim ibi subiungimus quod reliqua dicuntur talia per attributionem & comparationem ad illud vnũ, quod vnum simpliciter & absolutè, idest absque vllo respectu ad alia, dicitur tale: at cætera non nisi per comparationem ad illud vnum dicuntur talia, quod si affirmamus illud vnum dici simpliciter & absolutè tale, (vt exemplificauimus de sano, quod simpliciter dicitur de Animali, quod est formaliter sanum) quid enim est dicere aliud nisi quod illud vnum intrinseca denominatione sit tale? & si subiungimus reliqua dici talia per comparationem ad illud vnum, quemadmodũ medicina vrina, & dieta dicuntur sana; quid est dicere aliud nisi quod hæc, denominatione extrinseca dicuntur talia? sed vt à nostris iunioribus, in quorum gratiam eas disputationes edidimus, doctrina analogorum facilius caperetur, ob id per dici prius, & posterius ea explanauimus, cum omnibus sit receptissimum, illud analogiæ genus per prius de vno, & de reliquis posterius dici. Sed haud difficile est, non ratione, sed mera voluntate loquenti, alienam doctrinam apponere corruptam, multisque verbis eam labefactare, vt propriam magnificiat.

Defensio doctrinæ auctoris.

SECTIO

Quarta.

Quæ sint Analoga secundum proportionem, vel proportionalitatem.

Analoga secundum proportionalitatem ea dicũtur, quorum nomen est commune, & ratio secundum illud nomẽ est proportionaliter eadem. Vel sic Analoga secũdum proportionalitatem dicuntur, quorum nomen commune est, & ratio secũdum illud nomen est similis secundum proportionem, sicut videre oculo corporali, atque intellectu intelligere

gere communi nomine vocantur videre, eo quod intelligere simili modo offert ipsam rẽ animæ, sicut videre oculo corporali offert rem ipsi videnti corporaliter. Similitudo est Aristotelis in lib. 1. Ethicorum cap. 6.

Pro intelligentia huius generis Analogiæ, notetur iuxta Aristotelis doctrinam, quod si Analogiæ nomen penes proprijssimum vocabulum spectetur; tunc ea sola dicuntur Analoga, quæ cõsiderantur vt proportionalia, idest quæ proportionis similitudinem inter se habent: & illud nomen proprijssimè dicitur analogum quod significat plura vt proportionalia sunt: at cætera quæ dicuntur analoga, analogia attributionis, vel vnius ad alterum, vel duorum ad vnum tertium, non ex proprietate vocabuli, sed ex communi Philosophorum vsu, etiam apud Aristotelem factum est, vt analoga dicuntur: quamobrem ex eodem communi vsu contingit, vt Analogum sumatur pro omni nomine significante plura secundum quamdam habitudinem, vel duorũ ad vnum, vel vnius ad alterum vt ad initium huius Disputationis insinuauimus. Quod autem hoc nostrum assertum sit verum, ex eo fit manifestũ, quod Aristoteles vbicumque de analogis secundum attributionem loquitur, non aliter ea nominat, quàm nomine eorum quæ ad vnum, vel ab vno dicũtur: sed cum de analogis secundum

Analogũ proprijssimè dictum quid sit.

proportionalitatem verba facit, tunc analogorum nomine ea vocat, atque proportionalium exempla apponit: quod ex eiusdem doctrina perspicere, haud difficile est.

In lib. 4. Metaph. textu 2. loquens de ente quod vocatur analogum, inquit, ens dici multipliciter ad vnum tamen, quẽadmodum sanum ad vnum, idest ad sanitatem dicitur, sed notum est, hæc esse analoga secundum attributionem.

Præterea in libro 7. Metaph. textu 15. quærens quomodo diffinitio in substantijs & accidentibus reperiatur, inquit quod non æquiuocè, neq; vniuocè, sed sicut ea quæ ad vnũ dicuntur: sicut medicinale dicitur de medicinalibus instrumentis, per attributionem ad vnum.

Item in libro 1. Ethicorum cap. 6. quærens quomodo Idea boni secundum Platonem sit communis omnibus habentibus bonitatem; & quo nam modo ea dicantur bona: habet hæc verba: Ea quæ dicuntur bona, quo nam modo dicuntur, non enim videntur esse æquiuoca à fortuna, deinde suddit, nunquid eo quod ab vno sunt, vel ad vnum, omnia ipsa conferuntur, an magis secundum proportionem? ex quibus verbis apparet, quod Aristoteles distinguit ea analoga, quæ dicuntur ab vno, vel ad vnum, quæ sunt analoga secundum attributionem, ab his quæ dicuntur proprijssimè analoga, cuiusmodi sunt ipsa

propor-

proportionalia; vnde exemplificando ait, quod quemadmodum se habet visus in corpore, ita mens in anima se habet.

Adhuc in libro 2. Post. cap. 11. docēs quod diuisio & Analogia conducunt ad inuestigandum propter quid; ostendit ea esse analoga quæ sunt vnum proportione: exemplūque assignat de sepio, spina & osse: vt enim os se habet in animalibus terrestribus ad sustentandam carnem, ita spina in piscibus, & sepium idest duritics in vermibus: igitur ex his & alijs authoritatibus fit manifestum quod apud Aristotelem ea proprijssimo vocabulo dicuntur Analoga quæ sunt proportionalia, idest quæ inter se habent similitudinē proportionis: Reliqua verò quæ secundum attributionem dicuntur Analoga, non nisi ex cōmuni vsu Philosophorum dicuntur talia.

SECTIO Quinta.

Discrimen assignatur inter Analogiam Proportionis & Proportionalitatis.

QVamuis apud Philosophos communi quodam vsu sumatur pro eodem Analogia proportionis, & proportionalitatis: verumtamen si ipsa vocabula propriè spectentur, notum fiet analogiam proportionis haud parum ab analogia proportionalitatis distare. hinc Franciscus Ferrariensis in commentarijs super caput 34 libri primi S. Thomæ contra gentes, scribit, quod ille modus Analogiæ qui est vnius ad alterum penes vsitatam significationem apud Latinos sumptus, duobus modis accipitur, vno quatenus distinguitur contra analogiam duorum ad vnum tertium; altero vt distinguitur contra analogiam proportionalitatis: tunc Analogia primo modo sumpta, cum sumatur tanquam quoddam commune, distinguitur in analogiam proportionis & proportionalitatis, hāc eamdem distinctionem habet quoque S. Thomas de veritate quæst. 2. art. 11. in corpore, atque Caietanus in tractatu de ente q. 3. quo ad quartum principale, notando secundo. Analogia duobus modis sumitur.

Proportio cum sit certa & determinata habitudo vnius rei ad alteram, sicut in numeris consueuit dici quod quattuor habet duplam proportionem ad duo; Ideo Analogia proportionis erit quædam certa & determinata habitudo vnius ad alterum, secundum quod aliquo nomine significantur. Proportio quid sit.

Proportionalitas autē cum sit proportio, seu similitudo inter duas proportiones: siue proportio proportionis duorum Proportio & proportionalitas, qd sint.

rum ad alia duo : ideò Analogia proportionalitatis, erit quædam proportio, siue similitudo non inter ipsas res analogatas, sed inter proportiones ipsarum rerum ad aliqua: exēpli gratia in numeris si dicatur, ita se habent octo ad quattuor, quemadmodum sex ad tria: vel ita se habet cor in Animali, sicut fundamentum in pariete: tunc manifestum est quod proportio, vel similitudo, non consistit inter octo & sex, aut inter quatuor & tria: neque inter cor & fundamentum, aut Animal & parietem, sed inter proportionem & proportionem; ita vt quemadmodum octo se habet ad quattuor in dupla proportione, ita sex ad tria in dupla proportione se habet; & quemadmodum cor in Animali est ipsius principium, ita fundamentum in pariete est ipsius parietis principium.

Analogia proportionis fit solum in rebus determinatis: proportionalitatis fit etiam in rebus distantibus.

Vlterius sciendum est Analogiam proportionis distingui ab Analogia proportionalitatis: eo quod Analogia proportionis cum sit certa & determinata habitudo non reperitur, nisi in rebus determinatis, sed Analogia proportionalitatis fieri potest, tàm in multum quàm in parum distantibus: etenim cum hæc non sit rerum absolutè, sed proportionum conuenientia, siue similitudo, ideo in omnibus quomodocumque distantibus etiam secundum infinitatem fieri potest, vt patet de Deo & Creatura; non enim est maior similitudo proportionū inter duo & vnum, & sex & tria, quàm inter duo & vnum, centum & quinquaginta, & hoc modo sapientia dicitur analogicè de Deo & de Creatura: quia sic se habet Deus per suam sapientiam ad ea quæ scit, sicut homo per suam ad ea quæ ab ipso cognoscuntur. Tota hæc doctrina colligitur ex S. Thoma de verit. quæst. 2. art. 11. per totum.

Analogia proportionis fit duobus modis.

Præterea notetur Analogiam proportionis duobus modis fieri posse, vno propriè, altero Metaphoricè, propriè tunc fit, quando illud nomen commune in vtroque analogatorum absque Metaphoris reperitur. Exempli causa, Principium in corde respectu Animalis, & in fundamento respectu domus saluatur, & Rector tàm de eo qui Ciuitatem gubernat, quàm de illo, qui nauim regit, dicitur. Metaphoricè autem quando illud nomen commune habet absolutè vnam rationem formalem, quæ in vno analogatorum saluatur, de alio autem Metaphoricè dicitur, verbi gratia ridere saluatur formaliter in homine; tamen dicitur Metaphoricè etiam de prato: nam florere prati quamdam prati lætitiam significare videtur, quemadmodum risus in homine est letitiæ signum.

S E-

SECTIO

Sexta.

Nonnulla discrimina inter Analoga secundum attributionem ex vna parte, & secundum proportionem, siue proportionalitatem ex altera assignantur.

IN quattuor principaliter differre Analoga secundum attributionem ab Analogis secundum proportionem, siue proportionalitatem apud expositores inuenio.

Discrimen. 1 Primum ad vocabulū spectat, eo quod Analoga secundum attributionem, apud Aristotel. nunquam aliter nominantur, quàm nomine eorum quæ ab vno, vel ad vnum dicuntur: sed Analoga proportionis, aut Analoga, aut proportionalia dicuntur.

2 Secundum in Analogis secundum attributionem datur semper aliquod vnum & idē, ad quod cætera analoga referuntur, & ratione cuius talia nuncupantur, verbi gratia in analogis duorum, vel multorum ad vnum tertium, vt in sanis, datur semper aliquod vnū scilicet Animal sanū, ad quod cætera quæ dicuntur sana, referuntur, & per respectum ad illud dicuntur sana; sed in analogis secundum proportionē, siue proportionalitatem, hoc non contingit. Principium enim quod de pluribus dicitur, scilicet de corde Animalis de fundamento domus, de principio temporis, rerum naturalium, viæ, & similibus, non dicitur prius de vno quàm de alio; neque datur vnū ad quod huiusmodi principia referantur, & ratione cuius principia denominentur, est enim multiplex principiatum, sicut principium est multiplex.

Circa hoc secundum discrimen animaduertendum est, quod contingit quandoque Analogiam proportionis imitari analogiam attributionis, quæ est vnius ad alterum, vel duorum ad vnum: ob id accidit in analogia proportionis, ob iniunctam analogiam attributionis, assignari vnum & idem, ad quod reliqua per imitationem referuntur. Exempli gratia, Ridens est Analogum secundum proportionē, comparatione hominis, prati & fortunæ: sed pratum & fortuna dicuntur ridere seu arridere, quia quodammodo imitantur hominem arridentem alicui; in qua imitatione spectatur attributionis analogia.

3 Tertium, in Analogis secūdum attributionem datur semper vnum primum, quod formaliter, & intrinseca denominatione est tale; at cætera analogata non dicuntur talia nisi extrinseca denominatione, & per respectum ad ipsum primum In analogis secū dum attributionem datur vnū primum quod est

mum analogatum;quapropter ipsa forma denominans vni tãtum verè inest, reliquis autem non nisi extrinsecè. Exempli causa, sanum quod de multis inest, non est formaliter nisi Animal: at medicina vrina, & dieta, dicuntur sana, à sanitate non quæ eis insit inhærẽter, sed extrinsecè, videlicet ab eo quæ est in Animali, & quam ipsa efficiũt, significant, vel conseruant. Similiter medicatiuũ quod ab arte medicinali deriuatur, denominat formaliter medicum, instrumenta verò & quæcumque alia dicuntur medicatiua denominatione extrinseca.

Analoga secundum proportionẽ denominãtur talia formaliter.

Sed Analoga secundum proportionem, siue proportionalitatem formaliter & intrinsecè denominantur talia, eo quod forma significata omnibus membris diuidentibus inhæreat, verbi gratia. Principium cum de multis dicatur, vt dictum est, significat naturam principij existentem in omnibus quæ dicuntur principia: nam quemadmodum cor dicitur principium formaliter in Animali, eo quod sit verè ipsius principium, ita fundamentum domus, quod etiam de analogis secundum proportionem Metaphoricè dictis est intelligendum; Ridere enim significat risum non modò homini inhærrentem, sed etiam suo modo florenti prato, florum namque productio quamdam hilaritatem quasi per vultum significare videtur.

Circa hoc tertiũ discrimen notandum vnum ex Caietano in tractatu de Nominum analogia, quod ad multorum argumentorum solutionem multum facit, videlicet cum dicitur Analogum secundum attributionem dici de vno primo analogato formaliter, de cæteris verò extrinseca denominatione, quemadmodum de sano & de medicatiuo positum est exemplum; hoc dictum est intelligẽdum formaliter, & non materialiter: idest non est intelligendum per hoc quod omne nomen quod est analogum per attributionem, sit commune analogatis, sic, quod primo tantum conueniat formaliter, cæteris autem denominatione extrinseca: nam hoc est falsum, vt patet de ente, & de bono: sed hoc modo est intelligendum, quod omne nomen analogum secundum attributionem vt sic: vel quatenus sic analogum, commune est analogatis, sic, quod primo conuenit formaliter, reliquis verò extrinseca denominatione, & ita ens, quãuis formaliter conueniat omnibus substantijs, & accidentibus: tamen inquantum entia omnia dicuntur ab ente subiectiuè, vt sic: sola substantia est ens formaliter, cætera autem dicũtur entia, quia entis passiones sunt, vel generationes; quamuis alia ratione entia formaliter dici possint.

Notandum ex Caietano.

Quõ intelligit, analogũ dici de vno primo analogato formaliter, & de reliquis extrinsecè.

4 Quartum discrimen, in Analogis secundum attributionem ea omnia quæ per habitudinem ad primum dicuntur,

tur,

tur, necessariò per illud diffiniuntur, vnde primum analogatum ponitur in diffinitione cæterorum, quæ secundum illud nomen commune dicuntur analoga, eo quod hæc non suscipiunt illud nomen nisi per attributionem ad primum, in quo illius nominis ratio formaliter Saluatur: Medicina etenim vrina & dieta quatenus sana diffiniuntur, tūc in ipsorum diffinitione ponitur Animalis sanitas, cum non nisi per habitudinem ad illud dicantur sana: sed in analogis secundum proportionem id non est necessarium, nisi illam et attributionis analogiam participent; principium enim temporis non diffinitur per habitudinē ad principium viæ, neque hoc per habitudinem ad illud, quod & in reliquis analogis proportionis propriè dictis, intelligendum est: ac tandem concluditur, quod quemadmodum Analoga sunt media inter æquiuoca & vniuoca, ita analogorum diffinitio, inter vniuocorum, & æquiuocorum diffinitionem mediat: & de his quoque diximus in disputatione nona de Vniuersalibus super Porphyrium.

DISPVTATIO XXII.

Quo genere Analogiæ ens dicatur de substantia & de Accidente.

SECTIO Prima.

Ens prædicari Analogicè de Substantia, & Accidente pluribus modis Analogiæ demonstratur.

POstquam visum atq; expositum fuit, quid, & quotuplex sit Analogia: nunc super est vt discutiatur, quomodo ens se habeat ad substantiam, & accidens: cum enim neque æquiuocè, neque vniuocè de decē generibus dicatur: remanet quod saltem analogicè de illis prædicetur; quod dictū an sit verum per distinctas cōclusiones explanandum est.

Sit igitur prima Conclusio. Ens prædicatur Analogicè de substantia & de accidēte. Probatur authoritatibus & rationibus. 1. Conclusio.

1 Primo Aristoteles in libro 4. Metaphy. textu 2. habet hæc verba Ens multipliciter quidem dicitur, verum ad vnum,

T vnam-

vnamque naturam quamdam, & non æquiuocè dicitur: sed quemadmodum sanum omne ad sanitatem refertur: aliud quod eam conseruet, aliud quod efficiat, aliud quod signum sanitatis sit, aliud quod eius sit capax: sed est notum quod sanum dicitur analogicè de omnibus sanis: ergo & ens prædicatur analogicè de omnibus entibus.

2 Præterea Aristoteles in libro 7.Metaph.textu 14. & 15. quærens quomodo diffinitio sit communis substantiæ & accidentibus, inquit Diffinitionē de his dici quemadmodum & ipsum ens, quod quidem inest omnibus non tamen similiter, sed huic quidem primo, alij verò consequenter: & in textu 15.cōcludit ens dici de his non æquiuocè, neque eodem modo, idest non vniuocè, sed quemadmodum medicinale; eo quod ad idem quidem, & vnū &c. ergo ex his patet ens analogicè dici.

Analoga qd sint. 3 Præterea Analoga sunt, quorum nomen est commune, at ratio ipsorum nec omnino eadem, nec omnino diuersa, sed proportionalis: sed talia sunt substantia & accidentia, igitur &c. probatur minor, substantia est ens quia per se stat; sed Accidens est ens, quia est aliquid substātiæ: puta quātitas, quia est mensura substantiæ; qualitas, quia afficit substantiam; vnde Arist. in lib.4. Metaph textu 2.ait, ens multipliciter dicitur, sed totum ad vnum principium: quædam enim quoniam substantiæ entia dicuntur, quædā quoniam passiones substantiæ, quædam quoniam via ad substantiam; aut corruptiones, aut priuationes, aut qualitates, aut effectiua, aut generatiua substantiæ. Ex his patet substantiam dici per se ens; cætera verò quia sunt aliquid ipsius substantiæ.

Sit secunda Conclusio. Ens respectu substantiæ, & accidentis est analogum analogia secundum attributionem. Quæ conclusio sit manifesta ex dictis, videlicet ens multipliciter dicitur, verum vt ad vnum; sed dici sic analogicè, est dici secundum analogiam attributionis, ergo ens hoc modo est analogum. 2.Conclusio.

Sit tertia Conclusio. Ens est Analogum ad substantiam, & accidens, non ea tamen analogia attributionis, quæ est duorum ad vnum tertium. Probatur. 3.Conclusio.

1 Primo, si ens est analogum ad substantiam & accidens, analogia attributionis quæ est duorum ad vnum tertium, ergo sequitur quod præter substantiam & accidens sit aliud ens, cuius comparatione substantia & accidens sint & dicantur entia: sed consequens est falsum, ergo & antecedens. Consequentia innotescit ex assignatione analogorum quæ est duorum ad vnum tertium: nam præter medicinam, vrinam, & dietam, quæ secundum hanc analogiam dicuntur sana, datur vnum tertium, scilicet Animal, quod ab

ab omnibus illis distinguitur. Falsitas manifestatur communi Philosophorum consensu diuidentium ens immediatè in substantiam & accidens, præter quæ nullum aliud ens in natura reperitur. Vnde Auerroes in libro decimo Metaphys. commen. 8. ait, quod ens significat immediatè substantiam, & accidens significato reali.

2 Præterea in Analogis secundum attributionem duorum ad tertium, datur semper vnum primum, quod formaliter & intrinsecè est tale: cætera autem analogata non dicuntur talia nisi extrinseca denominatione: ergo si substantia & accidens sunt analoga analogia secundum attributionem duorum ad vnum tertium; sequitur quod substantia sit ens denominatione extrinseca, quod est falsum.

4. Conclusio. Sit quarta Conclusiô. Ens est analogum ad substantiam & accidens analogia attributionis, quæ est vnius ad alterum.

1 Analogum secundum attributionem vnius ad alterum est quando vnum illorum habet habitudinē ad aliud, quod formaliter est tale, & illud non est tale nisi per habitudinem ad ipsum: sed substantia est formaliter ens, sicut in libro 7. Metaphys. textu 2 scribitur, eo quod ipsa pēr seipsam est; Accidentia autem dicuntur entia, eo quod taliter entis, idest quia sunt aliquid ipsius substantiæ, vt supra dictum est; ergo substantia, & Accidens sunt Analoga secundum attributionem vnius ad alterum.

Sit quinta Conclusio. Ens est analogum ad substantiam, & Accidens analogia etiam secundum proportionem probatur: nam quo pacto substantia se habet ad suum esse, sic proportione quadam Accidens se habet ad suum; vnde ens dicetur sic analogicè de substantia & de Accidente. 5. Conclusio.

Sit sexta Conclusio. Ens dicitur analogicè analogia proportionis de ente reali, & de ente rationis. Probatur sic. Plus distat Deus & Creatura, quam ens reale, & ens rationis: sed Deus & creatura analogantur sub ente secundum analogiam proportionalitatis: ergo ens reale, & ens rationis, eadem analogia sub ente analogantur. 6. Conclusio.

Præterea Aristoteles in libro quarto Metaphys. textu 5. inquit, quod Dialectica, & Metaphysica circa idem versantur, puta circa ens: sed Dialectica versatur circa ens rationis, iuxta illud dictum Auicennæ Dialectica est de secundis intentionibus adiunctis primis; ergo cum prima Philosophia contempletur ens reale, & Dialectica ens rationis, fit manifestum quod ens de vtroque analogicè dicitur.

Sit septima Conclusio. Ens qua ratione est ens, non sic dici- 7. Conclusio.

dicitur Analogum, vt respectu omnium quæ sunt, sit Analogum. Probatur hæc Conclusio ex hoc, quod ens est vniuocum ijs omnibus, quæ in qualibet vnica natura conueniunt, vt omnibus speciebus eiusdem generis, & omnibus indiuiduis eiusdem speciei: eadem etenim ratione dicitur ens de homine, & equo; itemque de Socrate & de Platone.

Ens quō fit pluribus vniuocū, id est respectu eorū quæ sūt vnius naturæ, & rationis.

Neque hoc mirum videatur cum ea etiam quæ omnino æquiuoca sunt, tamen aliquarum rerum comparatione, sint vniuoca; Canis enim etsi comparatione Terrestris, Cælestis, & Marini sit æquiuocum, respectu tamen latrantium vniuocum est. Cum igitur dicitur ens esse analogum, respectu eorum intelligendum est, de quibus proximè & immediatè dicitur, vt sunt decē Genera: De his autem quæ sub eodem genere, aut specie essentialiter continentur non dicitur ens immediatè; sed interiectu alicuius generis, aut speciei.

8. Conclusio.

Sit octaua Conclusio. Ens comparatum ad Accidentia, est ad ipsa Analogum analogia quæ est duorum, vel multorum ad vnum tertium. Probatur: Accidentia sunt entia, quia entis, vt Aristoteles in libro 7. Metaphys. textu 2. scribit, idest quia sunt aliquid ipsius substantiæ. Sed nouem genera accidentium habent diuersam habitudinem ad ipsam substantiam, cum sint ipsius diuersæ affectiones: ergo ens comparatum ad ipsa accidentia, est ad ipsa analogum analogia, quæ est multorum ad vnum tertium.

SECTIO

Secunda.

Aduersus singulas Conclusiones arguitur.

Contra primam Conclusionem.

Quoniam dubitationum solutio, est veritatis manifestatio; ideo vt ea quæ dicta sunt, magis ac magis elucescant, aduersus singulas Conclusiones arguitur. Et primo contra primam probatur ens non prædicari analogicè de substantia & accidente.

1 Analogum, impedimentum inducit non solum ad medium Sylogisticum, sed etiam ad contradictionem, eo quod fallaciam causet: Ridere enim dicitur analogicè de risu hominis, & prati, & tamen manifestum est, quod sic accipiendo causat fallaciam æquiuocationis in secundo modo, & per consequens formam Sylogisticā destruit: sed ens non est huiusmodi, vt supra dictum est. Igitur.

2 Præ-

2 Præterea illud quod prædicatur analogicè, prędicatur secundum vnum nomen, & eamdem rationem, quamuis diuersimodè participatam: sed hoc nomen, ens, significat diuersas rationes: ergo ens non prædicatur analogicè. Probatur minor. Ens significat substantiam & accidens, quorum conceptus sunt diuersi, & per consequens etiam rationes.

Contra secundam Conclusionem.

Contra secundam Conclusionem probatur, quod ens non sit analogum ad substantiam, & accidens analogia secundum attributionem: Analogia attributionis est qua vnum vel plura analogatorum habent habitudinem ad vnum primũ, quod est formaliter tale. Sed accidens nullam habitudinem habet ad substãtiam, ergo ens non dicitur de illis analogia attributionis. Minor probatur. Si Accidens habet aliquam habitudinem ad substantiam, id pro tanto est, quia substantia se habet ad ipsum in aliquo genere causarum: sed substantia in nullo genere causarum se habet respectu accidentis, igitur &c. Minor quo ad singulas partes sic probatur; Non se habet in genere causæ materialis, quia Accidentia non habent materiam ex qua producantur. Non formalis, quia Accidens per seipsum est Accidens, & non per substantiam, ita vt substantia sit ipsius accidentis formale principiũ; Non efficiẽtis, quia substantia non est per seipsam effectiua; Nõ finalis, cum non appareat qualiter Accidentia ordinentur ad substãtiam tanquam ad finem.

Contra Tertiam Conclusionem.

Aduersus tertiam Conclusionem arguitur. Ratio entis est distincta à ratione substantiæ & Accidentis, ergo & ipsum ens ab ipsa substantia & Accidente distinguitur. Igitur si substantia est Accidens sub ente analogantur, erunt Analoga analogia quæ est duorum ad vnum tertium, vltima consequentia ex declaratione huius generis analogiæ fit manifesta: Prior ex eo innotescit, quod ratio rei, naturam rei consequitur, & explanat. Antecedens sic probatur. Quod prædicatur de substantia & Accidente, & nõ per rationem substantiæ & Accidentis, oportet vt de illis prædicetur per rationem distinctam, vel per nullam rationem: hæc propositio per sufficientem diuisionem patet. Sed non potest dici quod per nullam rationem prædicetur; ergo prædicabitur per aliam rationem: sed non prædicatur de Accidẽte per rationem substantiæ, neque de substan-

tia per rationem accidentis: ergo prædicabitur per rationem communem & simplicem distinctam à rationibus eorum.

Contra Quartam.

ADuersus quartam Cóclusionem arguitur. Analogia attributionis quę est vnius ad alterum fit, quando; vnum analogatorum habet habitudinem ad aliud, quod formaliter & intrinseca denominatione est tale, vt dictum est: ergo si substantia & Accidens analogantur sub ente analogia attributionis quæ est vnius ad alterum; sequitur quod cum substantia sit formaliter ens, quod Accidens sit ens denominatione extrinseca, quod est falsum cum per se ipsum sit ens.

Contra Quintam.

ADuersus quintam probatur ens non esse analogum ad Substantiam, & Accidens analogia proportionis. Inter per se existere, & esse semper in alio;, nulla videtur quod reperiatur proportio: sed Substantia per se existit, & Accidens est semper in subiecto; ergo inter Substantiam, & Accidens nulla est analogia proportionis.

Contra Sextam.

ADuersus sextam arguitur, quod ens non dicatur analogicè de ente reali, & de ente rationis. Nullus terminus analogus dicitur verè de aliquo, nisi ratio per terminũ significata in illo reperiatur. Sed ratio per ens significata, non saluatur in ente rationis, ergo ens non est analogũ enti reali, & enti rationis. Maior est nota, & minor probatur: ratio per ens significata est hoc disiunctum, Substãtia vel Accidens: sed hoc disiunctum non saluatur in ente rationis, alioquin ens rationis esset in Prædicamento, aut esset Mobilius aliquo, quod in prædicamento reponitur; sicut dicitur de substãtia quæ est prima causa, & omne genus transcendit. Igitur, &c.

Præterea inter analoga est aliqua similitudo, & conuenientia vnius ad alterum: sed entis rationis ad ens reale nulla est similitudo & conuenientia; ergo ens non dicitur analogicè de ente reali, & de ente rationis.

Pręterea nulli contento sub analogia entis repugnat existentia, quia ens est illud cui conuenit esse: sed enti rationis repugnat existentia, ergo ens rationis sub analogia entis non continetur. Maior est clara; & minor probatur. Existentia est actus essentiæ, sed ens rationis nullam essentiam

dicit,

dicit ergo nulla existentia ei conuenit.

Contra Septimam.

ADuersus septimam probatur quod ens respectu omnium quę sunt, sit analogū. Illud quod in seipso non est vnius rationis, non potest esse eiusdem rationis respectu quarumlibet rerum; ac proinde nec vniuocum: sed ens in seipso non est vnius rationis, ergo neque respectu eorū, quæ sub eodem genere, vel specie continentur, est vniuocum.

Contra Octauam.

ADuersus octauam sic arguitur. Accidentia omnia habent vnam, & eamdem habitudinem ad ipsam substantiam quæ est primum ens: ergo ens non est analogum ad omnia accidētia, ea analogia quę est multorum ad vnum tertium.

Antecedens probatur sic. Omnia Accidentia sunt in subiecto, non sunt ipsius subiecti pars, & esse nequeunt absque eo in quo sunt, sicut Aristoteles in Anteprædicamentis docet: ergo omnia accidentia habent vnam & eandem habitudinem, ad substantiam, cui insunt.

Obiectiones aduersus singulas Conclusiones Proposita, suo ordine diluuntur.

SECTIO

Tertia.

Soluuntur obiectiones contra primam Conclusionem.

AD primū contra primam Conclusionem responde tur, duplicem esse analogiam. Vna quæ est analogia conceptuum ad ipsum nomen tantum, quod scilicet significat vnum conceptum ex impositione, & alium ob quamdam similitudinem: quemadmodum ridere significat risum hominis ex impositione; tamen ex quadam proportione significat etiam prati floriditatem. Altera est analogia ipsarum rerum ad vnum conceptum, seù conceptum ad vnum nomen, quod imponitur ad significandum illos conceptus quodam ordine, vt dictum est de sano. Prima analogia causat fallaciam, impedit medium sylogisticum, & cōtradictionem tollit. Secunda verò nullum impedimentum infert.

Analogia secū da cōceptuū, & rerum.

Ad secundum dicitur, quod si Substantia & Accidens considerata

siderata quatenus sunt ab inuicem distincta; non habeant vnum cōceptum, neque vnam rationem vnitate vniuocationis: tamen si considerentur secundum depēdentiam vnius ad alterum, sic habent vnum conceptum vnius rationis, vnitate proportionis.

Solutio rationum contra secundam.

AD obiectionem contra secundam conclusionem negatur Minor, & ad illius probationem respōdetur, substantiam se habere ad accidens in triplici genere causæ, scilicet materialis non ex qua, sed in qua efficientis & finalis, ac tandem dicimus Accidentia habere habitudinem ad ipsum subiectum, quatenus non actualis, sed aptitudinalis inhærentia est de essentia ipsius accidentis. Nunquam enim accidens diffinitur, quin intelligatur actu, vel aptitudine subiecto inesse; sicut Caietanus in tractatu de ente capitulo septimo, quæstio. prima, doctissimè scribit.

Substantia se habet ad accidēs in triplici genere causæ.

Nec veritati consonum est id quod aliqui asserunt, scilicet Aristotelem in libro 7. Metaphys. textu 16. 17. 18. velle quod accidentia tantummodo copulata diffiniantur per substantiam, non autem simplicia. Quoniam, vt iam diximus, Auerroes, Albertus, S. Thom. Niphus, & alij, ibidem fatentur ex intentione Philosophi, omnia Accidentia diffiniri per subiectum, in hoc tamen Accidentia copulata discrepare à simplicibus; quod copulata, vt simitas vel curuitas nasi, & similia cum habeant determinatum subiectum, per ipsum determinatum diffiniantur. Simplicia autem, vt albedo, nigredo, dulcedo, & similia, quia pluribus inesse possunt, ob id per subiectum indeterminatum, idest per substantiam, non tamen hanc aut illam diffiniuntur. Consule præfatos Aristotelis expositores.

Accidentia copulata discrepant à simplicibus.

Diluitur obiectio contra tertiam Conclusionem.

AD rationem aduersus tertiam Conclusionem negatur antecedens: ad cuius probationem negatur sufficientia diuisionis. Non enim valet, quod si ens prædicatur de substantia, & de accidente, & non per rationem substantiæ, & accidentis, ergo prædicatur de illis per rationem distinctam, vel per nullam: quoniam ens prædicatur de illis per rationem vtriusque: prædicatur namque de substantia per rationem substantiæ, & de Accidente per rationem accidentis: vnde dicere Socrates est ens; nō est

Ens prædicatur de substantia p rationē substantiæ, & de

aliud

accidēte per rationē accidentis. aliud dicere, quā Socrates est substantia: & dicere album est ens, non est aliud dicere, nisi quod album est Accidens. Dicitur secundò, quod ens prædicatur de substantia, & de accidente per vnam rationem communem analogam.

Obiectio quartæ Conclusionis soluitur.

AD argumentum contra quartam Conclusionem, Respondetur quemadmodum ad calcem Disputatio. vigesimæprime, ex Caietano dictum est, scilicet quod illa propositio est intelligenda formaliter, nempè, quod omne nomen analogum secundum attributionem vt sic, vel quatenus sic analogum, commune est analogatis sic, quod primo conuenit formaliter, reliquis verò extrinseca denominatione. Et ita ens quamuis conueniat formaliter omnibus substantijs, & accidentibus: nihilominus quatenus entia, omnia dicuntur ab ente subiectiuè vt sic: sola substantia est ens formaliter, cætera autem dicuntur entia, quia entis passiones sunt, vel generationes: licet alia ratione entia formaliter dici possint.

Solutio ex Caietano notanda.

Soluitur argumentum quintæ Conclusionis.

AD id quod aduersus quintam Conclusionem obijcitur, negatur maior: cuius negationis ratio assignatur: quia quo pacto substantia se habet ad suum esse, sic proportione quadam Accidens se habet ad suum. Vnde quemadmodum substantia suo modo est, ita accidens suo modo inest.

Ratio contra sextam Conclusionem soluitur.

AD obiecta contra sextam Conclusionem, quam Paulus Soncinas in lib. quarto Metaphys. quæstione quinta defendit. Ad primum negatur minor, eo quod ens quod dicitur analogicè de ente in re, & de ente rationis, non est illud ens quod est in prædicamento, eo quod entia rationis non sunt in prædicamento nisi per quamdam reductionem, sicut in propria disputatione diximus, vnde ens de illis dicitur, quatenus ad entia quæ sunt in re reducuntur, & per hoc patet solutio. Ad secundum & tertium obiectionem cōtra eamdem conclusionem videlicet quod similitudo, & existentia quamuis non conueniant enti ra-

Ens dictum de ente reali, & rationis nō est idem ens.

ti rationis cum ente reali, tamen reductiuè totum habent.

Septimæ conclusionis obiectio soluitur.

AD argumentum aduersus septimam Conclusionem negatur maior. Quod enim in se non est vnius rationis simpliciter, sed multarum, potest per aliquam earum esse vnius rationis comparatione aliqua rum rerum: ita ergo ens per eam rationem qua significat genus summum substantiæ, est eiusdem rationis respectu omnium specierum, & indiuiduorum prædicamenti substantiæ, & ita res se habet in cæteris.

Quod in se nō est vnius rationis simpliciter, sed multarū contingit p aliquam; earū esse vnius rationis.

Obiectio. Contra solutionem quis forsitan instabit dicens: quod ea quæ sunt talia secundum nomen substantiæ, non sunt secundum nomen entis in commune, sed secundum nomen particularis cuiusdam entis;

Solutio. Respondetur quod in ijs quæ non significant immediatè vnā naturam, sed plures, cuiusmodi sunt Analoga & casu æquiuoca, rationes omnium immediatè significatorum, sunt secundum commune nomen, vt patet ex diffinitione æquiuocorum in prædicamentis tradita in qua tā analoga, quàm casu æquiuoca comprehenduntur.

Diluitur obiectio aduersus octauam Conclusionem.

AD obiectum aduersus octauam Cōclusionem negatur Antecedens; & ad illius probationē respondetur quod etsi omnia accidentia habeāt esse in subiecto, non sint illius partes, & absque eo nequeant esse. Tamen non eodem modo omnia insunt; vt de e se in, est diuersarum rationum, in prædicamentis, quemadmodum in Disputatione de sufficientia prædicamentorum dictum est.

Accidentia non codē modo insūt subiecto

DISPVTATIO

Vigesimatertia.

An Accidens dicatur Analogicè de nouem generibus accidentium.

SECTIO

Prima.

Accidens prædicari vniuocè de nouem generibus Accidentium probatur.

1 DIffinitio Accidentis ad initium Prædicamentorum posita, æquè conuenit omni-

omnibus accidentibus, ergo accidens est vniuocum ad omnia accidentia. Consequentia fit ex eo manifesta, quod vniuoca sunt illa, quorum nomen est commune, & ratio secundum illud nomen est eadē; quod si omnium accidentium sit eadem diffinitio, pariter & nomen erit idem. Antecedens probatur sic. Aristoteles in capitulo 2. Antepraedicamentorum assignans diffinitionē ipsius esse in subiecto, inquit, in subiecto esse dico, quod cum sit in aliquo, non sicut pars, & non potest esse sine eo in quo est; quæ assignata diffinitio est omnibus accidentibus communis. Igitur, &c.

Accidentis diffinitio.

2 Præterea, si Accidens sit nomen analogum ad nouem genera accidentium: sequitur quod Accidens dicatur principaliter de vno illorum, cui tantum conuenit formaliter, & intrinseca denominatione dici Accidens; reliqua autem non nisi extrinseca denominatione dicuntur Accidens: sed consequens est falsum, ergo & illud ex quo sequitur. Consequentia fit manifesta ex assignatione analogorum iam posita. Falsitas patet, quia nullum Accidens est, quod ex extrinsеca denominatione dicatur Accidens.

3 Præterea Accidēs mediante eodem conceptu formali significat vnam rationem communem, quæ simpliciter est in omnibus: ergo accidens est vniuocum. Antecedens probatur. Accidens in communi significat accidere substantiæ, abstrahēdo ab hoc & illo modo inhærendi; & hoc simpliciter conuenit omnibus: (non enim potest dici quod simpliciter conueniat quantitati, aut qualitati, & secundum quid alijs) ergo significat mediante eodem conceptu vniuocè.

4 Præterea omne Analogum potest esse extra essentiam alicuius analogati. Sed Accidens non potest esse extra essentiam alicuius accidentis; ergo Accidens non est analogum ad omnia Accidentia. Minor probatur. Si Accidens est extra essentiam alicuius accidentis, ergo illud nec nomine nec re esset Accidens. Maior probatur. Sanum vt dicitur de vrina est extra rationem sani, vt dicitur de dieta; & quatenus dicitur de dieta, est extra rationē sani, quatenus dicitur de medicina, & sic de alijs.

5 Præterea nullū analogum distribuitur vnica distributione pro omnibus sub se contentis: sed Accidens distribuitur vnica distributione pro omnibus accidentibus; ergo Accidens non est analogum ad omnia accidentia. Maior probatur: cum namque dicitur, omne sanum currit, tunc distributio non fit pro medicina, & dieta, quæ cum dicantur sana, tamen non currūt, minor probatur sic; cum dicitur omne accidens est in subiecto, verum est dicere, ergo quātitas est in subiecto: ergo qualitas est in subiecto; & sic de singulis. Igitur, &c.

6 Præ-

6 Præterea Scotus in quæstione 34. Vniuersalium, ait Accidens dici equiuocè de nouem prædicamentis, quod assertum nos probatum habuimus super Porphyrium in capite de Accidente Disputat. 6. Diluc. 2.

SECTIO

Secunda.

Dominici à Soto quoddam placitum ponitur, & Impugnatur.

DE proposita Disputatione, Philosophi ferè omnes idem sentiunt, scilicet accidens predicari analogicè de nouem accidentiũ generibus: & si illorum quidam qui sustinent ens predicari vniuocè de substantia & accidente, in quodam argumento supraposito dicant à simili, accidẽs predicatur vniuocè de nouem generibus accidentium, ergo & ens dicitur vniuocè de substantia & de accidente; ad argumentum tantum corroborandum id protulerunt. Dominicus tamen à Soto in capite 4. Anteprædicamentorum, quæst. 2. ad primum argumentum duo dicit, quæ veritati consona non apparent. Vnum quod Nomen Accidentis est vniuocum ad omnia accidentia; aliud, quod si de illis prædicetur vniuocè, haud tamen ipsorum est Genus. Primum confirmat argumento tertio, posito in superiori sectione. Secundum autem corroborat, tum quia accidens non prædicatur de illis quidditatiuè, cũ nõ significet formaliter quidditates accidentium; sed esse eorum in substantia; & dato quod significaret quidditates, non tamen significat distinctũ gradum, vt possit per differentias contrahi. Exempli gratia, Albedo constat ex colore, & particulari differentia, quę est extra rationem coloris, sicut rationale est extra rationem Animalis: sed tamen accidens includitur in quocumque gradu, & quacumque differentia accidentis, sicut ens in quocũque gradu quidditatis realis. Hæc ille, &c.

Opinio Soti.

Sed hæc positio sibi ipsi repugnare videtur; scilicet asserendo accidens prædicari vniuocè de omnibus accidẽtibus, & ipsorum quidditates non significare formaliter, eo tamen pacto, quo accidentia habere quidditatem possunt. Vniuocum dicitur illud, cuius nomen est commune pluribus: & ratio seu diffinitio secundum illud nomen est prorsus eadẽ, verbi gratia Animal respectu omnium Animaliũ dicitur vniuocum, quia omnia Animalia nuncupantur Animal, & ipsorum omnium diffinitio, quatenus Animal, est omnino eadẽ, scilicet substantia animata sensitiua. Igitur si accidẽs est vniuocum ad omnia accidentia; remanet etiam quod ipsius acciden-

Impugnatio opinionis Soti.

cidentis ratio, secundum hoc nomen sit in omnibus eadem: quo dato, fit notum, quod quemadmodum ratio Animalis dicitur quidditatiuè de omnibus animalibus, ipsasque formaliter significat: ita Accidens suo modo prædicabitur quidditatiuè de omnibus accidentibus atque ipsorum quidditates, eo modo quo habent, formaliter significabit. Quod si hoc sit verum; non video, quo nam pacto aufugere possit, quin Accidens sit genus ad nouem genera accidentium. Quod si quis admittat; tunc apud Aristotelis doctrinam, absurdissimum vnum oritur, videlicet, duo tantum genera suprema reperiri, nempè substantia, & Accidens: quia nouem accidentium genera sub vno genere accidentis comprehenderentur.

SECTIO

Tertia.

Accidens esse analogum ad nouem genera accidentium Concluditur.

Vniuersalis Philosophorū sententia est, Accidēs prædicari analogicè de nouē Accidentium generibus. Sed quia Analogia est multiplex, ideo quo analogiæ genere sit ad ipsa analogum, per distinctas conclusiones referandum est.

Sit ergo prima Conclusio. Accidens non est analogū ad nouem genera accidentium, eo analogiæ genere, quod dicitur per attributionem vnius ad alterum, probatur. Analogia secundum attributionem dicitur, quando vnum Analogatorum dicitur formaliter & per intrinsecam denominationem tale; Cætera verò per extrinsecam denominationē, & per respectum ad illud primū, dicuntur talia; sicut de sano iam dictum est. Sed inter nouem genera accidentium, nullum est, quod principalius dicatur accidens, sitque ipsum solum per intrinsecam denominationem tale. Ergo Accidens non est analogum ad nouem genera Accidentium, eo genere analogiæ, quę est secundum attributionem vnius ad alterum. Maior propositio, ex declaratione facta patet. Minor sic probatur; nam si id esset verū, tunc sequeretur quod octo genera accidentium, non essent re vera accidentia, quod est falsum, sicut medicina, dieta & vrina, non sunt ipsa re sana, nisi quatenus signum, vel effectiuum, aut conseruatiuum sanitatis. 1. Conclusio.

Sit secunda Conclusio Accidēs est analogum ad nouem genera accidentium, ea analogia, quæ dicitur secundum attributionem multorum ad vnum tertium. probatur. Accidens quatenus Accidens, aliter Accidēs est analogum ad nouē genera accidētiū.

ter

ter concipi nequit, quàm habitudine ad substătiam; quod & ipsa concipiendi experientia constat, & omnium Philosophorum communi sententia comprobatur: ergo Accidens est analogum ad nouem genera accidentium, eo analogiæ genere, quod est multorum ad vnū tertium. Antecedens probatur; Quodcumq; Accidens, etiam si esset à subiecto actu separatum, vt si quando daretur vna albedo actu separata, habet habitudinem ad ipsum subiectum, quia vtique est apta nata vniri ipsi subiectio. Consequentia manifestatur ex assignatione habita Analogiæ, quæ dicitur secundum attributionem multorum ad vnum tertium.

1 Præterea. Nouem accidentium genera, variè referuntur ad ipsam substantiam: Quantitas enim ideo dicitur Accidens quia est mensura substantiæ. Qualitas quia alio quodammodo se habet ad ipsam, & alia quia alijs; sicut in Disputatione de sufficientia prædicamentorum ostensum est. Igitur sequitur id quod prius; & quoniam hæc conclusio difficultatem multam non patitur, remanet vt argumenta soluantur.

SECTIO Quarta.

Soluuntur argumenta ad initium Disput. posita.

AD primum negatur antecedēs: nam illa diffinitio Accidentis tradita, sub nomine eius quod est esse in subiecto, videatur omnino eadem, propter omnimodam confusionem illorum verborum, (quod cum in aliquo sit) quæ loco generis ponuntur; tamen reuera, non est omnino eadē; neque significat vnum modum essendi omnibus accidentibus communem; quia esse inest diuersarum rationum in omnibus accidentium generibus. *Esse in subiecto non dicitur eade ratione de omnibus accidētibus.*

Ad secundum negatur Consequentia, quæ teneret si nouē genera Accidentium essent analoga eo genere analogiæ, quæ dicitur secundum attributionem vnius ad alterum; sed sunt analoga, ea analogia, quę dicitur secundum attributionem quæ est multorū ad vnum tertium.

Contra solutionem objicitur sic. Dictum est supra Disp. 22. Sectione prima, Conclusione 3. ratione 2. quod in analogis secundum attributionem duorum ad vnum tertium, datur semper vnum primum, quod formaliter, & intrinsecè *obiectio*

est

est tale; cætera verò non nisi extrinseca denominatione talia dicuntur. Ergo argumẽtum in suo robore remanet.

Ad hoc respondetur quod ea tertia Cõclusio probat substantiam, & Accidens non esse analoga, ea analogia quæ dicitur secundum attributionem duorũ ad vnum tertium: quia substantia tunc esset ens extrinseca denominatione; nam in creatis præter substantiam & Accidens non datur vnum tertium ens à substantia & accidente distinctum. Sed præter nouem genera accidentium datur substantia ab omnibus illis distincta; & ad cuius habitudinem cætera prædicamenta dicuntur entia, vt iam dictum est. Sed in accidentium generibus, non datur vnum primum, ad cuius habitudinem reliqua dicantur accidentia; ideo obiectio non tenet.

Accidentia oĩa non concipiũtur vno conceptu formali cõmuni omnib⁹ vnitate vniuocationis.

Ad tertium negatur Antecedens; non enim verum est, quod omnia Accidentia concipiantur vno conceptu formali omnibus communi, vnitate vniuocationis; sed vnitate analogiæ: quod si illis sit aliquid vniuocum fortè erit aliquis terminus secundæ intentionis, puta, generalissimum, & prædicamentum. Ad probationem antecedentis, respondetur, quod quamuis Accidens in communi significet accidere substantiæ: Verumtamen hoc accidere est diuersum in omnibus: sicut ipsum esse inest diuersarum rationum in ipsis nouem generibus vel dicatur quod illud accidere substantiæ omnibus accidentibus cõmune, potest concipi vno conceptu formali omnino confuso, sed non distincto, quemadmodum de ente dictum est.

Termin⁹ secundæ intentionis est vniuocũ accidẽtibus.

Ad quartum negatur maior & ad illius probationem respondetur, quod sanum analogicè sumptum, non est extra essentiam alicuius analogati quatenus tale.

Ad quintum similiter negatur maior, de Analogo dicente vnam rationem: cum enim ratio talis analogi saluetur in omnibus illis de quibus prædicatur; fit consequens quod huiusmodi nomen possit distribui pro omnibus illis, quibus quatenus analoga sunt, prædicatum non repugnat.

Ad sextum Respondetur quod Scotus, & expositor illius sententiæ acceperunt æquiuocum pro analogo: nam vt dictum est supra Disputatione 21. Sectio. tertia, Analoga secundum attributionem, apud Logicum vocantur æquiuoca; & in his imponitur finis huic Disputationi.

F I N I S.

